

Ex Libris
Duquesne University:
Spiritus Est Qui Vivificat

HERMENEUTICA
SACRA

SEU INTRODUCTIO

IN OMNES ET SINGULOS LIBROS SACROS

VETERIS AC NOVI FOEDERIS

AUCTORE

I. H. IANSSENS

IN SEMINARIO EPISCOPALI LEODII SCRIPTURAE SACRAE AC THEOLOGIAE DOGMATICAE
PROFESSORE PUBLICO ET ORDINARIO

Editio emendatissima

TAURINI 1870
EX TYPIS
HYACINTHI MARIETTI

Πᾶς γραμματεὺς μαθητευθεὶς εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, ὅμοιός ἐστιν ἀνθρώπῳ οἰκοδεσπότῃ, ὅστις ἐκβάλλει ἐκ τοῦ θησαυροῦ αὐτοῦ καινὰ καὶ παλαιά.
Ματθ. Κεφ. ιγ', νβ'.

Ignorantia, mater cunctorum errorum, maxime in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt... Sciant igitur sacerdotes Scripturas sanctas.
DISTINCT. 58, c. 1.

PRAEFATIO ET CONSPECTUS

HERMENEUTICAE SACRAE

Quod opus, primitus in usum meum incoeptum, sex abhinc annis in usum praelectionum publicarum collegii Friburgensis in Helvetia *concinnavi, saepiusque tum Friburgi tum hic Leodii discipulis meis scripto tradidi, in* usum praelectionum publicarum seminarii episcopalis Leodiensis *nunc typis committo.*

Hanc introductionem in omnes et singulos libros sacros veteris ac novi foederis, quam Hermeneuticam sacram *inscripsi, pluries theologis dictans atque explanans, frequenter equidem occasionem nactus sum codices manuscriptos castigandi, praesertim vero supplendi; ast illam opus esse numeris omnibus absolutum nullisque mendis laborare, superbientis atque insanientis esset asserere:*

> Nullus enim vitio sine fit liber: optimus ille est,
> Qui minimis urgetur.

Biblia sacra iam primis ecclesiae christianae saeculis impugnata fuerunt a Celso, Porphyrio, Hierocle, Iuliano imp., aliisque philosophis gentilibus; at invalescente ac florescente sacrosancta Christi religione ab hac pugna ferme cessatum erat, tantum quod acatholici quosdam libros sacros ut non canonicos reiiciebant nonnullaque loca arbitrario interpretabantur.

Luctuosa autem nostra aetate ex ipso Christi ecclesiae sinu hostes quam plurimi extitere, qui gloriosum philosophorum nomen usurpantes, captiosa veterum philosophorum paganorum argumenta, ex ipsis apologistarum christianae religionis operibus eruta, incredibili audacia instaurarunt, eorum solutionibus subdole praetermissis, aut callide interpolatis, novaque sophismata sophismatibus accumulando, libros sacros ceu fabulas ad homines fallendos excogitatas per universum orbem traducere moliti sunt. Ita sacrosanctae nostrae religioni vulnera gravissima inflicta fuerunt, et deismus, qui aliquot abhinc saeculis in paucis obscurisque scriptis latebat, impraesentiarum audacter prodit in lucem, ac

longe lateque serpit. Testes huiusce veritatis sunt exitiosa opera dd. de Voltaire, I. I. Rousseau, Raynal, Helvetii, Tindal, Collins, Bolingbrock, Morgan, Browne, de Cherbury, Edelmann, Hatzfeldii, aliorumque eiusdem furfuris, christiani nominis hostium, quorum pars magna hoc anno 1818 *magno cum religionis christianae detrimento, aeternoque deistarum opprobrio recuditur. At*

O curas hominum, quantum est in rebus inane!

Omnia haec inimicorum tela ad rupem, cui Christus divinam suam religionem superstruxit, confracta collabuntur, et portae inferi adversus ecclesiam, iuxta certissima divini sui conditoris promissa, numquam praevalebunt (Matth. XVI, 18*).*

Libros sacros perditissima methodo defendendos in se susceperunt novissimi nonnulli critici, qui ut praetextum eos deridendi deistis eriperent, male cauti indubia scripturae sacrae miracula per fas ac nefas naturaliter exponere conati sunt. Hos inter infelici nostra aetate eminuerunt I. Chr. Fredericus Eck, et H. E. Gottlob Paulus: ille in Tentamine miracula novi testamenti ex causis physicis exponendi, *et hic in* Philologico-critico ac historico commentario novi testamenti (1), *omnes ingenii sui vires intenderunt, ut vera I. C. miracula de medio tollerent, suaque effervescentis cerebri figmenta illis sufficerent. At haec exagitatae imaginationis phantasmata paucis fucum fecerunt, et neque deistis, nec ulli christianorum sectae, socinianorum forte excepta, arrisere.*

Si operi cuicumque proposita debet esse utilitas, haecque saepe pro temporum varietate varia esse solet, sequitur in operibus apologeticis praesentis temporis indolem potissimum aspiciendam esse, maximeque necessarium, obsoletis iamdiu erroribus praetermissis, impraesentiarum grassantes divinae Christi religioni perniciosos detegere, expugnare:

Parcere subiectis et debellare superbos.

Scopo hoc mihi in Hermeneutica sacra proposito, antiquatos errores, vanasque scholasticorum quaestiones praetermisi, atque errores nostro aevo scripturae sacrae et Christi religioni exitiosos manifestandos ac refutandos in me suscepi. Ut autem in gratiam iuniorum theologorum commodius id praestarem, simulque amplam introductionem in omnes ac singulos libros sacros eis suppeditarem, hanc viam ingressus sum.

Hermeneuticam sacram in quinque capita seu partes divisi: in

(1) *Eck.* Versuch die Wundergeschichten des neuen Testaments aus natürlichen Ursachen zu erklären, *Berlin*, 1795. *Paulus*: Philologisck-Kritischer und historischer Kommentar über das neue Testament. *Lübeck*, 1800.

primo demonstrandam sumsi canonicitatem omnium librorum sacrorum, qui in canone tridentino continentur; in secundo eorum divinitatem seu inspirationem; in tertio eorumdem authentiam; in quarto integritatem substantialem textus primigenii, eiusque perinde atque antiquarum versionum biblicarum, potissimum Vulgatae, auctoritatem, utilitatem ac usum: in quinto regulas generales ac particulares tradidi scripturam sacram rite intelligendi atque interpretandi. Difficultates vero deistarum adversus librorum sacrorum auctoritatem fere omnes ad caput tertium redegi, cum omnes eodem recidant, num scilicet quae in libris sacris leguntur vera sint.

Capite tertio, probata sacrorum Bibliorum authentia, distinctis paragraphis egi de singulorum librorum lingua, auctore, aetate, coaevis atque authenticis, si quae fuerint, documentis, de eorumdem argumento, scopo, non raro de stylo, oppositisque difficultatibus (siquidem de libris historicis sermo sit), etiam de fide, quam uti tales merentur, agendum existimavi.

Ad difficultates quod attinet, ad singulos generatim libros graviores proposui atque enucleavi, quae libro cuilibet vel a deistis opponuntur, vel ab ipsa rei natura exsistunt.

Cum vero difficultates deistarum adversus libros Moysis quam plurimae sint, eas partim ad caput secundum, partim ad caput tertium redegi. Sic capite secundo, probata inspiratione librorum sacrorum veteris ac novi foederis, inter cetera expendo ac disiicio difficultates, quas deistae inspirationi librorum sacrorum, praesertim Moysis, opponunt, uti de libris pseudo-sacris populorum non christianorum, de oraculis gentilium, de carminibus sibyllinis, de miraculis Pentateuchi, et apparitionibus Dei anthropomorphiticis; variasque verso quaestiones: num Moyses immortalitatem animae ignoraverit? Num Moyses Deum nationalem, ac non nisi formidandum docuerit? Num Deum corporeum crediderit? Num caeremoniae, quas praescripsit fuerint inutiles? de hirco emissario, de circumcisione, de Lotho eiusque filiabus, de mendaciis obstetricum aegyptiacarum, de spolio aegyptiaco, de lege talionis. Num hebraei reliquum humanum genus odio habere a Moyse edocti sint? de usura, de occupatione Chanaan et exterminatione chananaeorum, de anno sabbatico, de cibis vetitis iudaeorum, de immunditiis légalibus, de leviratu, de libello repudii, de iureiurando purgatorio uxoris suspectae, de polygamia, de victimis humanis ac nominatim de sacrificio Isaaci et filiae Iephte, de magia, de naturalismo, de naturalismo biblico, etc.

Capite tertio inter alia de libris Moysis excutio difficultates quas deistae obiiciunt de Moyse sycophanta, de silentio et contrarietate antiquorum scriptorum profanorum quoad facta prodi-

giosa Pentateuc [illegible] praeadamitis, de chronologia Moysis, de longaeva patriarcharum aetate et epocha eorum paternitatis, de fundatione regnorum, de Palaestina, de gigantibus, de diluvio, de plagis Aegypti et mirabilibus magorum, de transitu maris rubri, de vitulo aureo, de manna, de serpente aeneo, etc.

Ad difficultates libri Iosue quod spectat, ago de transitu Iordanis, de ruina murorum Ierichuntis, de pluvia lapidum, de statione solis, etc., atque eamdem viam insisto capite tertio ad alios libros sacros. Occasione autem difficultatum deistarum refero acatholicorum nonnullorum ac neologorum improbandas sententias, earumque refutationem perinde ac difficultatum propositarum solutionem trado. Cum autem allatae difficultates res graviores et difficiliores librorum sacrorum respiciant, earum occasione res ipsas enucleavi et quandoque notas adieci, ut ita opus meum simul esset exegeticum. Difficultates ingenue exposui, earumque fundamenta, ubi opus, indicavi, tum ut arma hostium sacrosanctae nostrae religionis comperta essent, tum ut insignior fieret veritatis triumphus.

Loca et citationes omnes librorum sacrorum quae in Hermeneutica sacra occurrunt cum Scriptura sacra iterum iterumque scrupulose contuli, ut haec, quantum liceret, forent accuratissima. Textum primigenium in rebus maioris momenti verbis et characteribus propriis retuli, licet in hebraico voces hebraicas litteris latinis exhibuerim, eoquod typographus characteribus hebraicis careret. Quatuor tabulae: prima chronologica; secunda variantium lectionum chronologicarum: tertia capitum, sectionum ac paragraphorum; et quarta rerum memorabilium quae in ambobus Hermeneuticae sacrae tomis continentur, ad operis calcem adiectae sunt.

Caeterum Hermeneuticam sacram cuiusque meliora sapientis et amice monentis iudicio ultro lubenterque subiicio, quae minus accurata mihi exciderint in altera editione emendaturus.

Scripsi Leodii, VII *id. aprilis* MDCCCXXIII.

I. H. IANSSENS

Sacrae scripturae et theologiae dogmaticae professor publicus et ordinarius.

HERMENEUTICA SACRA

SEU

INTRODUCTIO IN LIBROS SACROS

VETERIS AC NOVI FOEDERIS

Hermeneuticam sacram appellamus illam scientiam, quae exactam librorum sacrorum dat cognitionem, regulasque tradit ad genuinum eorum sensum investigandum.

Ex scopo igitur sacrae huius institutionis hermeneuticam in quinque capita dispertimur. In primo agemus de librorum sacrorum canone, in secundo de eorum divinitate, in tertio de ipsorum authentia, in quarto de illorum textu primitivo variisque versionibus, in quinto tandem de eorum sensibus regulisque exegeticis seu interpretationis.

NOTIONES PRAEVIAE

DIVISIO LIBRORUM SACRORUM

1. *Sacrae scripturae* nomine intelliguntur libri Deo inspirante conscripti, atque ut tales ab ecclesia propositi *.

* Extant libri pseudosacri gentilium modernorum, muhammedanorum et talmudistarum, quos deistae eodem loco cum libris sacris christianorum habere non verentur. Qui et quales isti libri fabulosi sint, hic paucis referemus, deistarum ineptias soluturi n. 46.

Libri pseudosacri gentilium, adhuc existentium, sunt:

I. *Zend-Avesta*, cuius auctor olim creditus fuit persarum pseudopropheta Zoroaster, et quo persae ut libro divino utuntur. D. Anquetil du Perron hunc librum anno 1771, Parisiis, typis mandari curavit sub titulo: *Zend-Avesta, ouvrage de Zoroastre*, eumque abhinc 2,000 et amplius annis existere autumavit. Scatet hoc opus absurdis ineptisque sententiis. Vestigia iudaismi, christianismi, ac dictiones arabicae quae in illo occurrunt, saeculo septimo dumtaxat innotescere potuere persis, per arabes subiugatis, probantque illud opus Zoroastri haud esse. Inter alios ritus superstitiosos in ipso praescribitur urina vaccae tamquam sacrum purgationis medium. Persae adorant ignem, creduntque ignem sacrum, a Zoroastro incensum, abhinc 4,000 annis semper ardere; ubi autem ille ignis sit, ignorant. Christianismus et muhammedismus persarum gentilismum fere sustulerunt. Pauci qui in Persia ac India illi dediti adhuc supersunt, *Gauri* nuncupantur. (Consule *Voyage du chevalier Chardin en Perse*. Amstel. 1735).

II. *Vedam*, quod opus ut divinitus revelatum venerantur brachmanes, indorum philosophi. Extat etiam commentarius pseudosacer in Vedam, qui *Ezour-Vedam* nuncupatur. Hic liber in manus d. de Voltaire aliorumque europaeorum transiit opera d. Barthélemy galli. Scriptum Vedam nemo praeter sacrificulos indorum umquam vidit. Immo de illius existentia dubitarunt La-Croze (*Histoire du christianisme des Indes*), et Sonnerat (*Voyage aux Indes et à la Chine*). Ezour-Vedam continet multa erronea ac superstitiosa, compositusque videtur a brachmane recentiore, iudaicae, christianae ac muhammedanae religionum perito (Vide cl. Less. *Geschichte der Religion*).

Adorant indi unum equidem Deum, at praeter illum adhuc plures deos inferiores esse adserunt, queis curam huius universi incumbere arbitrantur. Tres autem dii principales ab ipsis coluntur, *Brama* nempe, *Isuris*, et *Vischnou*. Colunt insuper daemones, ne sibi rebusque suis noceant. Deo summo uxorem tradunt. Pars Isurem adorantium frontem combustis vaccarum stercoribus, in praecipuum adorationis signum, contaminat; pars Deum Vischnou colentium frontem terra rubra obducit. Demortuis maritis, debent uxores se in ignem praecipites agere, nisi omnibus execrationi esse velint. Huiusmodi plura absurda et superstitiosa continet indorum religio. (Vide cl. Less. in opere cit.).

Dividuntur hi libri generatim in vetus ac novum foedus seu testamentum. Denominatio haec desumpta est ex II Corinth. III, 6, 14; Matth. XXVI, 28; Gal. III, 17; Hebr. VIII, 8; etc., ubi antiqui interpretes latini phrases ἡ Παλαιὰ Διαθήκη, *Vetus foedus*, et ἡ Καινὴ Διαθήκη, *Novum foedus*, reddiderunt per *Vetus testamentum*, ac *Novum testamentum*, attribuentes per graecismum voci *Testamenti* vim vocis *Foederis*, ut observat s. Hieronymus (Comment. in Malach. c. 2.)

Libri vero utriusque foederis dispescuntur in *protocanonicos, ac deuterocanonicos*. Protocanonici veteris foederis sunt ii, quos synagoga in suo canone recensuit (n. 6); deuterocanonici autem, quos iis in suo canone superaddidit ecclesia catholica (n. 6). Protocanonici novi foederis dicuntur ii, qui semper ab omnibus ecclesiis particularibus ut divini habiti fuerunt; deuterocanonici vero, qui olim ab aliquibus ut dubii, postea autem ab omnibus ecclesiis ut sacra scriptura agniti sunt (n. 6).

2. Distinguuntur libri sacri in legales, historicos, sapientiales ac propheticos. In veteri foedere legales sunt quinque libri Moysis; historici libri Iosue, Iudicum, Ruth, alii us-

III. Quinque *King*, libri pseudosacri sinensium, qui a Confucio, sinensium philosopho, quinque circiter saeculis ante Christum natum compilati esse communiter dicuntur. Nullibi in hoc opere doctrina de unitate Dei reperitur; immo parte I, c. 2 idololatria docetur (Vide cl. Less. op. cit.).

Dividitur sinensium religio in tres sectas: antiquissima descendit a Fo-hy, primo sinensium imperatore, decem circiter saeculis ante Christum nato. Haec secta metempsychosim admittit, monstrosaeque magnitudinis idola colit. Altera secta introducta est a Lao-Tse, sex circiter saeculis ante Christum. Adorat et haec idola, Deum materialem esse, animas cum corporibus interire, deosque subalternos existere, credit. Tertia secta est illa Confucii celeberrimi philosophi, qui quinque circiter saeculis ante Christum natum floruit. Hanc sectam sequuntur sinenses litterati. D. de Voltaire hanc sectam sapientissimam vocat; sane quia illa nihil de Deo, eiusque cultu, nihil de futura vita et fine ultimo hominis tradit (De sinensibus lege cl. *Schlœsser universal Historie*).

IV. *Koranus*, seu *Alcoranus* consistit in scriptis pseudosacris muhammedanorum, seu muselmanorum, a Muhammede, anno 571 Meccae in Arabia nato, opitulantibus Sergio monacho nestoriano, et iudaeo nomine Abdallah, confectis, atque ab Abubeker eius socero ac in regnum successore in librum redactis. Iactitavit Muhammedes quae in hoc libro continentur sibi a Deo per archang. Gabrielem spatio 30 annorum revelata fuisse. Interim hic liber est farrago ex doctrina iudaeorum, saracenorum, christianorum, et ex Muhammedis cerebri figmentis compilata. Occurrunt in Korano equidem multa egregia praecepta, sed et multa paradoxa et fabulosa: sic adserit inevitabilem fati necessitatem, terminumque vitae unicuique per fatum adsignatum; paradisum ait esse locum voluptatum carnalium, permittit polygamiam simultaneam, divortium, concubinatum, commutationem uxorum, etc. (De superstitionibus muhammedanorum consule *Maracciam Prodr. ad refutat. Alcorani; Hornbeck, Summa controversiarum l. 3 de muhammedismo; Humph. Prideaux Vie de Mahomet*).

V. *Talmud Hierosolymitanum*, et *Babylonicum* ut libros doctrinales habent rabbanitae seu rabbini. Dividuntur iudaei hodierni in tres sectas, in illam nempe rabbanitarum seu rabbinorum, et pharisaeorum, in eam karaitarum sive karaeorum, et in sectam sadducaeorum (confer n. 30 notam). Prima secta ab aliis distinguitur, quod praeter *Thoram* seu *legem scriptam*, profiteatur *legem traditam*, quam a Deo Moysi, per 40 dies in monte Sinai versanti, oretenus traditam esse adstruunt. Hanc legem traditam, quam et expositionem legis scriptae habent, primus litteris mandavit *R. Isaac Hakkadosch*, et hoc opus *Mischna* seu *Mischnaioth*, i. e. est, *Secunda Lex*, audit. Alii dein rabbini novas expositiones ac declarationes legis compilarunt, quae Hierosolymis in unum cum Mischna redactae, effecerunt iudaeorum librum doctrinalem, qui *Talmud* vocatur. Textus est Mischna, et additae expositiones *Gemara* nuncupantur. Et en Talmudis Hierosolymitani ortum! Verum hae iudaeorum palaestinensium expositiones omnibus iudaeis non placuerunt; quare alii iudaei Babylone idiomate chaldaico novas congesserunt expositiones ac declarationes, quae saeculo quinto post Christum natum constituerunt Talmud Babylonicum. Iudaei hodie rni hoc ultimum Talmud priori, immo ipsi sacrae scripturae praeponunt. (Vide *Mosheim, Geschichte der Feinde der christ. Religion*; *Bartoloccium, bibliotheca rabbinica*; *Hottingerum, compend. theologiae iudaicae; Maium, synops. theologiae iudaicae veteris et novae, Carpzovium, dissert. de articulis fidei iudaicae: Triglandium, de tribus iudaeorum sectis*).

Et en quales libros, qualesque sectas philosophi deistae sacris nostris Bibliis eorumque divinae religioni opponere ausi sint. *Evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Rom. I. 21 22. Conf. n. 46.

que ad Psalmos, primusque ac secundus Machabaeorum. Ad sapientiales spectant Psalmi, Proverbia, etc. usque ad Prophetas. Ad propheticos pertinent libri Isaiae, Ieremiae reliquorumque prophetarum.

In novo foedere legales sunt quatuor Evangelia; historici Acta apostolorum; sapientiales Epistolae s. Pauli, aliorumque apostolorum; ad propheticos spectat Apocalypsis.

Alii libros novi foederis dividunt in historicos et didacticos, ac ad eorum finem Apocalypsin ut librum propheticum collocant.

DIVISIO SCRIPTURAE SACRAE IN EPOCHAS

3. Cum sacra scriptura complectatur omne tempus quod a creatione mundi effluxit, effluetque usque ad extremum iudicii diem, plurimique intersit certas epochas pro historia profana cognoscere, dividi solet sacra scriptura in varias aetates, seu epochas. Nos illam in sex sequentes dispertimur.

Prima epocha a creatione Adami usque ad diluvium se extendit, complectiturque annos . . . 1656

Secunda incipit a fine diluvii, duravitque usque ad egressum hebraeorum ex Aegypto; continet autem annos . . . 887

Tertia initium sumit ab hoc egressu, extenditur usque ad iacta fundamenta templi hierosolymitani, ac amplectitur annos 480

Quarta epocha inchoatur a secundo anno constructionis templi, seu a quinto anno regni Salomonis, perduravitque usque ad templi destructionem, vel potius usque ad libertatem iudaeis per Cyrum post septuaginta captivitatis annos redditam; includit vero annos 452

Quinta exordium ducit ab obtenta iudaeorum libertate, vel ab initio monarchiae persicae, protenditur usque ad Christi natales, complectiturque annos 525

Hi anni simul sumpti Christi nativitatem referunt ad orbis conditi annum 4000

Chronographi autem vehementer disputant, utrum hic sit verus Christi nativitatis annus; varii enim varios a mundi incunabulis usque ad Christi adventum terminos figunt.

Ioannes Regiomontanus Christi nativitatem refert ad annum mundi 6984

Martyrologium Romanum, V. Beda et Eusebius Caes. eam referunt ad annum . . . 5199

Sixtus Sinensis, Pica de Mirandola, multique mathematici ad annum 3962

Petavius et Bellarminus ad annum 3984

Communis vero sententia refert Christi natales cum Usserio, Nat. Alexandro, Tirino, Calmeto, etc. etc. ad annum creationis 4000

Periodique iulianae . . 4710

Sexta tandem epocha incipit a die natalitio Iesu, protenditurque usque ad extrema mundi tempora.

Hic per transennam observandum, aeram vulgarem, a Dionysio Exiguo, monacho scytha, sexto saeculo in ecclesiam invectam, tribus annis et sex diebus verae Christi nativitate posteriorem esse, ita ut hoc anno loco 1857, revera a Christo nato annum 1861 habeamus (1).

(1) Calmet, dict. de la Bible, art. Époque et Ère.

CAPUT I.

DE CANONE LIBRORUM SACRORUM

§ I. Notio canonis.

4. Κανών graece *regulam* significat. In sensu antiquiore ecclesiae sumitur pro catalogo librorum sacrorum seu religiosorum, quos ecclesia ad publicam populorum instructionem adhibet; quare hi libri ipsi canonici dicti sunt. Iuxta usum autem loquendi, a saeculo tertio et quarto receptum, solummodo libri divini, quos tamquam regulam fidei venerari debemus, *canonici* appellantur, atque eorum plena collectio *canon* vocatur.

Libri qui publice in ecclesiis olim praelegebantur, et in canone non erant, ab antiquis, uti et a Sixto Sinensi, Bellarmino, etc. (Conf. n. 18) *ecclesiastici* nuncupati sunt: « Haec » sunt (ait Rufinus in symbolo), » quae patres intra canonem con- » cluserunt, et ex quibus fidei no- » strae assertiones constare volue- » runt: sciendum tamen est, quod » et alii libri sunt qui non sunt ca- » nonici, sed *ecclesiastici* a maiori- » bus appellati sunt (*Conf. Hier.* » *praef. in lib. Salom.*). »

Porro praeter canonem catholicorum duo adhuc alii dantur canones, quorum unus iudaeis, alter acatholicis inservit.

§ II. Canon catholicorum.

5. Libros in catholicorum canone contentos universalis ecclesia pluribus ante tridentinam synodum saeculis ut *canonicos* venerata erat, speciali de iis decisione haud lata. Cum autem saeculo decimo sexto Lutherus ac Calvinus libros, quos deuterocanonicos appellamus, ex librorum sacrorum albo expungere attentarent, patres tridentini sub anathematis poena (n. 10) sequentes libros, omnesque eorum partes ut sacros canonicosque ab unoquoque fidelium suscipi iusserunt.

Libri vero isti sunt: Testamenti veteris, quinque Moysis; id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae primus et secundus, qui dicitur Nehemiae; Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalterium davidicum centum quinquaginta psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim prophetae minores, id est, Oseas, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Michaeas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias, Malachias, duo Machabaeorum, primus et secundus. Testamenti novi, quatuor Evangelia secundum Matthaeum, Marcum, Lucam et Ioannem: Actus apostolorum a Luca evangelista conscripti: quatuordecim epistolae Pauli apostoli, ad romanos, duae ad corinthios, ad galatas, ad ephesios, ad philippenses, ad colossenses, duae ad thessalonicenses, duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad hebraeos: Petri epistolae duae, Ioannis epistolae tres, Iacobi apostoli una, Iudae apostoli una, et Apocalypsis Ioannis apostoli. Ex hisce liquet catholicorum canonem complecti libros proto ac deuterocanonicos veteris ac novi foederis.

§ III. Libri proto ac deuterocanonici veteris et novi foederis.

6. Libri protocanonici veteris foederis sunt omnes veteris testamenti libri, exceptis septem libris integris, et quibusdam fragmentis, quae simul sub nomine deuterocanonicorum huius foederis veniunt. Libri integri sunt 1° Tobias, 2° Iudith, 3° Sapientia, 4° Ecclesiasticus, 5° Machabaeorum primus, 6° Machabaeorum secundus, 7° Baruch. Fragmenta autem sunt, 1° in Danielis prophetia, oratio Azariae et canticum

trium puerorum, c. III, 24-90; historia de Susanna, cap. XIII; excidium Beli et draconis, cap. XIV; 2° in libro Esther posteriora septem capita a cap. X, v. 4 usque ad cap. XVI, v. 24.

Libri protocanonici novi foederis sunt maxima pars librorum novi testamenti, paucis nempe exceptis, quae deuterocanonica novi foederis vocantur. Haec sunt 1° Marci caput ultimum, a v. 9 usque ad finem; Lucae cap. XXII, vv. 43 et 44, seu historia sudoris sanguinei in horto, ac apparitionis angelicae Christo factae; 3° Ioannis cap. VIII, n. v. 2-12, seu narratio de muliere adultera; 4° epistola ad hebraeos; 5° epistola s. Iacobi; 6° epistola secunda s. Petri; 7° secunda et tertia epistola s. Ioannis; 8° epistola s. Iudae; 9° Apocalypsis s. Ioannis.

§ IV. Canon iudaeorum.

7. Canon iudaeorum ex solis libris protocanonicis veteris foederis (n. 6) componitur. Creditur communiter Esdram, virum patriae antiquitatis, rituum iudaeorum, sacrarumque litterarum peritissimum, sexto ante Christum natum saeculo, hunc canonem post captivitatem babylonicam confecisse. Cum libri sacri tempore huius exilii babylonici dissipati essent, atque pro omnium apographorum fato menda hinc inde continerent, Esdras maiorem quem potuit exemplarium numerum collegit, atque iuxta illa editionem quam potuit exactissimam procuravit. Obsoletis variorum locorum nominibus notiora substituit, omnia ex ordine digessit, atque in omnibus libris sacris veteribus characteribus hebraicis chaldaicos, quibus iudaei tempore captivitatis septuaginta annorum adsueverant, iuxta communem eruditorum opinionem, substituit. Arbitrantur tamen nonnulli, canonem iudaeorum ante Machabaeorum tempora tribus aut quatuor saeculis ante Christum ab auctore incerto concinnatum fuisse. Confectum clausumque canonem synagoga approbavit. Libros vero, qui dein conscripti aut detecti fuerunt, ac fragmenta, quae in amplioribus detectis codicibus Danielis ac Estheris inventa sunt, noluerunt iudaei, innovationum inimicissimi, canoni inserere, ne illum immutarent.

Distribuebant iudaei totam sacram scripturam in viginti duos libros, iuxta numerum litterarum sui alphabeti. Nonnulli tamen separantes librum Ruth a libro Iudicum, ac lamentationes Ieremiae ab eius prophetia, numerabant libros viginti quatuor, iuxta normam alphabeti graeci (1), quod et auctores talmudis secuti sunt.

En qua ratione Flavius Iosephus (lib. 1, § 8 contra Apionem) libros sacros iuxta hebraeorum usum recenseat.

5. Libri Moysis seu Pentateuchus	1 Genesis.
	2 Exodus.
	3 Leviticus.
	4 Numeri.
	5 Deuteronomium
13. Prophetarum	1 Iosue.
	2 Iudices et Ruth.
	3 Libri Samuelis 2.
	4 Libri Regum 2.
	5 Libri Paralipomenon 2.
	6 Esdras et Nehemias.
	7 Esther.
	8 Isaias.
	9 Ieremias et Lamentationes.
	10 Ezechiel.
	11 Daniel.
	12 Prophetae minores 12.
	13 Iob.
4. Aliorum	1 Psalmi.
	2 Proverbia Salomonis.
	3 Ecclesiastes.
	4 Canticum Canticorum.
22	22

§ V. Canon protestantium.

8. Acatholicorum canon semper varius fuit. Lutherus, primique protestantes e catalogo librorum sacrorum reiecerunt omnes libros deuterocanonicos veteris foederis ac fere omnes deuterocanonicos novi foe-

(1) Vide Hier. in Prologo galeato.

deris: epistolam scilicet ad Hebraeos, epistolam Iacobi et Iudae, secundam Petri, secundam et tertiam Ioannis, ac Apocalypsin.

Calvinus, eiusque primi asseclae, pariter ex albo librorum sacrorum eiecerunt omnes libros deuterocanonicos veteris testamenti; deuterocanonicos autem novi testamenti retinuerunt.

Protestantes autem ideo potissimum dictos libros respuerunt quod se iis nimium urgeri sentiebant. Mos iam invaluerat apud antiquos haereticos, ut observat s. Hieronymus, *Ut quidquid contrarium suo dogmati viderant, vel eraderent, vel etiam integre repudiarent*.

Acatholici vero non pauci hoc nostro tempore fatentur, licet libros deuterocanonicos veteris foederis ut canonicos non agnoscant, maiores suos odio potius romanae ecclesiae, quam gravibus rationibus ductos, libros deuterocanonicos ex canone delevisse, et dubia, ex eorum argumento adversus illorum canonicam auctoritatem petita, facile solvi posse. Fatentur hosce libros ob doctrinae excellentiam, et nationis iudaicae historiam, ob vaticiniorum intelligentiam, ad quam necessariae sunt Machabaeorum historiae, atque ob praecepta saluberrima, quibus libri Sapientiae ac Ecclesiastici potissimum abundant, maximae utilitatis, lectuque dignissimos esse.

Canon autem hodiernus novi foederis protestantium idem est, saltem communius in Germania, ac ille catholicorum. Recentiores tamen nonnulli protestantes dubia movent de cap. I ac II s. Matthaei, de 12 ultimis versibus capitis ultimi s. Marci, de cap. XXI s. Ioannis et de eius Apocalypsi. Eorum difficultates suo loco solvemus.

§ VI. Canon catholicorum, seu concilii tridentini, conformis est praecipuarum ecclesiarum antiquarum canonibus, plurimorumque patrum quinque primorum saeculorum scriptis, quare concilium tridentinum illum merito condidit.

9. Hic sermo non est de libris protocanonicis veteris foederis, de quorum canonica auctoritate, utpote universali traditione nixa, iudaei ac protestantes cum catholicis conveniunt. Nec hic quaestio est de libris protocanonicis novi foederis, quos pariter universali traditioni innixos, acatholici nobiscum ut vere canonicos venerantur. Propositio libros deuterocanonicos respicit.

Tempore s. Augustini, saeculo quinto, nonnullae ecclesiae particulares de numero librorum sacrorum nondum consentiebant; quod mirum non est, tum quod ecclesia nullum adhuc librorum sacrorum canonem condidisset, tum quod multa scripta apostolorum ad ecclesias particulares primitus directa fuissent, quae proinde tam cito in notitiam omnium omnino ecclesiarum particularium pervenire haud poterant, et de quorum authenticitate ac auctoritate consequenter nondum certo constare poterat. S. Augustinus autem (*lib. 2 de doctrina christiana, c. 8*) praeclaram de admittendis sacris scripturis tradit regulam.

Hanc concilium tridentinum secutum est. « In canonicis scriptu-
» ris (ait Augustinus ibidem), eccle-
» siarum catholicarum quam plu-
» rium auctoritatem sequatur (chri-
» stianus). Tenebit itaque hunc mo-
» dum in scripturis canonicis, ut
» *eas, quae ab omnibus ecclesiis acci-*
» *piantur*, praeponat iis, quas *quae-*
» *dam* non accipiunt, in iis vero,
» quae non accipiuntur ab omnibus,
» praeponat eas quas *plures gravio-*
» *resque* accipiunt iis, quas paucio-
» res *minorisve auctoritatis ecclesiae*
» tenent. *Totus autem canon scri-*

» *plurarum*, in quo istam considerationem versandam diximus, his » libris continetur; » addit dein s. Augustinus canonem librorum sacrorum, qui conciliorum hipponensis et carthaginiensium (de quibus mox) fuit, et qui conformis est canoni tridentino. Scivit itaque s. Augustinus libros sacros, quorum eumdem canonem, ac postea concilium trid. condidit, a pluribus gravioribusque ecclesiis ut canonicos haberi; secus enim illos iuxta propriam suam regulam in canonem non redegisset.

10. Cum nonnulli de librorum deuterocanonicorum auctoritate dubitarent, concilium hipponense anno 393 celebratum, et concilia carthaginiensia annis 397 et 419 habita, eosdem libros, ac tridentina synodus, canonicos declararunt. Concilium vero carthaginiense anni 397 canone 47 rationem addidit, dicens: « A patribus ista accepimus in ecclesia legenda. »

11. S. Innocentius I R. P., anno 405, eumdem librorum sacrorum canonem, qui in concilio tridentino reperitur, transcripsit in epistola ad Exsuperium episcopum toletanum, adiungens, se ei respondere « quid » sequendum vel docilis ratio suaderet, vel auctoritas lectione ostenderet, vel *custodita series temporum* probaret. »

12. Gelasius R. P. in concilio romano anno 494 celebrato eosdem libros ut canonicos recensuit, quos postea recensuit concilium tridentinum. Ex quibus liquet potiores ecclesias, romanam nempe et africanam, eumdem saeculo quinto canonem habuisse, quem postea texuit synodus tridentina.

13. Eugenius IV R. P. in decreto ad armenos anno 1441, eosdem libros, eisdemque nominibus enumeravit, quos dein enumeravit concilium tridentinum.

14. Eumdem tridentinae synodi canonem agnovit ecclesia graeca hodierna; haec enim a protestantibus saeculo septimodecimo invitata ad se illis iungendam, celebrato Hierosolymis sub patriarcha Dositheo anno 1670 concilio, synodali responso protestantibus dato de libris in canone tridentino contentis, professa est: « Hos omnes iudicamus esse canonicos, et sacram scripturam declaramus, quoniam eos tradidit *antiqua consuetudo, seu potius ecclesia catholica.* » Quibus verbis antiquae ecclesiae graecae traditionem de libris canonicis testatur.

15. Inter libros sacrae scripturae retulerunt,

Ex veteri foedere

1° Librum Estheris

Saeculo tertio Origenes; saeculo quarto s. Epiphanius, s. Hieronymus, s. Hilarius, s. Basilius Magnus, s. Chrysostomus; et saeculo quinto s. Augustinus:

2° Librum Tobiae

Saeculo tertio Clemens Alex., s. Cyprianus et Origenes; saec. quarto s. Ambrosius, s. Basilius Magnus; et saec. quinto s. Augustinus:

3° Librum Iudithae

Saeculo primo s. Clemens Rom.; saec. tertio Clemens Alex., Origenes et Tertullianus; saec. quarto s. Ambrosius et s. Hieronymus; saeculo quinto s. Augustinus:

4° Librum sapientiae

Saeculo secundo s. Irenaeus; saec. tertio Clemens Alex., Origenes, Tertullianus et s. Cyprianus; saeculo quarto Eusebius Caes., s. Basilius Magnus, s. Hilarius, s. Epiphanius et Lactantius:

5° Librum Ecclesiastici

Saeculo tertio Clemens Alex., Origenes, Tertullianus et s. Cyprianus; saec. quarto s. Athanasius, s. Basilius Magnus, s. Ephraem, s. Epipha-

nius et s. Ambrosius; saec. quinto s. Augustinus et s. Fulgentius:

6° Libros Machabaeorum, primum et secundum,

Saeculo tertio Clemens Alex., Origenes, Tertullianus et s. Cyprianus; saec. quarto Lucifer Calarit., s. Gregorius Naz. et s. Ambrosius; saec. quinto s. Augustinus:

7° Epistolam Ieremiae genuinum huius prophetae ac divinum opus esse attestantur saec. tertio s. Cyprianus; saec. quarto s. Hilarius et s. Athanasius. Auctor secundi Machabaeorum, c. II, 1-2 ex hac epistola testimonium refert:

8° Librum Baruch, quem plures patres sub nomine Ieremiae recensent (n. 21, resp.), scripturae sacrae adnumerarunt saec. quarto Eusebius Caes., s. Athanasius, s. Basilius Magnus, s. Cyrillus Hieros. et s. Chrysostomus. Propheta Daniel nonnulla ex libro Baruch in suam prophetiam transtulit:

9° Hymnum trium puerorum, historiam Susannae et historiam Beli ac draconis ad sacram scripturam pertinere constat, quod patres librum Danielis sine ulla restrictione scripturae sacrae adnumerarint. In specie Susannae historiam scripturae sacrae accensuerunt saec. primo s. Ignatius martyr; saec. tertio Origenes; saec. quarto s. Athanasius, s. Gregorius Naz. et Rufinus Aquil.; saec. quinto s. Fulgentius.

Ex novo foedere

Epistolam secundam s. Petri

Saeculo secundo s. Irenaeus, saec. tertio Origenes, saec. quarto Eusebius Caes., s. Cyrillus Hieros., s. Hieronymus, s. Epiphanius, s. Athanasius, s. Macarius, Firmilianus, auctor Synopseos, Novatianus, et saec. quinto s. Augustinus:

Secundam et tertiam epist. s. Ioannis

Saec. secundo s. Irenaeus, saec. tertio Clemens Alex., Tertullianus, saec. quarto s. Athanasius, s. Ambrosius, s. Cyrillus Hieros. et s. Hieronymus, saec. quinto s. Augustinus:

Epistolam ad hebraeos

Saec. primo s. Clemens Rom.; saec. secundo patres illam sacrae scripturae accensuisse testatur Origenes; saec. tertio Clemens Alex., Origenes, Dionysius Alex.; saeculo quarto Eusebius, s. Athanasius, s. Epiphanius, et saec. quinto s. Augustinus.

Epistolam s. Iacobi

Saec. secundo s. Irenaeus; saec. tertio Clemens Alex., Origenes, Tertullianus; saeculo quarto Eusebius Caes., s. Hilarius, s. Epiphanius, s. Athanasius, s. Chrysostomus; s. Ambrosius, s. Hieronymus; et saeculo quinto s. Augustinus:

Epistolam s. Iudae

Saeculo tertio Clemens Alex., Origenes et Tertullianus; saec. quarto s. Epiphanius, s. Cyrillus Hieros., s. Gregorius Naz., s. Hieronymus, et Rufinus; saec. quinto s. Augustinus:

Apocalypsin

Saec. secundo s. Irenaeus, Melito Sardensis et s. Iustinus; saec. tertio Clemens Alex., Origenes, Tertullianus; saec. quarto Eusebius Caesar., s. Hilarius, auctor Synopseos, s. Epiphanius, s. Basilius Magnus, s. Gregorius Naz.; et saec. quinto s. Augustinus.

Caput ultimum s. Marci canonicum esse testantur s. Irenaeus, qui ex eo testimonium profert, ac s. Augustinus, qui illud cum dictis aliorum evangelistarum conciliat.

Historiam de sudore sanguineo Christi, et apparitione angeli eum consolantis, Luc. XXII, 43-44, canonicam esse probant s. Irenaeus, s. Augustinus, ac consensus graecorum,

latinorum, syriacorum ac arabicorum codicum, qui illam recensent.

Historiam de muliere adultera, Ioan. VIII, 2-12, canonicam esse testantur Ammonius Alex., auctor Synopseos, s. Ambrosius, s. Hieronymus, s. Augustinus, ac codices, quos complutenses et anglicani editores bibliorum polyglottorum contulerunt (1). Et en quam conformis sit canon tridentinus praecipuarum ecclesiarum antiquarum canonibus, plurimorumque patrum quinque primorum saeculorum scriptis!

16. His adde, argumentum ipsum librorum deuterocanonicorum, utpote qui, ut libri protocanonici, praeceptis saluberrimis, divinisque veritatibus pleni sunt, in eorum canonicitatis gratiam militare.

17. Tandem codex versionis italae apud Cassiodorum omnes libros deuterocanonicos inter divinas scripturas recenset. Quis autem crederet, versionem hanc, apostolorum fere temporibus, ut creditur, confectam, inter omnes versiones principem, a latinis ecclesiis universaliter usurpatam, ac quae ecclesiam occidentalem et nascentem fovit, et adolescentem sustentavit, absque ullo discrimine complexam esse libros canonicos et apocryphos?

Hinc concilium tridentinum adversus protestantes, libros deuterocanonicos ex canone et ex ecclesiis eliminatos volentes, merito edixit: « Si quis libros ipsos integros, cum » omnibus suis partibus, prout in » ecclesia catholica legi consueve» runt, et in veteri vulgata latina » editione habentur, pro sacris et » canonicis non susceperit... ana» thema sit (2). »

18. Testibus autem Pallavicini et Sarpi (3), cum patres tridentini de condendo librorum sacrorum canone deliberarent, nonnulli contenderunt libros deuterocanonicos in separatum canonem referendos esse; sed tandem omnes sessioni praesentes, quadraginta et octo scilicet episcopi, ac quinque cardinales consenserunt, ut omnes libri uno ordine recenserentur, prout sessione quarta leguntur (vide n. 5). Cl. Lamy et Iahn distinctionem inter libros proto ac deuterocanonicos adhuc subsistere existimant, sed id alii negant. Cl. Iahn libros deuterocanonicos veteris foederis in secundo canone collocat (4), tum quod apud iudaeos extra canonem fuerunt, ac a nonnullis antiquis patribus ut dubiae fidei habiti, aut etiam reiecti fuerunt, tum ob aliquorum difficultates intrinsecas.

« Diversis canonibus diversarum » ecclesiarum antiquarum nititur, » ait cl. Lamy, distinctio qua Sixtus » Sinensis et Bellarminus cum om» nibus eruditis collocant libros scri» pturae sacrae in tribus classibus. » In prima ponunt ab omni tempo» re ut canonicos receptos; in se» cunda reponunt illos, qui nonnisi » successu temporis recepti fuerunt, » sed qui semper in ecclesiis lecti » fuerunt, et qui ideo *ecclesiastici* » nuncupati fuerunt, ut distingue» rentur a canonicis. In tertia classe » sunt illi, qui numquam in ecclesia » lecti fuerunt, et apocryphi vocan» tur . . .

» Magnae fiunt obiectiones adver» sus historias Tobiae, Iudith et Su» sannae, de quibus ne verbum qui» dem occurrit in libris Regum et » in Fl. Iosepho. Caeterum quocum» que tempore contigisse ponantur, » difficillime conciliantur cum eis, » quae reperiuntur in libris proto-

(1) Vide opera patrum hic citatorum apud cl. Wiest theologiae dogm. t. p. 582, edit. Ingolstadii 1790.

(2) Conc. trid. sess. 4.

(3) Pallavic. historiae conc. trid. l. 6, n. 4. Antv. 1670; Sarpi, histoire du concile de Trente l. 2, p. 140. Amst. 1686.

(4) Iahn, introd. in lib. ss. V. F. sect. 4, § 216, edit. Viennae 1804.

» canonicis, inveniuntur autem om- » nes istae difficultates explicatae in » doctis commentariis. Ss. patres » cogitasse videntur hos libros esse » utiles et ad aedificandum aptos, » quin historiae veritatem attende- » rent, quemadmodum liber Iobi fo- » ret ad instructionem aptissimus, » licet Iob numquam extitisset. Ex » epistola Africani ad Origenem, et » ex huius responsione ad illum, » concludere possumus a primis ec- » clesiae saeculis alios historiam Su- » sannae veram, alios autem cre- » didisse falsam. Aliqui libros To- » biae, Iobi et Iudith pro parabolis » et allegoriis habuerunt (1). »

Fatemur et nos in nonnullis libris deuterocanonicis occurrere difficultates, quae non adeo commode solvuntur, ac difficultates librorum protocanonicorum, illasque antiquitus nonnullos catholicos induxisse, ad illos libros dubiae fidei habendos, vel etiam reiiciendos. Verum multae difficultates, quae olim a quibusdam iactabantur, nimis a longe petitae ac detortae erant. Maioribus horum librorum difficultatibus satisfacere conabimur, penesque aequum lectorem iudicium erit, utrum libri deuterocanonici a protocanonicis adhuc distingui mereantur, necne. Patebit autem, veteres protestantes praeoccupatis opinionibus odioque romanae ecclesiae actos fuisse (n. 8), dum libros deuterocanonicos ex ecclesiis eliminatos vellent.

DIFFICULTATES GENERALES CANONIS

§ VII. Silentium Christi et apostolorum de libris deuterocanonicis veteris foederis, ac horum librorum a canone iudaeorum absentia.

19. *Obi.* 1° Christus et apostoli, aiunt, saepius citarunt libros protocanonicos veteris foederis, sed numquam libros deuterocanonicos. 2° Iudaei numquam in suo canone habuerunt libros deuterocanonicos.

Resp. Christus et apostoli etiam nonnullos libros protocanonicos veteris foederis, numquam citarunt, ut libros Iudicum, Ruth, etc.; quare si dumtaxat canonici essent libri ab illis allegati, nec omnes protocanonici tales forent.

Christus et apostoli modo textus ex libris particularibus, modo scripturam sacram generaliter allegabant, et hoc ultimo modo intelligebant sane illos libros sacros, queis iudaei divinam auctoritatem tribuebant; sed cum numquam librorum sacrorum canonem texuerint, quaestio ex eorum testimoniis sive generalibus sive particularibus solvi nequit. Hinc videndum quinam libri apud iudaeos divina auctoritate gauderent. Libros protocanonicos divinam apud iudaeos habuisse auctoritatem, universalis eorum traditio testatur, deuterocanonicos autem aequali fere apud illos gavisos esse auctoritate, probant sequentia.

Fl. Iosephus (*L. 1, contra Apionem*, § *8*) ait, libris eorum ab Artaxerxis temporibus, quibus ipsorum canon confectus est, compositis, magnam ab eis venerationem fuisse exhibitam; dicit autem illos non tanta gavisos esse auctoritate, quanta gaudebant protocanonici, quod successio hagiographorum, seu scriptorum inspiratorum, haud satis certa videretur. — R. Maimonides testatur (*in Morè Nebochim, part. II, cap. XLV*), apud iudaeos duplicis generis hagiographa extitisse; alia dicebantur a Spiritu sancto per secundum prophetiae gradum *Ruach hakkodesch* inspirata fuisse, quae scripta secundum eminentiam appellata *Chetubim*, in iudaeorum canone erant. Alia credebantur post captivitatem, dum nobiliora prophetiarum genera defecerant, equidem a Deo inspirata, sed nonnisi per *Bath-Kol*, filiam

(1) Lamy, apparat de la bible, l. 2, ch. 2, edit de Paris 1697.

vocis. Quae ultima scripta in eorum canone non erant. — S. Hieronymus refert (*praef. in lib. Iudith et Tobiae*), libros Iudith et Tobiae inter hagiographa, seu scripta sacra, a iudaeis legi consuevisse. — Iunilius, in Africa episcopus, scribit (*de partit. divin. leg.* c. 3), libros deuterocanonicos a iudaeis recipi, cum aliquo tamen discrimine inter protocanonicos. — *Talmudici* ipsi hisce libris utuntur, licet eos non laudent. — Quamvis canon iudaeorum palaestinensium illos libros non continuerit, dubitari haud potest, quin fuerint in *versione alexandrina* LXX interpretum, et cum ipsa ecclesiis traditi ab apostolis. Nisi enim hoc factum fuisset, non intelligeretur, quomodo pleraeque ecclesiae eos sine diffidentia a iudaeis suscepissent. Caeterum id omnes manuscripti codices probant, ac apostoli innuunt, qui sententias ex libris Sapientiae, Ecclesiastici, Tobiae et Machabaeorum allegant (1).

2° Ratio autem, cur iudaei libros deuterocanonicos suo canoni non inseruerint, esse videtur, quod conscripti aut detecti, amplioresque codices librorum Estheris et Danielis reperti fuisse videntur, postquam illorum canon confectus (n. 7), clausus et a synagoga approbatus esset; noluerunt nempe suum canonem immutare hosce libros illi inserendo. Interim illos magna veneratione prosecuti sunt; sed discrimen eos inter et protocanonicos instituebant.

§ VIII. Absentia librorum deuterocanonicorum a canone nonnullorum antiquorum patrum, et concilii laodiceni.

20. *Obi.* Melito Sardensis saec. secundo episcopus, dicunt, Origenes, s. Epiphanius, s. Gregorius Naz., s. Hieronymus, ac celebre concilium laodicenum, nonnisi libros protocanonicos in suis canonibus librorum sacrorum collocant.

Resp. Cum iudaei discrimen inter libros proto ac deuterocanonicos instituerent hosque ultimos in suo canone haud recenserent, factum est, ut nonnulli antiqui patres ecclesiae libros deuterocanonicos more iudaeorum in suis canonibus haud collocarent. Sic Melito, peragrato Oriente consultisque iudaeis palaestinensibus, Onesimo, ipsum hac de re consulenti, Τῶν ὁμολογουμένων τῆς Παλαιᾶς Διαθήκης κατάλογον, *librorum non controversorum catalogum* misit, in quo deerant libri deuterocanonici veteris foederis, immo libri Esther et Nehemias. Librum Esther nonnulli alii antiqui patres pariter in canone non recensent. Cur id? obscurum est (conf. n. 255.)

Exinde autem quod Melito scripserit canonem librorum ὁμολογουμένων, *haud controversorum*, observante Eusebio, liquet, tum fuisse libros ἀντιλεγουμένους, *controversos*, omnesque de numero librorum sacrorum veteris foederis haud consensisse.

Origenes equidem canonem, illi Melitonis quoad substantiam similem, confecit (2), sed pariter iuxta hebraeorum testimonium; immo ibi libros Machabaeorum extra canonem diserte collocat. Interim in aliis suis scriptis libros Machabaeorum (3), historiam Susannae, libros Tobiae, Iudith (4) et Ecclesiastici (5), ut scripturam divinam citat, atque ex eis argumenta deducit. Observat autem generatim (6), veteres iudaeos plures scripturae partes in canonem non retulisse, eo quod nationi suae probro erant, divinam autem providentiam disposuisse, ut christiani hos quoque libros agnoscerent.

S. Epiphanius, s. Gregorius Naz.,

(1) Vide cl. Huetium, demonstratio evangelica.
(2) Euseb. hist. eccles. lib. VI, c. 18.
(3) Comment. in Ioan. (4) Contra Iulium Africanum. (5) Contra Celsum, l. VIII.
(6) Cont. Iul. Afric.

s. Hieronymus ac nonnulli alii prisci patres, equidem solos libros protocanonicos in canone veteris foederis enumerant; sed id probat dumtaxat, quod libros sacros de quorum canonica auctoritate omnes consentiebant, recensere voluerint, non item illos de quorum auctoritate nonnulli disputabant, ob discrimen, quod iudaei inter hos libros et inter protocanonicos faciebant.

Interim s. Epiphanius ut scripturam sacram citat libros Sapientiae et Ecclesiastici, s. Gregorius Naz. ut libros sacros allegat Baruch, Sapientiam, Ecclesiasticum ac historiam Susannae, atque Hieronymus inter alia citans caput III Sapientiae: « Dicente » scriptura, inquit, in malevolam a» nimam non intrabit sapientia (1), » et allegando caput XXII Ecclesiastici: « divina, ait, scriptura loquitur: Mu» sica in luctu importuna narra» tio (2). »

Hieronymus praefatione in libros Salomonis equidem dicit: « Sicut Iu» dith et Tobiae et Machabaeorum » libros legit quidem ecclesia, sed » illos inter canonicas scripturas non » accipit; sic haec duo volumina (Sa» pientiae et Ecclesiastici) legat ad » aedificationem plebis, non ad au» ctoritatem ecclesiasticorum dog» matum confirmandam. »

Ast ne s. Hieronymus secum ipse pugnet, dicendum est eum voluisse dicere, quod hi libri, cum ab omnibus ecclesiis particularibus non eodem cum protocanonicis loco ponerentur, haud magna auctoritate pollerent adversus eos, qui illorum auctoritatem canonicam haud agnoscebant. S. Hieronymum libros Sapientiae et Ecclesiastici ut reliquam scripturam sacram veneratum esse, ex textibus inde allegatis vidimus.

In praefatione in Danielem ait adhuc s. Hieronymus: « Daniel apud » hebraeos nec Susannae habet hi» storiam, nec hymnum trium pue» rorum, nec Belis draconisque fa» bulas. »

Verum libro 2, c. 9, apologiae adversus Rufinum, dicit, se ita locutum esse ex iudaeorum sententia: « Quod autem refero, inquit, quid » adversum Susannae historiam, et » hymnum trium puerorum, et Belis » draconisque fabulas, quae in vo» lumine hebraico non habentur, he» braei soleant dicere, qui me cri» minatur stultum, se sycophantem » (calumniatorem) probat; non enim » quid ipse sentirem, sed quid illi » contra nos dicere solent, explica» vi. » Conf. n. 374.

Concilium laodicenum revera libros deuterocanonicos veteris foederis in suo canone non recenset; sed id evincit tantummodo, hoc concilium noluisse eodem loco ponere libros, de quorum auctoritate nonnullae ecclesiae particulares adhuc dubitabant, non vero quod iudicaverit hosce libros non esse sacram scripturam.

Aliunde hoc concilium, circa annum Christi 372 a viginti duobus episcopis celebratum, tantum est particulare. Recenset autem ex novo testamento omnes libros qui reperiuntur in canone tridentino, sola Apocalypsi excepta.

Ex harum difficultatum solutione liquet, iudaeos ac nonnullos antiquos patres in suis canonibus discrimen instituisse inter libros proto ac deuterocanonicos veteris foederis. Illos autem hosce ultimos libros ut sacram scripturam non habuisse, nullo argumento evincitur, immo contrarium vidimus. Etsi etiam nonnulli patres de illorum auctoritate dubitassent, aut varia variis in locis scripsissent, haec principaliorum pluriumque ecclesiarum auctoritati minime officerent.

(1) Comm. in c. XVIII, Ier. (2) Ep. 34 ad Iulianum

§ IX. Difficultates canonum conc. carthag. ann. 297, Gelasii, Innocentii I, Eugenii IV, et concilii tridentini.

21. *Obi.* 1° canon 47, qui ex concilio carthaginiensi anni 397 allegatur, huius concilii non est, ad finem enim huius concilii legitur: « Hoc » etiam fratri et consacerdoti nostro » Bonifacio, vel aliis earum partium » episcopis innotescat. » At anno 397, quo hoc concilium celebratum est, non Bonifacius, sed Siricius rom. pontifex fuit. — Hoc concilium carthaginiense in canone 47 omittit librum Baruch, uti et codex canonum ecclesiae africanae.

2° Decretum sub Gelasii nomine citatum, Cavaeo spurium videtur, quia aliqui antiqui codices id R. P. Damaso attribuunt, et Baronius ipse partem huius decreti ex concilio sub Damaso refert. Codex Iuriensis illud papae Hormisdae tribuit, et Adhelmus ipsum exhibet tacito Gelasii nomine. — Gelasii in decreto omittitur liber Baruch, et unus dumtaxat recensetur liber Esdrae, et unus liber Machabaeorum.

3° Epistola Innocentii I ad Exsuperium dubiae est auctoritatis.

4° Decretum Eugenii IV conditum est quando graeci ex concilio florentino digressi iam erant.

5° Concilium tridentinum non potuit iudicium ferre de scripturis, utpote ipsis haud superius. — Patres tridentini numerum librorum canonicorum determinare non potuerunt, nisi iuxta specialem revelationem, aut iuxta traditionem ecclesiarum; specialem revelationem non habuerunt, et traditio ecclesiarum origine tenus non fuit unanimis, ut s. Augustinus (*l. 2 de doctrina christiana, c. 8*), saeculo quinto testatur. — Scriptura est lucerna, lumen, evidenter credibilis, iuxta ps. CXVIII, 105 seipsam manifestat.

Resp. 1° Allegata subscriptio pertinet ad concilium carthaginiense anni 419, ut observat Harduinus in recensione praefati canonis. Hoc concilium sub Bonifacio I habitum fuit, et in illo inter solemniter confirmatos canones priorum conciliorum africanorum reperitur dictus canon 47 concilii carth. an. 397. — Sacrae antiquitatis haud prorsus ignaris notum est, librum Baruch sub nomine Ieremiae, cuius Baruch amanuensis fuit, ab antiquis scriptoribus ecclesiasticis comprehendi solere. Patet id inter alia ex s. Augustino (*l. XVIII de civitate Dei, c. 53*), et ex collatione textuum libri Baruch a s. Cypriano, Clemente Alex. et s. Ambrosio citatorum (1). Hinc etiam dictum concilium carth., *canon 24 codicis ecclesiae africanae* et *Gelasius* R. P. hunc librum sub nomine Ieremiae comprehenderunt.

2° Cavaei coniecturam refellunt auctores antiquissimi, ut Hincmarus Rhemensis, Burkardus Wormatiensis, Lanfrancus, etc., ac omnes actorum conciliorum collectores, qui decreti Gelasii mentionem expressam faciunt. Si autem decretum hoc reapse papae Damasi esset, quid inde? eo profecto antiquius ac venerabilius foret; ast communi criticorum iudicio Gelasio vindicatur. — Gelasius librum Baruch sub nomine Ieremiae comprehendit, ut et alii antiqui patres fecerunt. Unum autem librum Esdrae, et unum Machabaeorum commemoravit, eo quod in duobus utrinque libris, una fere eademque refertur historia. Hebraei equidem 2 libros Regum, 2 Paralip., et 12 libros Prophetarum minorum nomine unius libri recensebant (conf. n. 7). Caeterum in aliis antiquissimis decreti Gelasii codicibus, teste Harduino, legitur: Duo libri Esdrae, et duo libri Machabaeorum.

(1) Cyprian. test. l. 2. c. 6. Clem. Alex. Paedag. l. 1, c. 10 et l. 2, c. 2. Ambr. ser. 18, in ps. 118

3° Gratuita assertio gratis negatur. Celeberrima haec Innocentii I epistola ab omnibus bonis criticis huic pontifici adscribitur, et Dionysius Exiguus, saeculi sexti scriptor, illam iam refert.

4° Decretum hoc ab Eugenio quarto publica in sessione, Romae in ecclesia lateranensi habita, latum fuit. Num, quod graeci discesserant, illud nulla auctoritate pollet? Scimus ecclesiam graecam eumdem librorum sacrorum canonem habuisse (conf. n. 14); an quid aliud requiritur?

5° Necesse haud est, ut concilium trid. sit scripturis sacris superius, ad decernendos libros sacros, et ad iudicandum iuxta traditionem ecclesiarum, libros deuterocanonicos esse scripturam sacram. — Patres tridentini ad determinandum numerum librorum sacrorum nec revelatione speciali, nec consensu omnium ecclesiarum antiquarum physice unanimi indiguerunt, secuti sunt praeclaram regulam s. Augustini (*lib. 2, de doct. chr. c. 8*), quod in determinandis scripturis sacris sequenda sit maior potiorque pars ecclesiarum, quae in testanda traditione a vero aberrare haud potest. — Scriptura, quam constat esse sacram scripturam, est sane lucerna, lumen et evidenter credibilis, semetipsam manifestans; sed prius ex traditione, aut ex ecclesiae declaratione constare debet, quaenam scriptura sit scriptura sacra.

Nota. Difficultates particulares librorum deuterocanonicorum vide ubi de his libris agimus.

§ X. De libris apocryphis.

22. Libri publice praelegi haud soliti Ἀπόκρυφοι, *apocryphi*, seu *occulti*, dicti sunt. A quarto autem saeculo apocryphi dicuntur libri, qui sunt extra canonem. Duae dantur librorum apocryphorum classes.

Prima complectitur libros *pseudepigraphos*, eosque, qui licet a bonis auctoribus scripti, utilitatem legentibus afferre possent, ex albo tamen librorum sacrorum exclusi sunt. Huiusmodi sunt liber III et IV Esdrae, III et IV Machabaeorum, Oratio regis Manassis, bonis sensibus plena, de qua II Paralip. XXXIII, 19 fit mentio, tamquam e sermonibus Hosai repetita, psalmus CLI, aliquibus editionibus LXX interpretum additus, tamquam compositus a Davide post devictum Goliath, prologus ad librum Ecclesiastici, praefatiuncula ad lamentationes Ieremiae, et appendices graeci ad caput II et ultimum Iobi.

Secunda classis continet libros, qui vel a rabbinis, vel ab haereticis, vel ab impiis conscripti, mendacia et errores tradunt, cuiusmodi sunt: psalmi Adami et Hevae, liber generationum Adae, evangelium Hevae, adscensio et adsumptio Moysis, Parva Genesis, testamentum duodecim patriarcharum, etc.

Hic etiam pertinent plura antiqua evangelia, ut evangelium secundum hebraeos, aegyptios, duodecim apostolos, secundum Petrum, Paulum, Bartholomaeum, Matthiam, Thomam, Andream, Philippum, Thaddaeum, Barnabam, Nicodemum, evangelium syriacum, ac evangelia Basilidis, et Apellis et Tatiani (conf. n. 504).

Acta Andreae, et Philippi, et Thomae, a Gelasio R. P. proscripta, acta s. Petri, seu periodi Petri, acta s. Ioannis evangelistae, acta s. Philippi, acta s. Matthiae.

Plures apocalypses, ut illae Pauli, et Thomae et Stephani (1), etc.

Critici haud conveniunt utrum ad primam classem librorum apocryphorum referenda sint: Epistola Chri-

(1) Vide de his plura in Fabritio: codex pseudepigraphus veteris testamenti, et codex apocryphus novi testamenti.

sti ad Abgarum, vel Abagarum Edessae regulum seu principem; acta s. Pauli et Theclae, epistola s. Barnabae, liber pastoris, canones dicti apostolorum, constitutiones apostolicae nuncupatae. Memorantur adhuc variae epistolae s. Pauli, v. g. ad laodicenses, plures ad Senecam, et Senecae ad Paulum.

§ XI. De libris deperditis.

23. In sacris bibliis fit mentio de multis libris, qui modo haud amplius extant. Tales sunt: Volumen foederis allegatum (Exodi XXIV, 7); liber bellorum, citatus (Num. XXI, 14); liber iustorum (Iosue X, 13, et II Reg. I, 18); liber Samuelis de lege regni (I Reg. X, 25); 3000 parabolae Salomonis (III Reg. IV, 32); 1005 cantica Salomonis, quorum omnia, ut et parabolarum, haud existunt (ibidem): Salomonis physica (ibid. v. 33); liber verborum dierum Salomonis (III Reg. XI, 41); liber sermonum dierum regum Iudae (III Reg. XIV, 29); liber verborum Israël (ib. v. 19); liber Samuelis videntis, et Nathan prophetae, et Gad videntis (I Paralipom. XXIX, 29); liber Ahiae Silonitis, Addo videntis (II Paralip. IX, 29); liber Semeiae prophetae (II Paralip. XII, 15); liber Iehu Hanani (II Paralip. XX, 34); Sermones Hozai (II Paralip. XXXIII, 19); epistola Eliae prophetae ad regem Israël (II Paral. XXI, 12); liber sacerdotii Hircani (I Machab. XVI, 24); Ieremiae descriptiones (II Mach. II, 1) vaticinium Henoch (epist. Iudae, v. 14).

Porro si non omnes, saltem aliqui ex libris deperditis, hic recensitis, divinam apud iudaeos habuerunt auctoritatem, illi praesertim, qui non modo in libris sacris superstitibus citantur, sed et cum laude tituloque prophetae referuntur (1).

Propugnato librorum sacrorum canone, ad eorum divinitatem ex professo stabiliendam transimus.

CAPUT II.

DE DIVINITATE LIBRORUM SACRORUM

§ I. Utilitas verbi divini scripti.

24. Absolute necessarium non esse, ut revelationes divinae scriptis tradantur liquet, quod ecclesia patriarchalis ante legem scriptam Moysis a Deo condita, conservata, atque ad posteros propagata fuerit, quin praecepta religionis revelatae litteris consignata essent, et quod apud catholicos dentur traditiones quae ab origine scriptis mandatae haud fuerunt. Verum verbi divini scripturam maxime utilem esse, mediumque apprime idoneum ad revelatam doctrinam posteris transmittendam, atque ad varias hominum deceptiones removendas, nemo rem rite considerans negarit.

§ II. Necessitas inspirationis.

25. Dignante autem Deo divinas suas revelationes nobis scripto tradere, oportet scriptores earum errori minime obnoxios esse; cum secus dubitari posset, utrum illi imbecillitate humana non caespitavissent, falsaque veris haud admiscuissent; atque ita de ipsis revelationibus divinis dubitandi via latissima pateret: « Admisso semel, ait s. Augustinus, in tantum auctoritatis » fastigium aliquo mendacio, nulla » librorum illorum particula rema» nebit, quae non utcumque vide» bitur vel ad mores difficilis, vel » ad fidem incredibilis (2). »

§ III. Notio inspirationis.

26. Veteres patres ac antiqui theologi, generaliter, docuerunt simpliciter libros sacros esse inspiratos. Sed cum saeculo decimo sexto in modum ipsum inspirationis inquireretur, *duplex* distincta fuit *inspiratio*.

(1) Vide Bonfrerium, praeloquia ad scripturam c. 6, et Serar. proleg. c. 8.
(2) August. epist. ad Hieronymum.

Prima et proprie dicta inspiratio est *revelatio*, qua Deus auctori scribenda divinitus manifestat, altera est *auxilium divinum*, quo Deus auctorem, res illi aliunde notas scribentem, ab errore praeservat. Hanc esse proprie Spiritus sancti assistentiam errores praecaventis, non vero propriam inspirationem, cum nihil inspiret, rem perpendenti patet.

Inspiratio proprie dicta adest in vaticiniis ac mysteriis, adsistentia autem Spiritus sancti est in historicis ac doctrinalibus, quae scriptoribus sacris aliunde cognita erant.

27. Discrimen hoc inspirationis et assistentiae Spiritus sancti innititur — *simplicitati actionis Dei*, qui scriptori aliunde nota non censetur revelare, cum id superfluum foret, sed illum dumtaxat ab errore in scribendo praeservare, cum hoc sufficiat, ut eius scriptura sit divinae auctoritatis; — *magnae styli differentiae*, quae inter scriptores sacros reperitur, ut Isaiam virum nobilem inter ac Amos bubulcum; Deum enim cuiusque scriptoris genio ita sese accommodasse, ut ei consequenter ad suam indolem verba dictaret, gratuita est assertio, numquam probata: quare iuxta communem critices de scriptis iudicandi regulam: « Magna styli diversitas diversum diversi auctoris laborem evincit; » — *Differentiae* quoad verba, qua varii scriptores sacri eamdem rem referunt: sic forma consecrationis, quae sane a Christo una ratione prolata est, aliis verbis refertur a s. Matthaeo, XXVI, 28; aliis a s. Marco, XIV, 24; aliis a s. Luca, XXII, 20; et aliis a s. Paulo, I Corinth. XI, 25 (confer et Matthaei III, 17, et Marci I, 11); — *Labori*, quem auctores theopneusti in scribendo senserunt; auctor enim I Machabaeorum II, 27: « Et nobis quidem ipsis, ait, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, immo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus; » secundo vero Machabaeorum, XV, 39: « sin autem minus digne, inquit auctor, concedendum est mihi; » — *Soloecismis*, aliisque styli defectibus (1).

28. *Inspiratio ad scribendum* vocatur interior excitatio, qua Deus auctorem theopneustum movet ad scripto mandanda quae ipsi divinitus vel humanitus nota sunt.

§ IV. Controversiae de modo inspirationis.

29. Quousque inspiratio proprie dicta se extendat, nec Christus nec apostoli definierunt. Hinc alii patres ecclesiae in rebus, quae aliunde scriptoribus sacris notae erant, nonnisi immunitatem ab errore tuebantur, alii vero omnia scripturae sacrae verba proprie inspirata esse contendebant, sed hi aliis in locis solam praecautionem ab erroribus quoad res scriptoribus aliunde cognitas adstruebant; cum autem omnes de substantia rei convenirent, lis eos inter exorta non est.

Verum posterioribus saeculis controversia haud exigua inter theologos scholasticos nata est. Alii arreptis textibus patrum strictam in omnibus inspirationem prae se ferentibus digladiabantur, atque inspirationem strictissimam in omnibus propugnabant; alii vero textibus patrum solam immunitatem ab erroribus defendentibus innixi, liberaliorem inspirationis notitiam tuebantur. Hinc variis in regionibus varia de inspirationis modo sententia praevalebat. Concilium tridentinum Deum utriusque testamenti auctorem esse dixit (sess. 4, decr. de can. script.), sed litem scholasticam haud diremit, cum hoc in utraque sententia verissimum sit.

(1) Conf. Herm. Goldhagen, introduct. in s. script. part. I.

30. Liberaliorem inter alios de inspiratione notitiam anno 1586 in thesibus publicis Lovanii propugnarunt Lessius et Hamelius societatis Iesu, statuentes: 1° Ut aliquid sit scriptura sacra non est necessarium singula eius verba inspirata esse a Spiritu sancto. 2° Non est necessarium ut singulae veritates et sententiae sint immediate a Spiritu sancto scriptori inspiratae. 3° Liber aliquis, qualis forte est II Machabaeorum, sine assistentia Spiritus sancti, scriptus, si Spiritus sanctus postea testetur nihil ibi esse falsum, efficitur scriptura sacra.

Hasce propositiones theologi lovanienses et duacenses annis 1587 et 1588 atro carbone notarunt. Sed haec censura reliquis catholicis, universitati parisiensi et romano pontifici minime probata fuit. Lessio et Hamelio ex eadem societate Iesu adhaeserunt card. Bellarminus, Mariana, Cornelius a Lapide, Bonfrerius ac alii. Eidem systemati subscribunt Melchior Canus episc. Canariensis, Dupinius, Simonius, Contensonius, Calmetus atque recentiores fere omnes (1).

31. *Henricus Holdenius*, doctor sorbonicus, arctiores adhuc inspirationi limites apposuit. Contendit assistentiam Spiritus sancti ad errores praecavendos pertinere ad sola doctrinalia, atque ad ea, quae haec proxime aut necessarie respiciunt.

Nonnulli alii asseruerunt, Spiritum sanctum auctores ab erroribus levioribus haud praeservasse, illosque humana divinis admiscuisse. Quod cum Holdenii opinione coincidit.

At non digne de Deo summe provido cogitant, qui existimant illum huiusmodi legatos verbique sui ministros elegisse, qui falsa ac heterogenea divinis infallibilibusque veritatibus permiscuissent.

Hoc nostro aevo nonnulli dubitant, utrum assistentia Spiritus sancti ad praecavendos errores necessaria sit scriptoribus historicis, eo quod historia a viris sinceris, rerumque bene gnaris scripta, sat ampla auctoritate polleat.

Ast hi non perpendunt, doctrinam religionis magna ex parte historiis biblicis inniti; quare si ipsae historiae ab omni dubio immunes haud essent, et auctoritatis divinae, nec doctrina religionis illis superstructa talis foret. Dein libri historici maximam partem scripturae sacrae constituunt, et Christus et apostoli libris sacris divinam auctoritatem, sine ulla restrictione attribuerunt (nn. 34 et 35). D. Paulus vero (Rom. 15, 4), omnia quae in scriptura sacra sunt, ad doctrinalia refert, cum ait: « Quaecumque enim scripta sunt, ad » nostram doctrinam scripta sunt. » Accedit quod isthaec recentiorum opinio primitivae ecclesiae prorsus incognita fuerit (2).

§ V. Errores de inspiratione.

32. Omnem pene inspirationem tollunt Bahrdtius acatholicus (3), ac nonnulli alii, adstruentes, in scriptoribus sacris nullum fuisse supernaturale donum, ne praesentiam quidem Spiritus sancti, qua ab erroribus praeservati fuissent.

Errorem hunc iam ante Bahrdtium cum Spinosa defendit auctor anonymus, quem secunda theologorum batavorum epistola refellit. Si Bahrdtii assertio vera esset, Christus falso scripturam sacram sine discrimine appellasset legem divinam, scripturam divinam et eloquia Spiritus sancti, de dogmatibus sacrosanctae nostrae religionis dubia innumera exo-

(1) Vide Melch. can. de loc. theol. l. 2, c. 16 et 17. Calm. dissert. de lib. s. insp. ad I I Petri.

(2) Lege cl. Iahn. introd. germ. in lib. S. V. F. part. I, § 22.

(3) Opusc. I de system ac Scopo Iesu epist. 7

rirentur, atque de ipsa religione actum esset.

Plerique veterum protestantium usque ad dimidium saeculi decimi octavi strictissimam inspirationis sententiam tenuerunt. Verum postquam Toelnerus anno 1772 opus suum de inspiratione, et Semlerus annis 1771 — 1773 suum examen canonis, in lucem edidissent, protestantes in pluribus de inspiratione operibus laxiorem inspirationis notitiam successive admiserunt, ac tandem in Germania inspirationem omnino fere reiecerunt.

Nonnulli protestantium hodie libris sacris divinam auctoritatem hoc sensu attribuunt, quod in illis nonnullae veritates divinae contineantur. Num vero haec veritates revelatae divina etiam auctoritate libris sacris mandatae sint, non curant. Hi errores refutabuntur nn. 34-43.

§ VI. Fides iudaeorum de inspiratione.

33. Inspiratio librorum sacrorum a iudaeis certissime credita fuit; id enim testantur s. Ioannes (V, 29) ubi Christus iudaeis: « Scrutamini, » inquit, scripturas. . . Illae sunt, » quae testimonium perhibent de » me; » s. Matthaeus, XXII, 43; s. Lucas (Act. I, 16, XXVIII, 25); et s. Paulus, (Gal. III, 16), (Hebr. I, 5, III, 7), etc. Idem attestantur Fl. Iosephus (l. 1 contra Apionem), Philo (l. 2 de vita Moysis), atque auctores Talmudis.

Hanc autem fidem iudaei hisce rationibus superstruxisse videntur:

1° Quod nonnulli scriptores sacri ut Moyses, missionem suam divinam miraculis comprobarant; ex quo iudaei concludebant, illos, utpote legatos divinos, errare non potuisse.

2° Quod scriptores aliqui scribere a Deo iussi fuerant, ut Moyses (Exodi XVII, 14): «Scribe hoc ob monumentum in libro» (conf. et ibid. XXXI, 18; XXXII, 15-16; XXXIV 1, 27-28: Deut. IX, 10-11; X, 1-2; XXXI, 19); (Isaias, VIII, 1): «Sume tibi librum grandem et scribe in eo;» (Ieremias, XXX, 2): «Scribe tibi omnia verba, quae locutus sum ad te, in libro;» (Ezech. XXIV, 2): « Fili hominis, scribe etc.;» (Daniel, XII, 4): « Daniel, claude sermones, et signa librum;» (Habac. II, 2): «Scribe visum, etc. » Ex quo iudaei inferebant, scriptores sacros in scribendo non errasse.

3° Quod plerique scriptores sacri veteris foederis prophetae fuerant; ex quo concludebant, eos eadem auctoritate divina scripsisse, qua locuti fuerant.

4° Caeteri libri sacri historici vel a prophetis scripti vel approbati iudaeis traditi fuisse videntur. Libros sacros vero residuos iudaei videntur auctoritate divina praeditos credidisse originetenus ob testimonium alicuius prophetae, et dein ob testimonium synagogae.

Cum ab inspiratione librorum sacrorum omnis eorum auctoritas dependeat; infallibilibus divinae auctoritatis argumentis omnium librorum sacrorum primo veteris, dein novi foederis inspirationem, pro temporum nostrorum necessitate, probabimus; quare sit:

§ VII. Omnes libri sacri veteris foederis divinitus inspirati sunt.

34. I. Cum inspiratio sit factum supernaturale soli Deo, et cui Deus id revelavit notum; patet librorum sacrorum inspirationem nonnisi testimonio divino probari posse. Sufficit autem, ut legatus divinus, per miracula vaticiniave divina sua missione probata, dicat tales libros esse divinos, aut sine errore scriptos, aut ut tales usurpet.

Iam vero Iesus Christus, legatus divinus, deusque ipse, qui divinam suam missionem et testimoniis librorum sacrorum veteris foederis et

miraculis et vaticiniis comprobavit, non dumtaxat hosce libros ut sine errore scriptos, et ut divinitus inspiratos usurpavit et allegavit, sed et eos nuncupavit legem divinam, et scripturam divinam; sic Matthaei XV, 3-6: « *Deus* dixit, ait: Honora pa- » trem tuum et matrem (Exodi XX, » 12)... irritum fecistis *mandatum* » *Dei* propter traditionem vestram;» et XIX, 4-5: « Qui, inquit, fecit » hominem ab initio, masculum et » feminam fecit eos? et dixit: Pro- » pter hoc dimittet homo patrem et » matrem (Gen. II, 24); » Ioannis V, 39 dicit: «Scrutamini scripturas... » illae sunt, quae testimonium per- » hibent de me,» et ibidem XI, 46: « Si enim, ait, crederetis Moysi, » crederetis forsitan et mihi; de me » enim ille scripsit.» Luc. XXIV, 27 legitur: Christus « incipiens a Moyse » et omnibus prophetis, interpreta- » batur illis in omnibus scripturis, » quae de ipso erant,» et ibidem v. 44, Christus ait: « Quoniam necesse » est impleri omnia, quae scripta » sunt in lege Moysis et prophetis » et psalmis de me. »

Cum itaque Christus de tota sacra scriptura, sine ullius libri, aut partis exceptione, ut inspirata ac divina loquatur, patet eum totam divinitus conscriptam credidisse, atque ipsam realiter talem esse.

35. II. Patet id non minus clare ex testimoniis apostolorum Iesu, qui mentem divini sui magistri probe assecuti, libris sacris veteris foederis non solum apud hebraeos, sed et apud ethnicos ut scriptura divina usi sunt:

Sic s. Petrus (Act. III, 18): «Deus » autem, inquit, quae praenuntiavit » per os omnium prophetarum, pati » Christum, sic implevit. » Et ibidem, v. 25: « Quod disposuit, ait, » Deus ad patres nostros, dicens ad » Abraham: Et in semine tuo bene- » dicentur omnes familiae terrae » (Gen. XII, 3). D. Paulus (Rom. I, 2): « Quod, ait, ante promiserat (Deus) » per prophetas suos in scripturis » sanctis.» Ib. III, 2: «Credita sunt » illis (iudaeis) ait, eloquia Dei. » Et II Timoth. III, 14-17: «Tu vero, » inquit Timotheo, permane in il- » lis, quae didicisti et credita sunt » tibi: sciens a quo didiceris. Et » quia ab infantia sacras litteras no- » sti, quae te possunt instruere ad » salutem per fidem, quae est in » Christo Iesu. Omnis scriptura di- » vinitus inspirata utilis est ad do- » cendum, ad arguendum, ad cor- » ripiendum, ad erudiendum in iu- » stitia, ut perfectus sit homo Dei, » ad omne opus bonum instructus.»

Ex omnibus adiunctis, et ex ipso scopo huius ultimi textus, patet, s. Paulum omnes veteris foederis libros ut a Deo inspiratos habuisse.

36. III. Vetus ecclesia a Christo et ab ipsis apostolis instructa, inspirationem librorum sacrorum veteris foederis inter fidei articulos unanimi consensu retulit, ut fidei symbola antiquissimae ecclesiae testantur. Idem liquet ex apologia Athenagorae, ex secunda Apologia s. Iustini martyris, ex s. Irenaei l. 1, c. 10 contra haereses, atque ex praefatione Origenis in libros Περὶ ἀρχῶν, de principiis.

§ VIII. Libri omnes novi foederis a Deo inspirati sunt.

37. I. Christus legatus divinus, deusque ipse, apostolos misit eo modo, quo ipse a Patre suo missus fuerat: « Sicut misit me Pater,» ait illis (Ioan. XX, 21-22), «et ego mit- » to vos. Haec cum dixisset, insuf- » flavit et dixit eis: Accipite Spi- » ritum sanctum. » Quare fuerunt apostoli legati divini a Deo missi ad hominibus nomine Dei divinam religionis Christi doctrinam annuntiandam. Hinc doctrinam suam a

Deo vel a Christo habere debuerunt. Sed hanc doctrinam hominibus sine errandi periculo tradere infallibiliter non potuissent, nisi Deus illis loquentibus et scribentibus de religione ignota revelasset, et in aliunde notis ab errore praeservasset; proinde quae dixerunt et scripserunt de religione apostoli ac evangelistae, divinitus inspirata fuerunt. Adde scripta s. Marci, qui apostolus non fuit, a s. Petro, et illa s. Lucae, qui pariter apostolus non fuit, a s. Paulo, et huius scripta a s. Petro approbata fuisse, ut historia primitivae ecclesiae, et II Petri III, 15 fidem faciunt.

38. II. Matthaei X, 18-20, Christus apostolis: « Ad praesides et re» ges, inquit, ducemini propter me, » in testimonium illis et gentibus. » Quum autem tradent vos, nolite » cogitare quomodo aut quid loqua» mini: dabitur enim vobis in illa » hora, quid loquamini. Non enim » vos estis, qui loquimini, sed Spi» ritus Patris vestri, qui loquitur in » vobis. » Si igitur iuxta hunc textum Spiritus sanctus inspiraturus erat apostolis quid de religione Christi interrogati responderent iudicibus, quanto magis inspirati esse debuerunt, conscribendo libros ad conversionem et instructionem omnium hominum; cum id multo magis necessarium esset ad divinum consilium, omnes homines ad veram Dei agnitionem adducendi, executioni mandandum?

39. III. Testatur id idem Doctor gentium I Corinth. II, 13: « Nos au» tem, inquit, non spiritum huius » mundi accepimus, sed spiritum, » qui ex Deo est, ut sciamus quae » a Deo donata sint nobis, quae et » loquimur non in doctis sapientiae » humanae verbis, sed in doctrina » spiritus, spiritualibus spiritualia » comparantes. »

40. IV. Scriptores novi foederis doctrinam suam non hauserunt *a iudaeis;* his quippe plures christianae religionis articuli ignoti erant, et oracula de Messia ab illis eo aevo perperam intellecta erant; non a gentilibus aut ex eorum scriptis; quis enim philosophus tempore apostolorum, aut temporibus praecedentibus, doctrinam tam simplicem, et simul tam sublimem, inordinatis hominum affectibus tam contrariam, et rationi adeo conformem, tam puram tamque divinam docuit? Quis sibi imaginatus fuerit, apostolos, quorum plerique piscatores, homines rudes et simplices erant, philosophorum doctorumque scripta evolvisse, eo magis quod hisce, ut et iudaeis, doctrina characteristica christianae religionis prorsus ignota esset? — *Nec a semetipsis;* quis enim homo rudis e suo cerebro eruet veritates acutissimis philosophis ignotas, captumque humanum transcendentes, ut mysteria ss. Trinitatis, Incarnationis, etc.? Habuerunt ergo scriptores sacri novi foederis doctrinam suam a Deo.

41. V. Ipsum genus scribendi hagiographorum novi foederis nihil humani sapit: doctrinam enim religionis modo doctorum ac indoctorum captui accommodato tradunt, cum eam plerumque tanquam dicta et facta Iesu simpliciter narrent, omissis probationibus, ut docti atque indocti illam facile capere possent, utque eis fides non ob allatas probationes, sed propter divinum missionis suae testimonium praeberetur. Res easdem hinc inde repetunt, ac inculcant, exemplis et parabolis Iesu adiunctis, ut omnibus ita consulerent. Ignorantiam propriosque defectus exponunt, nullas sibi laudes attribuunt, etc. etc. Quis ista nisi Deo inspirante ac dirigente scribet?

42. Tandem inspiratio librorum

sacrorum veteris ac novi foederis christianis semper articulus fidei fuit, ut constat ex s. Clemente Romano (Epist. ad Cor.), s. Ignatio martyre (Ep. ad Magnes.), Athenagora (Leg. pro Christ.), s. Iustino martyre (Apol. 2), Theophilo Antioch. (ad Autolycum, l. 2), s. Irenaeo (Adv. Haeres. l. 2), Tertulliano (lib. de Cult. Femin.), Origene (Praef. in lib. de Princ.), s. Gregorio Neoc. (Serm. 2 de Annunt.), Clemente Alex. (Admon. ad Gent.), Eusebio Caes. (Praef. Dem. Evang.), s. Hilario (in Ps. 37), s. Athanasio (Orat. de incarn.), s. Basilio Magno (Praef. in Psalmis), s. Cyrillo Hier. (Cateches. 4), s. Gregorio Naz. (Orat. 3 adv. Iulian.), s. Gregorio Nyss. (Orat. 6 adv. Eunom.), s. Ambrosio (epist. 8 ad Iustum), s. Epiphanio (Haeres. 48), s. Chrysostomo (Hom. 21 in cap. 5 Genes.), s. Hieronymo (Prooem. in epist. ad Philem.), s. Augustino (lib. 18, c. 38, de Civ. Dei), etc.

43. Scriptores sacri non sine divini numinis incitatione seu inspiratione se ad scribendum contulisse liquet, tum quod secus Deus illorum operum nonnisi remotus auctor dicendus foret, tum quod s. Petrus (II Epist. I, 20-21) dicit: « Non enim voluntate humana allata est » aliquando prophetia; sed Spiritu » sancto inspirati (graece φερόμενοι, » impulsi) locuti sunt sancti Dei homines. »

Cum igitur libri sacri veteris et novi foederis divini sint, sequitur religionem revelatam, iis contentam, pariter divinam esse.

VINDICIAE DIVINITATIS LIBRORUM SACRORUM

§ IX. De fide iudaeorum circa inspirationem.

44. *Obi*. Veteres iudaei, aiunt recentiores protestantes, eminentia bona naturalia Deo immediate adscribebant; hinc etiam suos libros ob eorum eminentiam Deo ut auctori attribuerunt. Christus vero ac apostoli sese iudaeorum opinioni accommodando, hanc ideam secuti sunt.

Resp. Antiquos hebraeos non eo sensu suos libros sacros *divinos* dixisse, liquet non dumtaxat ex numero 33, sed etiam ex Fl. Iosepho (l. 1 cont. Apionem), et ex Philone (l. 2 de vita Moysis), qui auctoritatem divinam librorum sacrorum adcurate definierunt, idemque fecerunt auctores Talmudis.

Caeterum si Christus et apostoli se huic iudaeorum opinioni accommodassent, non appellassent libros sacros veteris foederis scripta divina et oracula Spiritus sancti; secus enim iudaeos in sua erronea sententia confirmassent et gentiles in eam induxissent.

Apostoli in sensu testimoniorum Christi de inspiratione librorum sacrorum hallucinari non potuerunt; clarissima enim et minime aequivoca erant; quare etiam non solummodo apud hebraeos, sed etiam apud ethnicos, apud quos accommodatio ad praetensam iudaeorum opinionem praeter rem prorsus fuisset, libris sacris veteris foederis ut indubitate divinis utuntur (conf. n. 35). Opinio isthaec insuper directe opponitur scopo d. Pauli II Timoth. III, 14-17 (n. 35).

§ X. De labore in scribendo, praescientia, et certis modis loquendi scriptorum sacrorum. De impiorum sermonibus.

45. *Obi*. Scriptores sacri in scribendis suis libris, aiunt, plerumque insudarunt; auctor enim II Mach. (II 27): « et nobis quidem ipsis, inquit, qui hoc opus breviandi causa » suscepimus, non facilem laborem, » immo vero negotium plenum vi» giliarum et sudoris assumpsimus. »

2° Idem auctor (ib. v. 24) fatetur, se opus Iasonis Cyrenaei in compen-

dium redegisse: « Ab Iasone Cyre- » naeo, ait, quinque libris compre- » hensa tentavimus nos uno volu- » mine breviare. »

3° Capite XV, 38-39, idem auctor veniam petit, si historiam minus digne scripserit. « In his faciam finem » sermonis, inquit, et si quidem be- » ne, et ut historiae competit, hoc » et ipse velim: sin autem minus di- » gne concedendum est mihi. »

4° Scriptores sacri quae scripserunt cognoverunt tum per seipsos, dicente Ioanne (I epist. I, 1-2): « Quod audivimus, quod vidimus o- » culis nostris... de verbo vitae... » testamur et annuntiamus vobis, » tum per alios, scribente Luca (I, 2-3): « Sicut tradiderunt nobis, qui » ab initio ipsi viderunt, et ministri » fuerunt sermonis, visum est et » mihi omnia assecuto, a principio » diligenter, ex ordine tibi scribe- » re, optime Theophile. »

5° Scriptores sacri phrases dubium prae se ferentes adhibent, ut Lucas II, 23: *Iesus erat incipiens* QUASI *annorum triginta;* Ioannes II, 6: *Erant autem ibi lapideae hydriae sex . . . capientes singulae metretas binas* VEL *ternas;* Actuum VIII, 22, Petrus Simoni Mago: *Roga Deum*, ait, *si* FORTE *remittatur tibi haec cogitatio cordis tui.*

6° Paulus I Cor. VII, 12: « Caete- » ris, inquit, ego dico, non Domi- » nus: Si quis frater uxorem habet » infidelem, et haec consentit habi- » tare cum illo, non dimittat illam » II Cor. XI, 17: « Quod loquor, ait, » non loquor secundum Deum, sed » quasi in insipientia. »

7° In scriptura adiiciuntur adiuncta inutilia, ut Tobiae XI, 9 de cane Tobiae, qui sua cauda blanditur. II Timoth. IV, 13 de penula, quam Paulus Troade reliquerat apud Carpum, de salutandis variis personis, etc.

8° Quae spectant ad historiam et tabulas genealogicas nationis hebraeae, ad pietatem et mores nihil faciunt.

9° Leguntur in Bibliis impiorum mendacia, calumniae et blasphemiae, ex. gr. (Sap. II, 1-20): « Non » est qui agnitus sit reversus ab in- » feris: quia ex nihilo nati sumus et » post hoc erimus tanquam non fue- » rimus... Coronemus nos rosis, an- » tequam marcescant: nullum pra- » tum sit, quod non pertranseat lu- » xuria nostra, » etc. Haec omnia verbum Dei esse nequeunt.

Resp. Assistentia Spiritus sancti scriptorum sacrorum meditationem, laborem ac industriam minime excludit, sed illos dumtaxat impedit, quominus in illis, quae humanitus sciunt, scribendis errent, eorumque scripta auctoritatis divinae efficit.

2° Nequaquam dicimus ea, quae hagiographi humanitus sciverunt et hauserunt, a Spiritu sancto denuo inspirata fuisse, bene vero divinam assistentiam illos in huiusmodi rebus scribendis direxisse, ne falsa scriberent.

3° Petit veniam si opus suum regulis historiae minus conformavit, illudve minus eleganter conscripsit, non vero quod falsitates forte scripsit. Spiritus sanctus hagiographos ab erroribus praeservat, non vero illis semper ordinem stylumque dictat.

4° Exinde solummodo sequitur, Spiritum sanctum non dictasse scriptoribus sacris quae aliunde sciebant, non vero illos in eis Spiritus sanctus assistentia destitutos fuisse.

5° Phrases huiusmodi sunt modi loquendi, quibus homines passim utuntur, ostenduntque in scriptura Dei indulgentiam, qui ut nos instruat, se nostri idiomatis infirmitati accommodat.

Actuum VIII, 22 *forte* additur, quia dubium erat, an Simon poenitentiam acturus esset.

6º D. Paulus (I Cor. VII, 12) inquit virum christianum dimittere non debere uxorem non christianam, si haec illi cohabitare velit. Ait se hoc dicere secundum propriam convictionem, non quod revelationem aliquam hac de re habuerit.

(II Cor. XI, 17), vult s. Paulus dicere, generaliter spiritui Christi conformiter non agere, qui proprias laudes texit, seque nonnisi aegerrime ad proprias laudes descendere, inanem autem pseudo-apostolorum gloriam id exegisse.

7º In sacris scripturis alia aliis sane utiliora sunt, nihil autem inutile, quaeque exigui momenti esse videntur, vel ad orationis ornatum, vel ad narrationis integritatem, simplicitatem, nexumque rerum pertinent. Tenerrimae autem d. Pauli salutationes sunt genuinae illius charitatis signa, qua ecclesiae primordia adeo commendata fuerunt.

8º Quomodo probarent adversarii, ea dumtaxat verbum Dei esse, quae ad pietatem et mores aliquid conferunt? Historiis nationis iudaicae magna ex parte nititur doctrina religionis christianae (n. 31); tabulae genealogicae lucem pondusque afferunt rebus gestis, fidemque in Messiam firmant; ingentem proinde utilitatem habent. Caeterum an consensus Deo revelanti praestitus non facit ad pietatem? An qui fidem Deo adhibet non melior efficitur?

9º Si verbum Dei strictiore significatione sumitur, impiorum blasphemiae, etc., a scriptoribus sacris relatae, proprie verbum Dei non sunt; in sensu autem latiore verbum Dei sunt, eo quod hagiographi in illis historice narrandis praesentem habuerunt Spiritum sanctum, ne errarent.

§ XI. De libris pseudo-sacris populorum non christianorum.

46. *Obj.* Omnes populi, aiunt increduli, suos libros sacros, seu religiosos, divinos dicunt: sic persae, *Zend-Avesta*, indi *Vedam* ac *Ezour-Vedam*, sinenses quinque *King*, muhammedani *Koranum*, rabbanitae *Talmudem*, divinam continere revelationem credunt. Constat autem omnes hosce libros divinos non esse. Quis igitur sibi persuadeat, libros sacros christianorum esse divinos?

Resp. Stupiditas horum populorum, qui sibi hosce libros a versipellibus impostoribus obtrudi passi sunt, causa est, cur isti libri ut sacri ac divini apud illos habeantur. Eorum inspiratio nullo argumento probatur; doctrina vero in eis, et in illorum religione contenta, partim ridicula, partim superstitiosa, partim aperte falsa, ut quae polytheismum spectat, hosce libros ab impostoribus compositos esse, clare evincit (conf. n. 1 notam). Profecto nemo, miraculis vaticiniisque insignis, hos libros ut divinos habuit.

Mulierosus Muhammedes a meccanis, iudaeis aliisque provocatus, ut missionem suam miraculis confirmaret, respondere solebat, « miraculis non semper creditum fuisse, » aut « se missum non esse ad patranda miracula, sed ad praedicandum. » Nisi forte miracula sint, ut nonnulli iactitarunt, columbam ad aurem Muhammedis advolasse, quod arte facile fieri potuit, camelum, ei soli de nocte esse locutum, remotis nempe arbitris, magnam lunae partem in manicam eius esse dilapsam, postea ab eo ad sideri suam rotunditatem reddendam illi esse restitutam, quod sua absurditate refellitur.

En autem Muhammedis in condendo Korano consilia! « Ut iudaeis placeret » ait cl. Leonardus Froereisen (1), « christianorum Trinita- » tem reiecit, quod et arianis pla-

(1) Brevis delineatio duorum impostorum magnorum Muhammedis et Zinzendorffii, Argentorati, sine impressionis anno.

» cuit, circumcisionemque illorum » retinuit. Ut philosophis se com» mendaret, polytheismo deismum, » vel potius stoicismum praetulit. Ut » sanctus videretur, vini usum pro» hibuit. Ut spe mortalium pectora » alliceret, elyseos post mortem pol» licitus est campos. Ut complices » alere posset, sub eleemosynarum » praetextu magnas undique collegit » summas. Ne christianos offende» ret, maximis Christum et aposto» los nominibus insignivit, et elo» giis condecoravit, atque praescri» psit, quae scopo suo maxime pro» ficua arbitrabatur, etc.»

Sacra biblia vero a christianis ut divinitus inspirata habentur, eo quod a Iesu et ab apostolis, qui divinam suam missionem veris editis miraculis et vaticiniis comprobarunt, illis ut talia tradita fuerunt (nn. 34-39).

§ XII. De oraculis gentilium.

47. *Obi*. Oracula veterum gentilium, inquiunt deistae, divinitus inspirata fuisse, a paganis falso creditum fuit; cur libri sacri christianorum pariter falso inspirati esse non crederentur?

Resp. Oracula illa nonnisi ab ignaro vulgo sine motivis sufficientibus credita fuerunt, non vero a doctis et sapientibus gentilium; hi enim illa ut sacrificulorum fraudes deriserunt. Res vero se prorsus aliter habet cum libris sacris christianorum, ut nn. 34-42 et 46 ostendimus.

Cum oracula apud gentiles celeberrima fuerint, partemque eorum superstitionis constituerint, haec de illis habeto.

Oraculorum sedes in regionibus montuosis, antrorum plenis, potissimum erant. Boeotia, cuius incolae graecorum stupidissimi habebantur, oraculis praecipue abundabat. In quibus autem locis natura haud formarat cavernas, sacrificuli illas supplebant obscuris ac remotis adytis. Famosiora gentilium oracula fuerunt Iovis Dodonaei in Epiro, et Apollinis Delphici in Phocide. En eorum originem.

Iuxta verisimiliorem opinionem sacerdos Thebana in Aegypto a phoenicibus ablata, et graecis divendita, nomen, auctoritatem et divitias sibi comparatura, in sylva Dodonae prope rivum sedem fixit, aramque Iovi erexit. Stupidis ac superstitiosis populis vicinis persuasit se Iovis voluntatem ex murmure rivi cognoscere, ac interpretari posse. Posterae sacerdotes aeneam Iovis statuam, flagello eiusdem metalli instructam, ac circa illam vasa aenea, ad quercum suspenderunt. Flante autem vento, percutiebantur flagello ista vasa quae, et inter se invicem exagitata, varios sonos edebant, quos sacerdotes oracula Iovis esse dicebant, et quae interpretabantur. Sacrificuli in quercubus istius sylvae quandoque absconditi, consulentibus oracula dabant. Hinc veteres pagani dicebant, quercus dodonaeas oracula dandi vim habere.

Originem oraculi delphici Diodorus Siculus ita narrat. Cum caprae ad incognitam montis Parnassi cavernam accessissent, et spissis inde egredientibus vaporibus quasi in furorem actae essent, sacrificulus hac re attonitus, eadem caverna petita, eumdemque furoris effectum expertus, absona loqui coepit, quae a stupido populo ut oracula habita fuerunt. Caverna isthaec postmodum in circuitu templi Apollinis inclusa, ac tripode tecta fuit. Privilegium excipiendi dictos ex antro vapores, ac oracula edendi primum puellis, Dianae sacris, dein feminis aetate provectis, et Pythiis nuncupatis, attributum fuit. Hae insidentes tripodi et vaporibus antri, suffimentisque odoriferis de industria excitatis, quasi

in furorem actae, ex nube spissi vaporis cum maiestate nomine Apollinis metrice dabant oracula, quae sacerdotes antea modo ambiguo et obscuro astute composuerant.

Iam vero in hoc antro delphico omnia ad dolum composita erant. Obscuritas illius loci, adyta lauris obsepta, suffimenta, et cellae subterraneae, e quibus vafri sacerdotes Pythiae auribus quae volebant inspirare poterant, id satis evincunt(1).

Rufinus scribit, templum Serapis quam plurimas vias subterraneas habuisse, et scriptura sacra ait, sacerdotes Beli per viam secretam templum ingredi solitos fuisse. Fornices sanctuariorum tali modo constructi erant, ut vox Pythiae fortius solito resonaret, et divini quid habere videretur. Cum paganorum templa, dominante Christi religione, diruta sunt, repertae fuerunt giganteae deorum statuae cavae, in quas sacrificuli viis occultis se conferebant, ibique obscura et aequivoca oracula, quae in omnem rei eventum quadrabant, nomine suorum deorum edebant. Huiusmodi erant ista: *Ibis redibis numquam morieris in bello. Craesus fluvium Halyn transiens magnum imperium perdet.*

Κροῖσος Ἅλυν διαβὰς, μεγάλην ἀρχὴν καταλύσει.

Ob quod ultimum oraculum Oenomaus, philosophus graecus, deridet Apollinem cuius nomine datum fuerat (2).

Hinc Lucianus (3): « Recte quidem, ait, hoc dixisti, Apollo, quod » eos laudasti, qui perspicue loquan- » tur, quamquam id non admodum » in oraculis tuis observare soles, » quae tu obliqua et intricata red- » dis, et in mediam intercapedinem » tuto proiicis plerumque, ut ad eo- » rum expositionem auditores alio » egeant Pythio. »

« Iam ad te venio » ait Cicero (*Divin. l. 2*) « sancte Apollo, qui » umbilicum certum terrarum (Del- » phos) obsides, unde superstitiosa » primum saeva evasit vox fera. Tuis » enim oraculis Chrysippus totum » volumen implevit, partim falsis, » ut ego opinor, partim casu veris, » ut fit in omni oratione saepissime, » partim flexiloquis et obscuris, ut » interpres egeat interprete, et sors » ipsa ad sortes referenda sit, par- » tim ambiguis, et quae ad dialecti- » cam deferenda sunt; » allegat dein obscurum oraculum de Pyrrho, quod supposititium credit, eo quod Apollo latine numquam respondit.

Aio te, Aeacida, romanos vincere posse.

Demosthenes de pythonissa Delphica dicebat: *Pythonissa philippizat*, eo quod quae Philippus, Macedonum rex, volebat, annuntiabat. Cum Iulio Caesari auguria laeva nuntiata essent, respondit: *Futura laetiora si vellet.* Origenes de hisce oraculis (4): « Ea, inquit, non cre- » dunt etiam graecorum philosopho- » rum sectae, praesertim qui se- » quuntur Democritum, Epicurum, » Aristotelem. »

Sunt auctores, qui omnia gentilium oracula sacrificulorum fraudibus accenseri haud posse existimant, sed nonnulla concursui diaboli adscribunt, eo quod 1° iuxta illos, omnes historiae, quae ante et post Christum natum de paganorum oraculis agunt, falsitatis convinci nequeant; 2° quod a nonnullis scriptoribus ecclesiasticis ut res singularis notetur, a Christi adventu omnia oracula in toto orbe conticuisse.

Verum 1° nullum authenticum noscitur oraculum, quod concursum diaboli arguat. 2° Sacrificulorum fraudes tempore adventus Christi saepe detectae fuerant, philosophi, et chri-

(1) Vide Ant. Van Dalen de oraculis Vet. Ethnic. diss. 2. (2) Vide Fontenelle, histoire des oracles, ch. 7. (3) In Iove trag. op. t. 3 (4) Contra Celsum l. 8.

stiani in illorum oracula attenti erant, quare eos sacrificuli, quantum poterant, a suis oraculis et sacrificiis arcebant; hinc mirum non est, oracula eo tempore, quo gentilismus vilescere, christianaeque religionis veritas illucescere coepit, rariora fuisse.

Suidas, Nicephorus et Cedrenus equidem referunt, imperatorem Augustum, aetate provectum, oraculum delphicum de sibi eligendo successore consuluisse, illud dudum tacuisse, sed tandem edixisse:

Me puer hebraeus, Divos, Deus ipse, gubernans,
Cedere sede iubet, tristemque redire sub Orcum.
Aris ergo dehinc tacitis abscedite nostris.

Verum critici hoc factum negant, et merito: reperiuntur enim posterioribus temporibus Delphis, uti et alibi, adhuc edita oracula: sic Suetonius in vita Neronis narrat, hunc imperatorem ab oraculo delphico monitum fuisse, ut sibi a 73 annis caveret, illum credidisse sibi 73 annos vitae promissos esse, ac non cogitasse de Galba 73 annis nato, qui ei imperium eripuit. Plutarchus, qui initio saeculi II floruit, testatur, suo tempore oraculum delphicum substitisse, sed ad unam sacerdotem redactum fuisse, cum antea duas vel tres haberet.

Cum Severus Septimius, Piscennius Niger et Clodius Albinus ad finem saeculi secundi de imperio concertarent, oraculum delphicum hac de re consultum, celeberrimum hoc dedit responsum: *Niger est optimus, Africanus bonus, et Albus pessimus*. Cum ab illo dein quaereretur, quisnam ex istis aemulis imperii dominus futurus esset? Pythia respondit; *Sanguis Albi et Nigri fundetur, Africanus gubernabit mundum*. Albus erat Clodius Albinus, Niger Piscennius, et africanus Severus in Africa natus.

Theodoretus scribit oraculum Delphicum adhuc substitisse saeculo IV tempore Iuliani imperatoris qui ipsum de expeditione in persas, quam meditabantur, consuli iussit. Post hoc tempus nulla amplius huius oraculi mentio occurrit. Historiographus Dion, qui saeculo tertio scripsit, refert, suo tempore Amphilochum adhuc fuisse celebrem oraculis, quae in somno edebat. Zozimus narrat, incolas Palmyrae sub Aureliano imp. saeculo III, oraculum Veneris Aphacitis consuluisse, et Sozomenus scribit, Licinium Constantini magni in imperio collegam, oraculum Apollinis Dydimi saeculo IV consuluisse, utrum bellum adversus Constantinum gerere deberet, oraculum autem illi duobus versibus Homeri respondisse: *Miserande senex*, *an tu pugnabis cum iuvenibus? Vires tuae defecerunt*, *et senectus te aggravat*.

Multa idolorum templa sub Constantino magno eiusque filiis, sub Theodosio magno ac subsequentibus imperatoribus christianis, solo adaequata, et paganismum proscriptum esse, atque ita oracula fere de medio sublata fuisse, facile quisque concedet. Verisimile autem est, oracula, licet rariora facta, cum paganismo substitisse usque ad annum circiter 451 aerae vulgaris, quo imperatores Valentinianus III, et Marcianus omne gentilismi exercitium sub poena capitis prohibuerunt.

§ XIII. De carminibus sibyllinis.

48. *Obi*. Carmina sibyllina, opponunt naturalistae, non solum a paganis, sed etiam a primis christianis ut oracula, a vero Deo inspirata, habita fuerunt; conveniunt autem modo docti, illa a Deo inspirata minime fuisse. Cur idem non foret de libris sacris christianorum?

Resp. Sapientes gentilium, et primos generatim christianos versus sibyllinos ut veri Dei oracula habuis-

se, gratis omnino asseritur. Senserunt sapientes gentilium de oraculis sibyllarum, quod senserunt de oraculis deorum.

Nullus profecto legatus divinus, miraculis vaticiniisque clarus, haec carmina ut veri Dei oracula habuit; quare libris sacris gratuito opponuntur (conf. nn. 34-42 et 46). Interim de sibyllis, apud priscos gentiles celeberrimis, earumque carminibus haec observamus.

Ignoratur earum numerus, et tempus ac locus ubi vixerunt. Iuxta communem tamen opinionem a Varrone traditam, decem fuerunt sibyllae. Prima et antiquissima est delphica, quandoque Artemis, et a Diodoro siculo Daphne nuncupata, diu ante bellum troianum floruisse dicitur; secunda est erythraea; tertia cimmeriana; quarta cumana; quinta samia ab Eusebio Euriphile, et a Solino erythraea vocata, tempore Numae Pompilii vixisse perhibetur; sexta hellespontica; septima libyca; octava persica, quae iuxta s. Iustinum martyrem, Berosi, antiqui historici, filia fuit; alii contendunt eam fuisse iudaeam, ipsamque Sambetha vocitant: nona phrygica, et decima tiburtina.

D. Pierre Petit in docta de sibyllis dissertatione omnes sibyllas ad unam reducit, contenditque diversa eiusdem sibyllae nomina pro totidem diversis sibyllis fuisse accepta. Existimat, istam sibyllam fuisse graecam, eo quod oracula illi attributa graece scripta fuerunt, ipsam erythraeae, in urbe Asiae minoris, natam, Herophilen nuncupatam fuisse, diversa nomina illi data fuisse ob frequentia itinera in diversis mundi partibus instituta, eamque Cumis in Italia obiisse.

Inter decem sibyllas, supra iuxta Varronem recensitas, cumana celebrior fuisse fertur. In historia romana legitur, hanc sibyllam Tarquinio Superbo novem libros vaticiniorum magno pretio obtulisse, Tarquinium eos ob ingens pretium recusasse, ac contempsisse, sibyllam tum tres de eis in ignem coniecisse, ac pro sex residuis eamdem summam petiisse, Tarquinio hac de re ridente, illam quin aliquid diceret, adhuc tres libros igni iniecisse, ac pro tribus remanentibus prius pretium postulasse, tum vero Tarquinium, sibyllae agendi ratione attonitum, et superstitione motum, petitum pretium pro tribus istis libris dedisse. Hi tres libri capsulae lapideae in capitolio romano inclusi, custodiendi traditi erant decemviris, qui soli hosce libros legendi facultatem habebant. Hi libri consulebantur, romanis quadam calamitate pressis, ad modum irae deorum placandae inveniendum. Cum autem 76 anno ante Christum natum sub Sylla cum capitolio conflagrassent, senatus romanus legatos in Asiam et Graeciam misit, ad colligenda quotquot sibyllina oracula reperire possent. Hi legati 1000 circiter versus, propheticos existimatos, Romam attulerunt, qui in reaedificato capitolio collocati fuerunt.

Guillelmus Beveregius tres classes carminum, seu oraculorum sibyllinorum distinguit (1): in prima collocat genuina carmina sibyllina quae 76 anno ante Christum cum capitolio in cineres redacta fuerunt. In secunda ponit ea, quae romani dein collegerant, et quorum fragmenta occurrunt apud Plutarchum, Varronem, Tullium, Virgilium aliosque scriptores romanos. Collectionem horum carminum Stilicon saeculo V Romae flammis tradidit (2). Celeberrima sunt carmina, quae occur-

(1) In codice can. primit. eccl. vindicato et illus'rato lib. 1, c. 14, n. X. et XI, Amstelodam 1697. (2) Rutilius Numatianus itiner. l. 2.

runt apud Virgilium ecloga quarta, *Sicelides Musae*, etc.

Ultima cumaei venit iam carminis aetas,
Magnus ab integro saeclorum nascitur ordo.
Iam redit et virgo, redeunt saturnia regna,
Iam nova progenies coelo demittitur alto.

Tertia classis complectitur octo libros carminum sibyllinorum, *bibliothecae patrum insertos*, sed quae eruditi moderni saeculo secundo conficta esse consentiunt. Cicero iam suo tempore de sibyllarum carminibus: « Callide, aiebat (1), qui illa » carmina composuit, perfecit, ut » quodcumque accidisset, praedi» ctum videretur. » Idem Tullius a sibylla praedictum fuisse inquit: *Romanos nisi rege quodam agnito salvos esse haud posse;* ast regem, ait, Romae nec dii nec homines sufferebant.

Cum nonnulli antiqui patres aliqua carmina sibyllina tanquam vaticinia de Christo ac de eius religione continentia, paganis allegarint, existimant aliqui, haec carmina authentica et vera fuisse, Deumque sibyllis, ut Balaam, ad vaticinandum usum esse. Alii vero aiunt, hosce patres minime allegasse carmina in *bibliotheca patrum* modo extantia, sed illa, quae inter paganos tum circumferebantur, eosque de authenticitate et veracitate eorum haud sollicitos, argumento ad hominem usos esse; consequenter existimasse (2), eorum allegationem christianae religioni aliquo modo utilem esse, licet authentica non essent. Philosophus Celsus scriptores christianos haec carmina citantes sibyllistas per derisionem appellabat. Id certum, carmina sibyllina in *bibliotheca patrum* extantia continere praedictiones clarissimas de Christo. Ultimum iudicium et infernus ibi clare exprimuntur, etc., quare ab aliquo christiano saeculo II composita esse videntur.

§ XIV. De miraculis pentateuchi, et de adparitionibus Dei anthropomorphiticis.

49. *Obi*. Pentateuchus, excipiunt increduli, graecorum romanorumque mythologiae simillimus est; in illo enim aeque ac in hac, divinitas est anthropomorphitica, et utrobique occurrunt miracula plurima ac ingentia, omnem fidem superantia, et quorum finis non perspicitur:

Quodcumque ostendis mihi sic, incredulus odi.

Resp. Graecorum dii fabulis accensentur, non quod ii se modo sensibili erga homines gessisse a poëtis dicuntur, sed quod pantheismus sanae rationi repugnat. Portenta vero numinum graecorum ac romanorum figmentis adnumerantur, quod nulli auctoritati innixa, inepta, ridicula, absurda, et plerumque bonis moribus contraria sunt. Haud inverisimile autem est, primam graecorum mythologiam ex pentateucho originem suam ducere. Pleraque sane facta pentateuchi traditione orali varias inter nationes conservata fuerunt, quae tum hominum oblivione, tum poëtarum fictione vitiata fuerunt. Ita diluvium Deucalionis ex diluvio noëmitico, et gigantes coelum congestis montibus conscendere molientes ad patrem Titanem Iovi in solio substituendum, ex historia constructionis turris babelicae descendere videntur.

Moyses vero quando Deum exhibet, modo sensibili se erga protoparentes ac patriarchas gerentem, ac quando miracula narrat, nihil nisi Deo dignum, priscis illis viris conveniens, ac rationi conforme refert, tantamque in rebus dogmaticis, moralibus, ac physicis passim, prodit sapientiam, ut divina eius inspiratio invitis fere manifestetur. Ratio autem cur Deus se modo sensibili

(1) Lib. 2 de divinatione.
(2) Vide Beveregium loc. cit. n. IV et cl. Bergier, dict. de théologie. Art. sibylles.

exhibuerit, totque miracula antiquitus patrarit, est ista: dogma unius Dei existentis, summe providi, ac infinite iusti hominibus cognitu absolute necessarium sane fuit. Posito igitur, Deum id hominibus revelare voluisse, quomodo hoc primis humani generis parentibus, omni experientia orbatis, solisque in hac terra versantibus, infallibilius faciliusque manifestare valuit, quam eo modo, quo id Moyses describit? Illis nempe sub forma visibili per symbola adparendo, eos adloquendo, singula ipsos docendo, recte facta sensibiliter remunerando, ac male facta eadem ratione puniendo, donec harum veritatum certa fides stabiliretur. Num secus homines omnes eo in statu non permansissent, in quo fuerunt gentiles? Immo ne in hoc quidem remansissent, cum ipsi gentiles revelationem, a Deo primis hominibus datam, habuerint, quamvis non incorruptam. Cum vero revelatae veritates in plerisque nationibus, vitio hominum collapsurae essent, Deus illas conservare voluit in Abrahae posteris; quare se illis eodem modo sensibili ostendit, editisque miraculis veritates suas confirmavit. Hebraeis dein degeneribus se eodem modo exhibere, ac eos de eisdem veritatibus certos reddere debuit. An hoc optimo providentissimoque hominum conditore ac conservatore non fuit dignum, priscis hominibus conveniens, rationique conforme? In primo statu, quem naturae adpellamus, Deus se immediate manifestavit ut patrem, regemque omnium, in secundo statu instituit Moysen ac prophetas, qui modo sensibili theocratiam repraesentantes suo nomine id facerent, in tertio autem statu, in plenitudine temporis, locutus est per suum Filium. Hinc iuxta typum scripturae sacrae familiarem adsimilatur prima aetas *infantiae*, secunda *adolescentiae*, et tertia *perfectioni virili*.

§ XV. Num Moyses immortalitatem animae ignoraverit?

50. *Obi*. Quomodo Moyses inspiratus dici potest, ogganniunt Voltaire, caeteraque deistarum turba, qui immortalitatem animae ignoravit? in toto enim pentateucho huius dogmatis non meminit, legisque suae nonnisi sanctionem temporalem ponit: quare iudaei tempore adventus Christi de animae immortalitate adhuc incerti erant.

Resp. Moyses missus non fuerat ad iudaeis systema completum dogmaticae aut ethicae tradendum, sed ad fidem et mores eorum perficiendum, et si quid corruptionis haberent, corrigendum. Quare cum iudaei immortalitatem animae crederent, opus non erat Moysi, illos hanc docere. Iudaeos autem aevo Moysis dogma immortalitatis animae cognovisse, patet ex ipso pentateucho ubi (Gen. XXXVII, 35, Num. XVI, 30-33, Deut. XXXII, 22) distinguitur a sepulcro *locus ille subterraneus*, in quo hebraei defunctorum animas esse credebant; - ex solita phrasi Moysis, qui mortem alicuius referens ait: *Congregatus est ad populum suum* (Gen. XXV, 8; XXXV, 29), quae secus nullum sensum haberet; - ex phrasi illa Moysis: *Deus Abraham*, *Deus Isaac*, etc. (Exod. III, 6); quare Christus (Matthaei XXII, 32) dicebat: *Non est Deus mortuorum sed viventium*; - ex necromantia, qua hebraei defunctorum animas excitari posse existimabant, et quam Moyses illis severissime vetuit (Levit. XIX, 31, et Deut. XVIII, 10-11) dicens: «Nec inveniatur in te . . . incantator, nec qui pythones consulat, nec divinos, aut quaerat a mortuis veritatem; » — ex Gen. XLVII, 1, ubi Iacob: « Dies *peregrinationis* meae, » ait, non pervenerunt ad dies pa-

» trum meorum ; » — ex dogmate hebraeorum de Messia spirituali, quod immortalitatem animae supponebat; — ex libro Iobi pentateucho aetate suppari (conf. n. 280), ubi (XIX, 25) dicitur: « Scio quod » redemptor meus vivit, et in no» vissimo die de terra surrecturus » sum, etc.:» — Persae, syri, aegyptii, chaldaei, phoenices immortalitatem animae credebant, num finitimi hebraei illam ignorassent?

Moyses equidem nonnisi mercedem temporalem observantibus legem, et poenam temporalem eam transgredientibus statuit, eo quod motiva sensibilia et temporalia carnalem populum hebraeum maxime movebant; verum mercedem et poenam alterius vitae haud exclusit. Eo ipso quod iudaei a venturo suo Messia spirituali expectarent veram beatitudinem, expectabant et ab ipso praemium aut poenam alterius vitae.

Verum est tempore Christi extitisse sectam sadducaeorum, qui animas cum corporibus interire effutiebant, et quos Fl. Iosephus epicureis simillimos fuisse testatur. Verum, teste eodem Flavio Iosepho (1), caeteri iudaei illis nullum munus publicum concredebant, nisi publice saltem animas corporibus superstites esse docerent *.

(1) Fl. Ios. archaeolog. l. 15, c. 10. et l. 18, c. 1.

* Occasione sectae sadducaeorum, originem sectarum iudaicarum adnotare iuvat. Cum post exilium babylonicum lingua librorum sacrorum hebraeis non amplius vernacula esset, necessarii erant interpretes ad biblia in synagogis explicanda. Addiscebant hi interpretes linguam hebraeam in scholis. Doctores vero harum scholarum, qui duobus saeculis cum dimidio ante Christum philosophiam graecam noverant, idiomatis hebraici explicatione haud contenti, res, quae verbis bibliorum edicebantur, iuxta suam philosophiam interpretari aggressi sunt. Hinc inter hosce doctores paulo post contentiones de sensu rerum exortae sunt, quibus sectae pharisaeorum, sadducaeorum, ac essenorum suam originem debent. Tempore Christi inter pharisaeos nova nata erant schismata; hebraeorum enim doctores referunt, inter scholam Hillel, et scholam Schammai agitatas fuisse decem et octo acutissimas quaestiones, inter quas erat, quaenam causa ad repudium sufficeret (conf. Matth. XIX, 3. etc. et n. 61).

Sectae iudaeorum variis principiis theoreticis et practicis ab invicem differebant. Fl. Iosephus (Archaeol. XV. 10, 4) ait, simillimos fuisse pharisaeos stoicis, sadducaeos epicureis, et essenos vel essaeos pythagoricis. Pharisaeis plebs et feminae nobiles adhaerebant; hinc potentes, audaces ac formidandi erant (Fl. Ios. Archaeol. XIII, 10, 5-6), doctrinae autem dissensiones illos ab invicem non separabant.

Sadducaei erant homines magnates ac divites, muneribusque publicis fungentes, se pharisaeorum sententiis accommodare debebant (Fl. Ios. archaeol. XIII, 10, 6; XVIII, 1, 3, 4)

Esseni seu essaei monasticam fere vitam agebant, et non modo in Aegypto, sed et in aliis regionibus, praecipue autem ad occidentem maris mortui habitabant (Fl. Ios. arch. XIII. Plin. H. N. l. 5, c. 17).

Pharisaei cum stoicis propugnabant fatum, a quo tamen hominum actiones excipiebant (Fl. Ios. arch. XIII, 1,5, 5, 9. item de Bello Iud. II, 8, 14; Act. apost. V, 38-39). Credebant animas esse immortales, easque in receptaculo quodam subterraneo congregari, eas impiorum aeternis adfici poenis, hominesque viventes excruciare, proborum vero animas praemiis donari ac in alia corpora transire (Fl. Ios. arch. XVIII, 13. item de Bel. iud. II, 8, 14; III, 5, 8; Matth. XIV, 2; XVI, 14; Ioan. IX, 2, 34), docebant mortuorum resurrectionem. Admittebant spiritus bonos ac malos. Contendebant Deum hebraeis benefacere, ac partem in regno Messiae concedere teneri (Fl. Ios. XVII, 2, 4; item de Bell iud. II, 4, 8; Iust. dial.) Doctrina eorum moralis laxa erat; multa a Moyse maioris mali evitandi causa permissa per se licita esse adfirmabant. Contendebant etiam libellum repudii ex quacumque causa dari posse (Matth XIX, 3, etc.). Legem de amore proximi ad solos amicos restringebant, inimicos odio haberi posse adstruebant (Matth. V, 43). Iuramenta nomine Iehova non firmata non obligare adserebant. Praecepta naturalia a Moyse nulla poena sancita minutiis accensebant; caeremonias autem legales maximi faciebant (Matth. V, 19; XII, 34; XV, 4-6): quare iram sine causa, et impura desideria parvi pendebant (Matth. V, 21-30). Preces coram omnibus faciebant, ut sancti haberentur, sepulcra prophetarum exornabant, etc. (Matth. VI, 2-5. XXIII, 29). Traditiones quamplurimas ut maiorum praecepta servabant, quarum partem a Moyse derivabant, et legi divinae praeferebant (Matth. XV, 2-6). Hae traditiones, postmodum adhuc auctae in Talmude extant (conf. n. 1 notam). Mos ex patina cibos digitis ori ingerendi lotionem manuum ante mensam invexerat; hanc lotionem in officium religionis convertebant, ac illius omissionem fornicationi aequalem, et exterminatione dignam reputabant (Thalm. Babyl. Aboda *Zara* p. 11. Sota p. 4 , 2. Beracholh p. 46, 2 Thoanith. p. 26). Potum percolabant, ne animalcula impura deglutirent (Matth. XXIII, 24). Ieiunabant die iovis, quo die Moysen montem Sinai conscendisse, ac die lunae, quo eum de illo descendisse existimabant; fimbrias superindumenti ac phylacteria ferebant, etc. Aevo Christi e pharisaeis *secta ga*.

§ XVI. Num Moyses Deum nationalem, ac nonnisi formidandum docuit? Num Deum corporeum credidit? Num caeremoniae quas praescripsit sunt inutiles? De hirco emissario.

51. *Obi.* Moyses, aiunt, Iehova exhibet ut Deum titularem nationis hebraeae, seu ut Deum nationalem; 2° illum nonnisi formidabilem sistit; (Exodi XX, 5) Deus inducitur loquens: « Ego sum Dominus Deus » tuus fortis, zelotes, visitans ini» quitatem patrum in filios, in ter» tiam et quartam generationem eo» rum qui oderunt me. » 3° Moyses Deo attribuit aures, oculos, pedes, manus, illum dicit ascendere, descendere, poenitere, irasci, etc. 4° Quis crederet, omnes istas inutiles caeremonias, quas Moyses praescripsit, praesertim illas de hirco emissario, qui peccata iudaeorum in desertum deferre debebat, a Deo ipsi fuisse inspiratas?

Resp. 1° Mirandum prorsus, nonnullos contendere Moysen Iehova ut Deum nationalem iudaeorum exhibere: Moyses enim Iehova multis in locis ut universorum Dominum sistit; nam nomine Iehova compellat illum ipsum, qui coelum ac terram creavit (Gen. I, 1. Exod. XX, 8-12; XXXI, 17); qui a Iosepho omniscius, rerum omnium gubernator praedicatur (Gen. XLV, 5-8); qui ingentia illa miracula in Aegypto et Arabia Petraea praedixit ac patravit, quibus infinitam suam scientiam, et omnipotentiam manifestavit (Deut. IV, 32-36; X, 21. Exod. VI, 7; VII, 5; X, 1-2; XIV, 18, 31; XVI, 12; XXIX, 46); qui vitam omnibus viventibus tribuit (Num. XVI, 22) etc. Hunc vero Deum, populorum omnium gubernatorem, illum docet esse, qui a iudaeis colendus est, non dumtaxat, quia unicus est verus Deus, sed et quia hebraeos ex omnibus populis elegit custodes divinae suae religionis apud eos servandae donec ad omnes alias nationes propaganda erat (Gen. XVII, 9-14); et quia iudaei Deum in regem elegerant.

2° Fatemur Moysen saepius Deum exhibere ut iudicem iustum, scelerumque severum vindicem; sed hoc fecit tum quia Deus flagitia quandoque in hac vita severe punit, tum quod Deus iudaeorum rex erat, cu-

lilaeorum prodiit, duce Iuda Galilaeo, quae docebat, iuxta legem Moysis tributum non esse solvendum romanis, eo quod *iudaei* soli Deo subessent (conf. Act. apost. V, 37); quare hi sectarii, a Christo captiose quaerebant, utrum Caesari tributum dari liceret (Matth. XXII, 15-22)?

Sadducaei tenebant nullum existere spiritum praeter Deum, animas cum corporibus interire, resurrectionem non futuram (Act. XXIII, 8), haud adesse providentiam, traditiones pharisaeorum non esse servandas. Lapsu autem temporis animae immortalitatem, ac angelorum existentiam admisisse videntur, ita ut saeculo septimo solas traditiones reiicerent; quare Karaei dicti sunt.

Esseni cum therapeutis magnam similitudinem habebant. Primi autem erant hebraei lingua aramaea utentes; alteri vero iudaei graeci; primi in Palaestina praesertim, alteri in Aegypto potissimum commorabantur. Illi magnas solummodo urbes fugiebant, ac artes et opificia exercebant, hi vero deserta, campos ac hortos incolebant, et se fere totos contemplationi dedebant. Utrisque omnia communia erant. Esseni candidati bona sua societati, therapeutae vero propinquis tradebant, et utrisque, annis probationis elapsis, professio vitae probatissimae emittenda erat. Esseni nondum orto sole suas preces peragebant, dein vero ad suum opus pergebant; hora undecima ad frugale prandium conveniebant. Illo finito quilibet ad suum opus redibat, et vespere coena, prandio similis, ac ex pane ac pulmento constans, sumebatur. Ante refectiones sacerdos preces fundebat. Die sabbathi in synagoga congregati praelectionem et explicationem audiebant, iuramenta reprobabant, excepto in emissione suae professionis, servitutem naturae contrariam esse adserebant, etc. Classis dumtaxat particularis eorum coniugia contrahebat, hique ad gravidam coniugem non accedebant; reliqui matrimonium non damnabant, sed omnes mulieres viris suis infideles esse credebant.

Esseni eamdem fere ac pharisaei doctrinam habebant. Therapeutae quamplurima cum essenis communia habebant, sed omnes caelibem vitam agebant, solo pane, sale et quandoque hyssopo in cibum utebantur, solo die sabbathi mensam communem habebant; viri autem a dextris, et puellae a sinistris, tum separati erant. Noctem sabbathi vigiles transigebant; hymnos canebant ac choreas ducebant. (Vide Fl. Ios. arch. XV, 10, 5; XVII, 15, 5; XVIII, 1, 5, 10. Item de Bel. iud. VIII, 2-12. Phil. quod omnis probus liber de vita contempl.) (Conf. n. 1 notam).

ius proinde erat delinquentibus irrogare poenas, ut boni a malorum insultibus ac laesionibus liberi essent, tum quod id oppido necessarium erat, ut populus iudaeus, inflexibilis, indocilis, crebro rebellis, coërceretur, et ad legis observantiam adigeretur. Falsissimum autem est, Moysen Deum nonnisi ut iudicem inexorabilem exhibere; magnificae enim illae promissiones divinae, quas Deus in pentateucho tum patriarchis, tum ipsis hebraeis fecisse, ac saepius repetiisse legitur, legislatio, atque deductio in regionem Chanaan, sunt Dei beneficia ingentia, quae illum beneficentissimum sistunt (Deut. VII, 6-9; VIII, 2-20; IX, 4-8).

Verba adlegati textus Exodi XX, multis naturalistis ea male intelligentibus equidem offendiculo fuerunt; at perpendenti patet, illa continere poenam parentum impiorum admonitionemque pro eorum posteris; cum enim illo aevo parentes de sorte suorum posterorum admodum solliciti essent, gravissima poena illis erat, cum scirent carissimos suos filios, nepotes, pronepotes et abnepotes ob mala sua exempla impios, et hinc miseros futuros esse. Monentur autem posteri, ut a parentum iniquitate sibi caveant. Quare posteri non puniendi dicuntur, nisi parentum suorum impietatem sectentur, ut patet ex ipso citato textu, et hinc (Ezechielis XVIII, 20) Deus dicit: « Filius non portabit iniquita- » tem patris, et pater non portabit » iniquitatem filii: iustitia iusti su- » per eum erit, et impietas impii e- » rit super eum. » (Conf. n. 59).

3° Iudaei, pro quibus Moyses scripsit, non erant philosophi, qui Deum ut purum spiritum considerarent, sed homines valde rudes; quare ut ab illis intelligeretur, Deum hinc inde metaphorice ut hominem exhibuit. Huiusmodi autem phrases modo Deo digno intelligendas esse, evincunt alia Moysis dicta, quibus Dei maiestatem ac perfectiones describit, ut (Gen. I, 3): « Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux » ac egregium eius canticum (Exod. XV, 1-19): « Cantemus Domino: gloriose » enim magnificatus est, equum et » ascensorem deiecit in mare. » (Conf. Deut. IV, 15-16).

4° Licet caeremoniae iudaicae ex se nihil praestans habuerint, vocante illas d. Paulo egena elementa, non tamen fuerunt inutiles Deove indignae. Nihil impuritatis ac credulitatis continuerunt, prout continebant illo aevo gentilium caeremoniae, sed summa sapientia a Moyse israëlitis praescriptae fuerunt, — ut distinguerentur a nationibus idololatricis; —ut continuo recordarentur ingentium prodigiorum beneficiorumque, quibus a Deo cumulati fuerant;—ut distraherentur a cultu ac caeremoniis gentilismi, in quem proni erant; hinc s. Chrysostomus: « Praecepta » ritualia, inquit, ideo data fuisse » ut per assiduam eorum observan- » tiam a cultu daemonum ac idolo- » rum iudaei abducerentur, non pro- » pter utilitatem ex eorum obser- » vantia prodeuntem (1); — demun » hae caeremoniae erant figurae Mes- » siae iudaeis a Deo adpromissi. »

Quae spectant hircum emissarium (Lev. XVI, 21-22) symbolica erant; imponebat summus sacerdos festo expiationis ambas manus capiti hirci, eum omnibus delictis ac praevaricationibus iudaeorum symbolice onerabat, illumque dein viro tradebat, qui ipsum in deserta loca deduceret, liberumque dimitteret. Sed hoc symbolo significabatur iudaeos, qui se tum Deo reconciliaverant, poena liberatos esse.

(1) Chrys. comment. in Isaiam.

§ XVII. De circumcisione.

52. *Obi.* An verisimile est, aiunt increduli, Moysen fuisse inspiratum ad scribendum, Deum Abrahae praescripsisse ritum gentilem circumcisionis (Gen. XVII)? Herodotus enim scribit: « Soli inter omnes homines » circumcidebantur colchi, aegyptii » et aethiopes; postmodum vero et » phoenices(1) et palaestini(hebraei) » ab aegyptiis hunc circumcisionis » morem acceperunt.» — Diodorus Siculus ac Strabo idem testantur. Celsus ac Iulianus dicunt Abrahamum circumcisionem in Aegypto didicisse (2). Idem sentiunt Marsham et le Clerc (3). Orientales circumciduntur sanitatis causa.

Resp. Si etiam circumcisio ante Abrahamum a gentilibus usitata fuisset, et sanitatis causa in calidis regionibus adhiberetur, num Deus tamen illam in signum characteristicum populi sui praescribere non potuisset? Foederibus solemniter sancitis monumentum aliquod in perpetuam rei memoriam saepe adiungi solet: sic Deus, inito foedere cum Noëmo, iridem illius monumentum esse voluit. Cum igitur nullus populus, fatentibus omnibus, circumcisionem ut obligatoriam habuerit, num Deus populum suum ad illam obligare non potuit, ut per hoc signum initi foederis et ab omnibus aliis populis distingueretur, et promissionum divinarum recordaretur? fuit hic finis primarius circumcisionis. Potuerunt autem et adesse fines secundarii, 1° ut praecaveretur morbus carbunculi, qui in calidis regionibus ex immunditiis sub praeputio congregatis in glande membri virilis oritur ac lethalis est (4); 2° ut iuvaretur foecunditas matrimonii, ac incrementum populi; constat enim arctius praeputium, ut in calidis climatibus quandoque reperitur, matrimonii foecunditati obesse.

Unde Herodotus, Strabo, Diodorus Siculus, etc. sciverunt iudaeos circumcisionem ab aegyptiis mutuatos esse? et qua ratione suam assertionem firmarunt? omnes Moysi pluribus saeculis posteriores sunt; quare eorum opinio est mere gratuita. Artapanus autem apud Eusebium scribit (5), ipsos sacerdotes aegyptios (populus aegyptius generatim non circumcidebatur) circumcisionem ab Abrahamo et a Iosepho didicisse.

Moyses equidem de circumcisione loquitur terminis, qui illius notitiam praesupponunt. Sed circumcisio Abrahae praecepta, et diu ante Moysen proinde usitata fuit; quare nota supponi debebat aevo Moysis*.

(1) Herod. hist. lib. 2, cap. 104.
(2) Origen. cont. Cels. l. 1 et 5. Cyr. Cont. Iul. lib. 1. (3) Marsham can. Aegypt. saec. 5. le Clerc. in Gen. cap. 17. (4) Vide Herod. l. 2. Fl. Ios. l. 2. Cont. Apion. Philo de circumc.
(5) Euseb. Dem. evang. l. 9. c. 28.

* Circumcisio, a *circumcido* ita dicta, est abscissio pellis glandem membri virilis tegentis octavo die post nativitatem filiis facienda. Videtur Deus signum sui foederis in hoc membro voluisse, quia est pars principalissima hominis, qua generat sui simile, imaginem Dei quoad animam.

§ XVIII. De Lotho eiusque filiabus.

53. *Obi.* Quis credat, dicunt increduli, Moysen inspiratum, dum flagitiosum concubitum filiarum Lothi cum suo patre describit, illumque haud improbat(Gen.XIX,31-38)?

Resp. Exinde quod Moyses flagitiosum hunc filiarum cum Lotho patre concubitum positive non improbat, minime sequitur, eum ipsum sine flagitio existimasse. Eo ipso quod minora peccata aliis in locis severe reprehendit, ac punienda sancit, et hoc flagitium contra naturam improbat. Factum filiarum Lothi (Gen. XIX, 31-38) ut historicus simpliciter refert, ut ammonitarum ac moabitarum originem indicet. Haec vero

ipsa narratio, sine glossa facta, summam Moysis veracitatem commendat.

Caeterum Loth non videtur vir fuisse omni exceptione maior. A ruina Pentapoleos servatus fuisse videtur potissimum ad Abrahae preces (Gen. XVIII, 24); propositio enim, quam (Gen. XIX, 8) sodomitis fecit, de eis ambas suas filias cognoscendas tradendo, et duplex eius ebrietas, ne de duplici eius incestu (Gen. XIX, 31-38) loquamur, id evincunt.

Hoc in excusationem propositionis Lothi dici potest, quod aut tantopere exagitatus fuerit, ut ad ea quae dicebat haud reflecteret, aut quod infamis sodomitarum in angelos concupiscentiae conscius, certus fuerit, suam propositionem ab iis haud acceptum iri, ut reapse contigit.

In excusationem vero duplicis eius incestus adlegari potest, eum vel ignorasse quod suis filiabus accumberet, credendo se accumbere uxori, vel tanta ebrietate obrutum fuisse, ut quid ageret nesciret, nec postero die fuerit recordatus.

Filiae vero eius nullo modo excusari posse videntur, licet Origenes, s. Irenaeus, s. Chrysostomus, Theodoretus et s. Ambrosius eas a culpa liberare moliti sint. Aiebant totum genus humanum periisse, et se solas ope patris illud propagare posse. Verum hic praetextus caecae explendae libidinis fuisse videtur: meminisse enim debebant promissionis angeli, qui oppidum Segor salvum fore dixerat, hancque civitatem existentem insuper ante oculos habebant; hinc scire debebant, totum genus humanum non periisse. Medium ipsum quo usae sunt, ad patrem ad duplex hoc flagitium inducendum, sat probat, illas bonae fidei haud fuisse. In perpetuam autem suam infamiam nominavit natu maior filium ex patre susceptum *Moab*, hebraice *Meab*, id est: *Ex patre;* altera vero appellavit suam prolem *Ammon*, hebraice *Ben-Ammi*, hoc est: *Filium populi mei.*

§ XIX. De mendaciis et spolio aegyptiaco.

54. *Obi.* (Exodi I, 15-21) Obstetrices a Pharaone omnes neonatos masculos hebraeorum interficere iussae, mentitae sunt, dicentes, iudaeas sine obstetricum auxilio proles suas in lucem edere. Deus vero hisce obstetricibus benefecisse legitur. An Deus, aiunt increduli, mendacium prohibere, illudque remunerari potest? — (Exodi XI, 2) Deus Moysi dixisse legitur, ut israëlitas ab aegyptiis vasa aurea et argentea mutuo petere praeciperet, ad sacrificandum Iehovae in deserto, et (c. XII, 35-36) israëlitae reapse vasa argentea et aurea, vestemque plurimam ab aegyptiis mutuo accepisse dicuntur: *et spoliaverunt aegyptios*, ait Moyses. Num Deus huiusmodi furtum imperare potest? Quis huiusmodi inspirata crederet?

Resp. Deus hisce obstetricibus benefecit non in mercedem mendacii, sed bonae voluntatis; hae enim Deum veritae barbarum Pharaonis praeceptum executae haud sunt. Hinc: «Re» munerata est, ait s. Augustinus, » benevolentia, non fallacia; beni» gnitas mentis, non iniquitas men» tientis (1). »

Idem dicendum est de Rahab (Ios. II, 1-6, collat. cum Iac. II, 25), ac de multis aliis huiusmodi exemplis in scriptura occurrentibus. Nemo au tem hoc mirabitur, si perpenderit saeculo quinto adhuc magnopere disputatum fuisse, utrum mendacia, quae nemini nocent, aliis autem prosunt, licita essent necne: Magna quaestio, aiebat s. Augustinus de huiusmodi mendaciis, latebrosa tra-

(1) August. lib. cont. mendac. c. 15.

ctatio, disputatio inter doctos alternans (1). Immo (in Levit. q. 68) idem s. Doctor: *de mendacio pene omnibus videtur, inquit, quod ubi nemo laeditur, pro salute mentiendum est.*

Cum percipi non possit quomodo aegyptii res istas pretiosas iudaeis mutuo dederint, cum probe scirent illos, cum senibus, infantulis, etc. proficiscentes, non amplius reversuros esse, haud male recentiores exegetae nonnulli existimant, hebraeos hasce res pretiosas petiisse ut pretium pro rebus quas relinquebant. Qua in sententia (Exod. XII, 36) verbum *spoliare* tropice adhibitum est. Sed ponamus hebraeos hasce res pretiosas solummodo mutuo accepisse, illas proinde furati non sunt, et cum illas petierint iussu Dei, qui sciebat eos haud reversuros, ipsas legitime tenuerunt, Deo rerum omnium supremo Domino, illis hasce res pretiosas donante, in iustam compensationem tot malorum, quae perpessi erant.

Recentiores equidem multi defendunt, hebraeos titulo compensationis et permutationis praefatas res possedisse, eo quod praeter terram Gessen multa aegyptiis relinquerent. Ast num hic titulus praecise cadebat in illos aegyptios, ad quos spectabant res ab hebraeis abductae?

§ XX. De lege talionis.

55. *Obi.* (Exodi XXI, 22-25) Moyses praescribit, lege *talionis* par pari esse referendum: « Reddet, inquit, » animam pro anima, oculum pro » oculo, dentem pro dente, manum » pro manu, pedem pro pede, adu- » stionem pro adustione, vulnus pro » vulnere, livorem pro livore.» Lex ista, aiunt increduli, est barbara, iniusta, indecens ac immoralis.

Resp. Poena ista in *praemeditata membrorum violatione* solummodo locum habebat, et nonnisi in iudicio infligenda erat, nisi reus deprecatione et pecunia offenso satisfecisset. Testatur autem Fl. Iosephus, iudaeos offensis hoc modo plerumque satisfecisse, excepto in casu homicidii ob legem Moysis (Deut. XXXV, 30-31). Iam ante Moysen haec poena in usu fuisse videtur. Graecos eamdem legem habuisse ex vita Solonis apud Diogenem Laërtium patet. Romani illam septima tabula retulerunt: *Si membrum rupsit, ni cum eo parcit, talio esto*, ac diutissime observarunt. Interim poena ista erat necessaria ad potentiorum illius aevi insolentiam, ac inferiorum rebellionem reprimendam, efficacissima ad homines feroces coërcendos; et proprissima, ut nempe in quo quis alterum laeserat, in eo ipso pateretur; tantum abest, ut sit *barbara, iniusta, indecens ac immoralis.* Progressu vero temporis cum hominum mores mansuescerent, transactiones, quas rei petebant et obtinebant, in ius ordinarium transierunt. Christus christianos perfectos huic poenae petendae supersedere voluit (Matth. V, 38).

(1) Lib. de mendac. c. 1.

§ XXI. Num hebraei reliquum humanum genus odio habere edocti sunt? De usura, ac de exterminatione chananaeorum.

56. *Obi.* Quis Moysi divinam tribuet inspirationem, effutiunt naturalistae, qui iudaeos odium reliqui humani generis edocuit? Ad hoc enim tendunt 1° *foedus illud particulare*, quo se solos Deo acceptos credebant, reliquasque nationes contemnebant; 2° *usurae*, quae illis in omnes alias nationes licitae erant, et quibus eas opprimere poterant (Deut. XXIII, 19-20); 3° *exterminatio omnium gentilium in regione Chanaan* (Num. XXXIII, 50-56). Hinc recte Tacitus de iudaeis: «Apud » hebraeos, inquit, fides obstinata,

» misericordia in promptu, sed adversus omnes alios hostile odium (1). »

Resp. Falsissimum est, iudaeos alias nationes odio habere edoctos fuisse. Nullibi in Pentateucho legitur: *Diliges proximum tuum, et odio habebis inimicum tuum*, ut scribae (Matth. V, 43) interpretabantur Levitici (19, 18) verba: *Diliges amicum tuum sicut te ipsum.* Immo (Deut X, 19) Moyses israëlitis praecipit: « Amate peregrinos quia et vos fuistis advenae in terra Aegypti; » et (Exod. XXIII, 4-5): « Si occurreris, » ait, bovi inimici tui, aut asino » erranti, reduc ad eum. Si videris » asinum odientis te iacere sub o» nere, non pertransibis, sed sub» levabis cum eo. » Perfectionis legis christianae equidem proprium est inimicos ipsos diligendos praescribere (Matth. V, 44); sed an Deus tenebatur iudaeos lege particulari ad hanc charitatis perfectionem obligare? Verum respondeamus ad singula.

1º Deus utique Abrahae posteros particulari sua benevolentia dignatus est, illos revelata religione donavit, atque pacto foedere eos, ab aliis nationibus distinctos, in populum elegit peculiarem, qui divina eius oracula conservaret, donec tempus ea omnibus populis per filium Dei manifestandi advenisset. Poterant et gentiles eadem revelatione uti, prout et omni tempore aliqui ea usi sunt, quin ad positivam Moysis legem adstringerentur. Hebraei igitur merito se aliis populis praeferre poterant, quia solus populus erant, qui verum Deum digno cultu venerabatur, veramque sapientiam sectabatur. Sed an ex eo sequitur, illos aliorum populorum odium ac contemptum edoctos fuisse? Edicant nobis naturalistae, utrum christiani, eo quod foedere particulari ab aliis populis secernantur, verum Deum, verumque eius cultum sequantur, ideo omnes alios populos odio ac contemptui habere doceantur?

2º Deuter. XXIII, 19-20 equidem legitur: « Non foenerabis fratri tuo » ad usuram pecuniam, nec fruges, » nec quamlibet aliam rem: sed a» lieno. Fratri autem tuo absque » usura, in quo indiget commoda» bis. »

Ast num Deus, cui supremum in omnes res dominium, hebraeis dare non potuit, quod ob mutuo datam pecuniam ab exteris ultra sortem accipiebant? Deus vicinos populos idololatras regionis Chanaan iudaeis interimere praeceperat: an mirum eum ipsis usuram in hosce populos permisisse? Quis vero dicet, ex licitate usurae praecise sequi populorum oppressionem? Num europaei se mutuo opprimunt, dum iustis de causis ob mutuo datas pecunias aliquid ultra sortem recipiunt? Num oppressio populorum sequitur ex lege principis, vi alti sui dominii in bona subditorum, ut in praescriptione, ob bonum publicum aliquid ultra sortem accipere permittentis? Sed quomodo probarent naturalistae, aliquem iure naturae obligari, ad, sine utilitate, seu usura latioris sensus, pecunias suas mutuo dandas non dumtaxat pauperibus, sed etiam divitibus et mercatoribus, si iustus adest titulus?

3º Iudaei equidem omnes chananaeos exterminare iussi sunt; sed alios populos bello lacessere iis vetitum erat. Ipsis vero lacessitis regulae moderationis praescriptae erant. Apostatas morte punire ac idololatras inter se haud tolerare debebant.

De exterminandis chananaeis (Num. XXXIII, 50-56) legitur: « Locutus » est Dominus ad Moysen: Prae» cipe filiis Israel, et dic ad eos: » quando transieritis Iordanem, in-

(1) Tacit. Annal. I. 21.

» trantes terram Chanaan, disperdite cunctos habitatores terrae illius: confringite titulos, et statuas comminuite, atque omnia excelsa vastate, mundantes terram, et habitantes in ea, ego enim dedi vobis illam in possessionem. Quam dividetis vobis sorte, pluribus dabitis latiorem, et paucis angustiorem. Singulis ut sors ceciderit, ita tribuetur haereditas, per tribus et familias possessio dividetur. Sin autem nolueritis interficere habitatores terrae; qui remanserint erunt vobis quasi clavi in oculis, et lanceae in lateribus, et adversabuntur vobis in terra habitationis vestrae: et quidquid illis cogitaveram facere, vobis faciam. »

Ex quibus liquet Moysen exterminationem chananaeorum, occupationemque eorum regionis derivare ex alto Dei in vitam bonaque hominum dominio. Causa vero necis et expulsionis chananaeorum fuit eorum corruptio ac flagitiosa vita, ut Gen. (XV, 16) et aliis in locis diserte dicitur. Verum cum aegyptii, phoenices aliique populi gentiles non minus corrupti ac flagitiosi essent quam chananaei, atque chananaei suae expulsioni a Moyse annuntiatae obsistere potuissent, siquidem haec extraordinaria providentia illis incognita esset, quaeritur 1° cur Deus hebraeis, et non alii genti, ius chananaeos, et non aegyptios, phoenices, etc. pellendi concesserit? 2° Cur chananaeos ad internecionem usque deleri iusserit?

I. Nonnulli ex *conficto testamento Noachi*, alii ex *contractu formali filiorum eius*, derivare frustra conati sunt. Qui vero adserunt hebraeis non aliud ius belli in chananaeos fuisse, quam aliis populis, novas sedes quaerentibus, ius nullum illis tribuunt. Et si hoc esset, an iudaei aeque aggressi non fuissent moabitas, edomitas, ammonitas et amorrhaeos, a quibus simpliciter transitum petierunt, ut in regionem Chanaan penetrarent? Aiunt equidem tum temporis viguisse sententiam, populum, qui adiuvante Deo alium vicisset, iure huius regionem possidere, provocantque ad Iudic. (XI, 24). Verum locus iste aliam iuris deductionem continere legenti versus 12-28 liquet.

Verisimile omnino est, rationem expulsionis chananaeorum esse pristinum titulum possessionis hebraeorum: Abraham enim, ne de Thare loquamur, iure primi occupantis pascua regionis Chanaan possedit, puteos fodit, altaria erexit, voluntatemque sibi hanc regionem addicendi manifestavit; hinc illam non Ismaëli sed Isaaco, et hic non Esau sed Iacobo ut haereditariam reliquit. Hi patriarchae regionem Chanaan ultra duo saecula possederunt, usquedum Iacob cum suis, occasione ingentis famis, ad Iosephum in Aegyptum migravit. Cum vero ille ac eius filii animum inde in Chanaan redeundi habuerint, ut constat ex Gen. (XLVIII, 21-22; XLIX, 1-16), ius suum in hanc regionem non abdicarunt.

Aetate Abrahae equidem chananaei in regione Chanaan erant (Gen. XII, 16; XXIV, 3), at pauci tantummodo. Hi vero, Iacobi posteritate ultra quatuor saecula in Aegypto commorante, admodum multiplicati omnem regionem occuparant, iudaeosque inde excluserant. Iure igitur suo iudaei regionem Chanaan repetebant, et cum illam pacifice obtinere haud possent, iure chananaeos armis aggressi sunt.

II. Ratio omnimodae exterminationis chananaeorum erat - ne hebraei illis immixti et in eorum idololatriam et corruptionem laberentur; - ut hebraei certas sedes ha-

berent; - ne postea a chananaeis expellerentur. Antiquo illo aevo ius belli saevissimum ac immane erat (I Reg. XXX, 1; Ps. CXXXVI, 9; Isai. XIII, 16). Populi integri in captivitatem abducebantur, aut etiam internecione delebantur. Multis saeculis postea cum mores mansuescerent, iusque belli mitius esset, romani sub Scipione Africano florentissimam urbem Carthaginem flammis adusserunt, ac sub Vespasiano imp. capta ac funditus eversa Hierosolyma, multisque iudaeorum millibus trucidatis, 97,000 ut vilissima mancipia paucis obolis divendiderunt. Cum, invalescentibus religione ac scientiis, rerum facies mutata est, ius belli, in Europa praesertim, ex populorum consensu etiam humanius factum est. Caeterum scribit Herodotus plurimos chananaeos in Africam commigrasse (1), et iudaei ipsi aliquos contra expressum Moysis mandatum tolerarunt.

§ XXII. De anno sabbatico.

57. *Obi.* Levitici (XXV, 2-5) Moyses nomine Dei hebraeis praecipit: « Quando ingressi fueritis, inquit, » terram, quam ego dabo vobis, » sabbatizes sabbatum Domini. Sex » annis seres agrum tuum, et sex » annis putabis vineam tuam, col- » ligesque fructus eius: septimo au- » tem anno sabbatum erit terrae, » requietionis Domini: agrum non » seres, et vineam non putabis; quae » sponte gignit humus non metes: » et uvas primitiarum tuarum non » colliges quasi vindemiam: annus » enim requietionis terrae est.» Haec lex, aiunt deistae, absona et imprudens est.

Resp. In annum sabbaticum specialis Dei providentia extabat, ut versu 21 legitur. Lege ista in memoriam septimi diei mundi, quo Deus novas creaturarum species producere desiit, septimo anno adligata, efficiebatur - ut terrae vires suas reficerent, - ut pauperibus subveniretur: quae sua sponte crescebant pauperibus, peregrinis et feris relinquenda erant (Lev. XXV, 1-7; Deut. XV, 1-19); - ut ferarum genera conservarentur; - ut iudaei parcimoniae studerent, ut industriae adsuescerent, annis praecedentibus fruges congererent, quo fami et caritati annonae consuleretur.

Anno autem isto iudaei minime otiabantur, solum enim foecundabant cineribus, in quos stramen, stipulas, glumas, vepretes ac herbas, quibus campi obducebantur, redigebant, igne illi iniecto, atque ita zizaniorum semina destruebant. Apes ac greges curabant, linum ac lanam texebant, supellectilia reparabant, iuxta Deut. (XXXI, 10) explicationi legis ac officiis religionis studiosius incumbebant, etc. Quare lex ista nec absona nec imprudens fuit.

Hebraei autem hanc legem usque ad exilium babylonicum haud observasse videntur: praedixerat id eis Moyses (Lev. XXVI, 33-35) dicens: « Vos autem disperdam in gentes... » tunc placebunt terrae sabbata sua » cunctis diebus solitudinis suae: » quando eritis in terra hostili, sab- » batizabit et requiescet in sabbatis » solitudinis suae, eo quod non re- » quieverit in sabbatis vestris, quan- » do habitabatis in ea.»

Secundo vero Paral. (XXXVI, 20-21) habetur: «Si quis evaserat gla- » dium ductus est in Babylonem, » servivit regi et filiis eius, donec » imperaret rex persarum. Ut com- » pleretur sermo Domini ex ore Ie- » remiae, et celebraret terra sab- » bata sua: cunctis enim diebus de- » solationis egit sabbatum, usque » dum complerentur septuaginta an- » ni.» Ast post captivitatem baby-

(1) Herod. l. 18, c. 15.

lonicam, iudaei hanc legem, ut et alias, teste Fl. Iosepho, religiosius observarunt.

§ XXIII. De cibis vetitis iudaeorum.

58. *Obi*. Levitici (cap. II), aiunt deistae, occurrit distinctio inter *animalia munda ac immunda*. Hebraei comedere prohibentur animalia optima. An hoc non est ridiculum?

Resp. Nulla extat natio, cui certa animalia non sint abominationi; an mirum igitur id et apud iudaeos obtinuisse? Distinctio animalium mundorum ac immundorum apud hebraeos iam ante diluvium nota fuit (Gen. II, 7). Moyses vero eam lege positiva ac religiosa sanxit. Ex hac vero Moysis lege de delectu ciborum, summam eius sapientiam maxime commendari videbimus. Cibi iudaeis vetiti alii erant immundi, seu sordidi, vel tales censebantur; alii vero altari consecrati erant.

1° Cibi *immundi* erant animalia impura dicta: — Quadrupedia omnia, quae vel non ruminant, vel ungulas non plene fissas habent, nominatim cameli, lepores, sues, mures etc. — Serpentes ac insecta reptantia (locustis exceptis) quae praeter alas et quatuor pedes instructa non sunt duobus longioribus cruribus, quibus saliunt. — Variae species volucrum, ut aquilae, corvi, etc. Illorum autem nomina in hebraeo obscura sunt. — Pisces, qui pinnulis vel squamis non gaudent. — Immundus erat omnis cibus in vase, ac semen aqua humefactum, in quod mortuum insectum immundum ceciderat (Lev. XI, 1-38). — Cibus ac potus in vase non cooperto, in loco morientis vel mortui extante (Num. XIX, 15). — Omnia quae idolis consecrata fuerant (Exod. XXXIV, 15). - Haedus in lacte matris coctus (Exod. XXIII, 9, 34, 26. Deut. XIV, 21). Haud liquet, utrum Moyses per hoc aliquam superstitionem prohibere intendat, vel utrum mansuetudinem erga animalia inculcet, aut butyrum in carnibus assandis reprobet, ut iudaeos ad colendas oleas incitet. Iudaei continua praxi hoc ultimum probabile reddiderunt. — Animalia a feris dilaniata, quorum sanguis in corpore manserat (Exod. XXII, 31; Deut. XIV, 21).

Iam vero constat 1° ex consensu physiologorum, carnes plerorumque animalium recensitorum, in regionibus calidis praesertim, insalubres ac nocivas esse. 2° Populi gentiles vicini, ut *aegyptii*, *phoenices*, *chaldaei* ac *arabes* multa ex his animalibus in deliciis habebant, et quandoque diis suis consecrabant. Moyses igitur hebraeorum sanitati consulturus, eosque ab omni familiari cum gentilibus commercio separaturus; quod usu maiorum primitus introductum fuerat lege positiva ac religiosa sanxit. An hoc est ridiculum?

2° Cibi altari *consecrati* erant: — sanguis animalium (Lev. VII, 26). - Adeps intestinorum, hepatis maior lobus, renes, ac adeps iis adhaerens (Lev. III, 1-10). — Cauda pinguis ovium (ib.). Hi vero cibi iudaeis vetiti erant, quia altari consecrati erant.

§ XXIV. De immunditiis legalibus.

59. *Obi*. Quis absonas non dicet, oggänniunt naturalistae, varias illas immunditias legales, quas Moyses in levitico recenset, et ob quas iudaeos et a sacris et ab hominum societate arcet?

Resp. Immunditiae, ob quas aliquis a sacris et ab hominum consortio separabatur, non solum apud hebraeos, sed et apud alios populos antiquos usitatae fuerunt. Plerasque immunditias, in levitico recensitas, iudaei iam ante Moysen tales reputabant (vide Gen. XXXI, 35).

Erant autem immunditiae legales adiuncta contagiosa, vel de contagione suspecta, vel quae abominanda habebantur. Hasce immunditias Moyses lege positiva ac religiosa observandas esse edixit, tum ut studium puritatis internae hebraeorum promoveret, sanitati illorum consuleret, illorumque mores mansuetiores redderet; tum ut illos a gentilibus secerneret, ac a periculo seductionis in idololatriam removeret. Praescripsit autem Moyses pariter ritus quibus immundi mundati sacris ac societati restituerentur. Num hae leges sunt absonae? Num ridiculae? Annon potius magnam in Moyse sapientiam arguunt? En immunditias legales.

1° *Lepra*, morbus elephantiacus, Aegypto, Asiae, ac generatim regionibus calidis proprius, contagiosus, ac incurabilis. In Aegypto ac Syria adhuc grassatur. Lepra plerumque per eruptionem exiguae maculae, puncturae acus adinstar, circa nasum aut oculos se manifestat, propelliturque ab internis in cutem exteriorem, telam cellulosam, ossa, medullam et ossium articulos inficit. Artus extremi sensim emoriuntur, dissolvuntur ac decidunt, atque corpus horrendum in modum mutilatur. Hic morbus terribilis vehementem dolorem non parit, sed ingentem debilitatem, melancholiam, et quandoque incitationem ad autochiriam (Iob VII, 15). Transit in quatuor genera leprarum: in lepram scilicet *Elephantiasim*, qua articuli decidunt, corpusque mutilatur; in *Elephantiasim albam;* in *Psoram*, seu *Vitiliginem nigram* (Deut. XXVIII, 27, 35. Lev. XXI, 20-22); ac in *Alopeciam*, seu *Lepram rubram*. Leprosi vehementissimis stimulis carnis agitantur, quare a procreandis miserrimis prolibus haud abstinent, atque morbum suum contagiosum in tertiam et quartam generationem transmittunt. Deum huic morbo allusisse (Exodi XX, 4-6; Deut. V, 9; XXIV, 8-9) nonnulli existimant (Conf. n. 51). An mirum, Moysen huiusmodi leprosos, ne alios inficerent, a consortio hominum separari iussisse?

Leprosi in civitatibus et pagis non tolerabantur, veste lugubri induti, nudo capite, opertoque mento incedere, et obviis tenebantur clamare: *Immundus, immundus!* (Lev. XIII, 45; Num. V, 1, etc.). Tenebantur autem leprosi se ab initio morbi sistere sacerdotibus, quorum curae ars medica commissa erat.

2° *Gonorrhaea* benigna, ac virulenta seu lues venerea, quae pariter contagiosa est (Lev. XV, 3).

3° *Emissio seminis*, sive per pollutionem, etiam nocturnam, ad efficacius pollutionem voluntariam impediendam, sive per concubitum, etiam legitimum, ne hebraei polygamiae nimium indulgerent, saniores que et robustiores procrearent infantes. Haec immundities durabat usque ad vesperam (Lev. XV, 16-20).

4° *Puerperium;* puerpera, filium enixa, 7 diebus immunda erat, et 33 diebus a templo arcebatur; enixa vero puellam, 14 diebus immunda erat, et 66 diebus a templo separata erat (Lev. XII, 1-6; XV, 16-28).

5° *Menstrua mulierum*, ob quae 7 diebus separatae erant (Lev. XV, 19-24; vide et Gen. XXXI, 35). Hoc tempore concubitus, etiam legitimus, sub poena capitis interdictus erat (Lev. XX, 18), probabiliter ob periculum reale aut creditum leprae, seu luis venereae in calidis istis regionibus contrahendae, prolesque leprosas procreandi.

Immundae pariter erant mulieres morbido fluxu sanguinis laborantes, donec fluxus iste cessasset (Lev. XV, 25-30; vide et Matth. IX, 20).

Qui ab immundo tactus fuerat fiebat et ipse immundus; qui vero tetigerat cadaver hominis vel animalis, ossa mortuorum vel sepulcrum, atque qui fuerat in domo morientis aut mortui, 7 diebus immundus erat (Num. XIX, 11). Sacerdotes per signa luctus de defuncto, excepto de defunctis parentibus, infantibus, fratribus, ac sororibus virginibus, in domo paterna existentibus, immundi fiebant. Summo autem sacerdoti signa luctus de quocumque defuncto prohibita erant (Lev. V, 2; XI, 8-11, 24-31; XXI, 1-5, 10-11).

Pleraeque immunditiae legales nonnisi usque ad vesperam durabant, et mundabantur balneis, quibus iudaei se cum suis vestibus, aut se ac vestes separatim, immergebant; aliae purificabantur sacrificiis, aut certa quadam aqua.

§ XXV. De leviratu.

60. *Obi.* (Deut. XXV, 5-6) Moyses ait: « Quando habitaverint fra-
» tres simul, et unus ex eis absque
» liberis mortuus fuerit, uxor de-
» functi non nubet alteri: sed acci-
» piet eam frater eius, et suscitabit
» semen fratris sui. Et primogeni-
» tum ex ea filium nomine illius ap-
» pellabit, ut non deleatur nomen
» eius ex Israel.» Haec lex Moysis, aiunt deistae, libertatem in ineundo matrimonio necessariam destruit.

Resp. Legem hanc libertatem coniugiorum destruere figmentum est deistarum. *Leviratus*, vi cuius frater, aut proximus consanguineus, iuxta ordinem (Matth. XXII, 23-28), viduam abs liberis defuncti ducere, primogenitum defuncto legaliter adscribere, eique defuncti haereditatem tradere debebat, Moyse multo antiquior est, ut ex Gen. (XXXVIII, 8-10) liquet. Introductus videtur tum ob raritatem uxorum quae antiquitus emi debebant (Gen. XXIX, 18, 27; XXXIV, 11-12. Ios. XV, 16. I Reg. XVIII, 23-26. II Reg. III, 14), et hinc uxor defuncti tamquam res haereditaria fratri subsequenti, aut proximo propinquo, obtingebat, tum ob desiderium prolium incremento populi proficuarum, tum ob probrum sterilitatis viduarum auferendum (Gen. XVI, 2-4; XIX, 30-32; I Reg. I, 6), ac nomen defuncti posteritatis memoriae transmittendum (Deut. XXV, 6). Quare vidua huiusmodi ius postulandi matrimonii habebat.

Moyses hanc iudaeorum consuetudinem, quae quandoque molesta ac periculosa erat, equidem non sustulit, sed lege lata, illam ita temperavit, ut molestiae ac pericula removerentur, libertatique matrimoniorum consuleretur; permisit enim, ut qui huiusmodi viduam ducere nollet, in foro coram iudicibus illi renuntiaret, facta viduae *licentia illi sandalia solvendi, ipsi in faciem spuendi, atque scommate discalceati seu dilapidatoris* eum compellandi, ut liquet ex Deut. XXV, 7-10 (vid. Ruth IV, 7-8). Haec vero iniuria, a muliere repulsam passa illata, molesto periculosoque connubio facile praeferri poterat.

§ XXVI. De libello repudii.

61. *Obi.* Moyses (Deut. XXIV, 1-4) ait: « Si acceperit homo uxo-
» rem, et habuerit eam, et non in-
» veniat gratiam ante oculos eius
» propter aliquam foeditatem (hebr.
» *nuditatem rei*): scribet libellum
» repudii, et dabit in manus illius,
» et dimittet eam de domo sua. Cum-
» que egressa alterum maritum du-
» xerit, et ille quoque oderit eam,
» dederitque libellum repudii, et di-
» miserit de domo sua, vel certe
» mortuus fuerit: non poterit prior
» maritus recipere eam in uxorem,
» quia polluta est, et abominabilis

» facta est coram Domino. » Iuxta textum hebraeum: « Postquam polluta est: quia abominatio est coram Domino.»

Per concubitum nempe cum secundo marito polluta erat legaliter relate ad primum maritum, qui illam ut rem immundam reassumere non poterat. *Abominatio* autem erat non mulier, sed res ipsa, seu actio, qua vir repudiatam et alteri marito nuptam mulierem resumeret. Si alteri nuptam potuisset reassumere, visus fuisset illam alteri commodare, quod est *abominatio*. Hinc liquet matrimonium per libellum repudii fuisse solutum, quod et exinde constat, quod vir qui dimissam duxerat vocatur *maritus*, et quod prior maritus dimissam nequidem post mortem secundi mariti reassumere poterat. Si autem coniugium quoad vinculum non fuisset solutum, optandum fuisset, ut mulier ad priorem maritum rediret.

Sed quomodo isthaec cum doctrina Moysis (Gen. II, 24) de indissolubilitate matrimonii, « Relinquet » homo patrem et matrem, et ad» haerebit uxori suae, et erunt duo » in carne una, » cum verbis Christi (Matth. XIX, 6), « Quod ergo Deus coniunxit homo non separet, » ac proinde cum Moysis inspiratione conciliari possunt?

Resp. Matrimonium *consummatum lege positiva* Dei indissolubile est, ut ex Gen. (II, 24), et adhuc clarius ex verbis Christi apud Matth. XIX, 3-6 liquet, hancque indissolubilitatem suadet ratio triplicis eius finis, procreandae nempe ac educandae prolis (Gen. I, 28), diminutionis stimuli venerei (I Cor. VII, 2), mutuique adiutorii (Gen. II, 18). At licet coniugium lege positiva Dei sit indissolubile, et in officium naturae sit institutum, proxime tamen oritur ex *pacto*, quod duae personae diversi sexus ob praefatum finem ineunt. Cum igitur *societas coniugalis sit pactitia*, et ea, quae pactis generatim conveniunt, contineat, *iure naturae* societas temporaria esse potest, et hinc solubilis; quare illi, ut aliis contractibus, conditiones, v. gr. fidelitatis, adponi possent, quibus non amplius existentibus dissolveretur. Finis generationis ac educationis prolis obtineri posset, licet coniuges vinculo perpetuo adstricti haud essent. Differret a concubitu fornicario, eo quod finis eius esset generatio ac educatio prolis, cum finis concubitus fornicarii sit exsatiatio libidinis. Quare cum coniugium natura sua, abstractione a lege Dei positiva facta, solvi possit, et in casu (I Cor. VII, 15) reapse solvatur, patet Moysen, permittente Deo, ob pergraves rationes, ob duritiem nempe cordis iudaeorum, ut Christus loquitur (Matthaei XIX, 8), illud solvi permittere potuisse.

Rationes autem ob quas Moyses libellum repudii matrimonium dissolventem permisit sunt:

Cum antiqui sponsas suas emerent (n. 60), in illas se proinde ius absolutum habere rati, eas pro libitu repudiare posse existimabant. Hinc mos coniugibus pro arbitrio renuntiandi apud iudaeos maxime invaluerat. Huic torrenti, quin aliunde exundaret, Moyses obicem ponere haud potuit nisi modo indirecto, inculcando matrimonium institutum esse indissolubile, ut (Gen. II, 24) fecit (Conf. Mich. II, 9. Malach. II, 14); tanta enim morum feritas erat, ut iudaei, si quas odio habebant uxores pro more repudiare haud potuissent, uxoricidia facile tentassent. Cum igitur Moyses malum hoc tollere non posset, facultatem mariti dimittendi uxorem temperavit, statuendo:

1° Ut repudium, equidem non in-

terveniente iudice, ast non sine libello repudii per maritum scripto, et non antequam uxor cum hoc libello e domo excessisset, ratum foret. Qua conditione subitis iracundiae motibus obviabatur.

2° Ut uxor repudiata et alteri marito nupta, reassumi nequiret; quo levitas repudiandi coniuges reprimebatur, et fides secundo matrimonio stabiliebatur. Poterat autem maritus uxorem, antequam ab alio in coniugem ducta esset, resumere, quia per concubitum cum alio viro polluta non fuerat (vide Ier. III, 1).

Quaeritur autem utrum Moyses quacumque ex causa permiserit iudaeis libellum repudii? Cl. Iahn existimat Moysen rationem ad repudium sufficientem maritorum arbitrio reliquisse (1). Cum vox hebraica, *nuditatem rei* significans, variae interpretationi subiecta sit, tempore Herodis magni acris de eius sensu orta est inter iudaeos contentio. Schola Rabbi Hillel contendebat, quamlibet, etiam minimam, causam marito ad repudiandam coniugem sufficere, quod legi Moysis, ait cl. Iahn (2), quae causam arbitrio mariti commisit, non adversatur, sed repugnat disciplinae morali, de qua legislator Moyses locutus non fuerat. Schola vero Rabbi Schammai propugnabat maritos nonnisi ob infidelitatem coniugalem uxores dimittere posse, quod disciplinae morali congruit, inquit praelaudatus auctor, a lege autem mosaica mere civili dissonat. Iesus vero, prosequitur, qui non explicabat, sed perficiebat legem mosaicam, et morum disciplinam docebat, assensit scholae Schammai (Matth. V, 31-32; XIX, 3-9).

Ast Moysen repudium ex quacumque causa non permisisse, immo rationem ad ipsum sufficientem determinasse, patebit ex dicendis. 1° Verba Moysis sunt: « Si acceperit homo uxo- » rem et.... non invenerit gratiam » ante oculos eius *propter aliquam* » *foeditatem* (heb. nuditatem rei), » scribet libellum repudii. » Iam vero sensus obvius est: « Si maritus oderit » uxorem suam, eo quod aliquam foe- » ditatem (nuditatem rei) animadver- » tit in illa, poterit illam repudiare. »

2° Vox hebraea *nuditas rei* nonnisi de rebus pudendis in scriptura adhibetur, et ita Christus illam adhibuit (Matth. XIX, 9).

3° Si Moyses repudium ex quacumque causa permisisset, eiusque rationem sufficientem non determinasset, voces *propter aliquam foeditatem*, nuditatem rei, omnino superfluae forent.

4° Repudium ex quacumque causa, etiam levissima, intrinsece malum est et fini coniugii directe adversum, fatentibus omnibus; quis ergo crediderit Moysen, qui (Gen. II, 24) matrimonium indissolubile dixerat, huiusmodi repudium lege sua non praevenisse, ipsum imo permisisse? Hinc Moysen repudium nonnisi in casu adulterii permisisse dicendum est.

Verum cum totum negotium a viri arbitrio penderet, nec causa repudii in libello explicaretur, nec uxori recursus ad iudicem daretur, fatendum est repudium ex causa leviori et inique, sed contra legislatoris mentem manifestam, fieri potuisse *.

(1) Iahn, Archaeol. c. X, § 160. (2) Ibidem.

* Formulam libelli repudii sacrae litterae non suppeditant, sed rabbini hac similive utuntur: « In quarta sabbati, in vicesima mensis sivan, » anno quinquies millesimo ducentesimo nona- » gesimo tertio a creatione mundi, hic et in hac » civitate, ego Iacob sic cognominatus filius rabbi » Isaac, volui ex animo, atque citra ullam coa- » ctionem dimisi et eieci hanc, quae hactenus fuit » uxor mea, filia illius rabbi: doque ei faculta- » tem et potestatem, ut pro animi sententia eat » quo voluerit, ducique possit ab alio quocum- » que viro, nec eam quisquam prohibeat. In cu- » ius rei testimonium dedi illi libellum repudii, » et schedam amissionis, atque signaculum di- » vortii iuxta consuetudinem Moysis et Israëlis. »

Romani utebantur sequenti formula libelli repudii: *Res tuas curato, res tuas tibi habeto.*

§ XXVII. De iureiurando purgatorio uxoris suspectae.

62. Moyses (Num. V, 12-29) de maritorum zelotypia statuit: «Vir,
» cuius uxor erraverit, maritumque
» contemnens dormierit cum altero
» viro, et hoc maritus deprehendere
» non quiverit, sed latet adulterium,
» et testibus argui non potest, quia
» non est inventa in stupro; si spi-
» ritus zelotypiae concitaverit virum
» contra uxorem suam, quae vel
» polluta est, vel falsa suspicione
» appetitur, adducet eam ad sacer-
» dotem, et offeret oblationem pro
» illa; decimam partem sati farinae
» hordeaceae: non fundet super eam
» oleum, nec imponet thus: quia
» sacrificium zelotypiae est, et obla-
» tio investigans adulterium. Offeret
» igitur eam sacerdos, et statuet co-
» ram Domino, assumetque aquam
» sanctam in vase fictili, et pauxil-
» lum terrae de pavimento taber-
» naculi mittet in eam. Cumque ste-
» terit mulier in conspectu Domini,
» discooperiet caput eius, et ponet
» super manus illius sacrificium re-
» cordationis, et oblationem zeloty-
» piae: ipse autem tenebit aquas a-
» marissimas, in quibus cum exe-
» cratione maledicta congessit. Ad-
» iurabitque eam, et dicet: Si non
» dormivit vir alienus tecum, et si
» non polluta es deserto mariti tho-
» ro, non te nocebunt aquae istae
» amarissimae, in quas maledicta
» congessi. Sin autem declinasti a
» viro tuo, atque polluta es, et con-
» cubuisti cum altero viro, his ma-
» ledictionibus subiacebis: Det te
» Dominus in maledictionem, exem-
» plumque cunctorum in populo:
» putrescere faciat femur tuum, et
» tumens uterus tuus disrumpatur.
» Ingrediantur aquae maledictae in
» ventrem tuum, et utero tumescen-
» te putrescat femur. Et responde-
» bit mulier: Amen, amen. Scribet-
» que sacerdos in libello ista male-
» dicta, et delebit ea aquis amaris-
» simis, in quas maledicta conges-
» sit, et dabit ei bibere. Quas cum
» exhauserit, tollet sacerdos de manu
» eius sacrificium zelotypiae, et ele-
» vabit illud coram Domino, impo-
» netque illud super altare: ita dum-
» taxat ut prius, pugillum sacrificii
» tollat de eo quod offertur, et in-
» cendat super altare, et sic potum
» det mulieri aquas amarissimas.
» Quas cum biberit, si polluta est,
» et contempto viro adulterii rea,
» pertransibunt eam aquae maledi-
» ctionis, et inflato ventre compu-
» trescet femur, eritque mulier in
» maledictionem et in exemplum om-
» ni populo. Quod si polluta non
» fuerit, erit innoxia et faciet libe-
» ros. Ista est lex zelotypiae.»

Obi. Haec est inanis caeremonia, aiunt deistae, ab aegyptiis mutuata, ad terrorem reis incutiendum, quae eventu sane caruit.

Resp. Fatemur miraculo opus fuisse, ut terrificae istae maledictiones suum sortirentur effectum. Ast hunc terribilem apparatum inanem caeremoniam eventu destitutam non fuisse, divina Moysis missio ac character comprobant. Profecto si istud iusiurandum suum effectum consecutum non esset, adulterae, illi subiectae, earumque seductores, totam Moysis religionem contempsissent.

Videtur Moyses hunc ritum, quoad singulas circumstantias formidabilem, substituisse alteri ritui antiquiori ac noxio, ne iudaei, qui similes ritus apud aegyptios verisimiliter viderant, necem suspectarum coniugum molirentur. Notum est, populos orientales a remotissimis temporibus probationibus extraordinariis, communiter *ferri candentis*, et *aquae ebullientis*, ad detegenda crimina, quae via ordinaria comperiri haud poterant, usos esse. Apud

sinenses adhuc usitatae sunt, et saeculis ignorantiae in Europa maxime viguerunt.

Interim iusiurandum mosaicum medium aptissimum erat 1° ad maritorum zelotypiam depellendam, 2° ad clandestina adulteria praecavenda, 3° ad repudia diminuenda, 4° ad adulteria occulta detegenda; tot enim terrificis comitatum erat circumstantiis, ut rea, nisi perfrictae omnino frontis esset, illud praestare haud posset, quin crimen suum detegeret.

Hoc tamen iusiurandum maritis, ac uxoribus etiam innocentibus, molestissimum, non frequenter expetitum videtur. Thalmudici referunt (Sota, c. IX) hoc iuramentum 40 annis ante eversionem Hierosolymorum abrogatum fuisse, eoquod viri ipsi se adulteriis contaminarent, Deusque dicto ritui suam efficaciam non tribueret, si mariti eiusdem ac uxores criminis rei essent (Conf. Io. VIII, 3-9).

§ XXVIII. De polygamia.

63. *Obi.* Moyses (Deut. XVII, 17) futuris hebraeorum regibus polygamiam permittit; eis enim dumtaxat prohibet ne plurimas habeant uxores: « Non habebit, inquit, rex uxores plurimas, quae alliciant animum eius. » De Abraham, Iacob, aliisque patriarchis polygamis, tamquam de sanctis loquitur; hinc David plures habuit uxores, et Salomon aluit 700 mulieres *reginas*, et 300 *concubinas* (III Reg. XI, 3). An haec cum ratione, cum Gen. II, 24, ac cum doctrina Christi (Matth. XIX, 3-11) conveniunt?

Resp. Coniunctio indissolubilis unius viri cum una uxore, primaeva coniugii institutione (Gen. II, 24) et praesenti iure divino (Matth. XIX, 5-6) iubetur, eamque suadet triplex matrimonii finis (n. 61): in polygamia enim simultanea generatio prolis non obtinetur ut in monogamia, cum concubitus cum pluribus, nisi prudenter admodum moderetur, vires enervet; nec stimulus venereus diminuitur, cum, nisi summa adhibeatur cautela, e contra blanditiis aemulantium mulierum exacuetur; nec adest perfectum mutuum adiutorium, cum vir inter plures mulieres divisus sit; nec contractus coniugalis inter coniuges est aequalis, cum maritus ius perfectum in corpus compartis, haec autem illud in corpus viri non habeat. Ast cum debita prolis generatio, imminutio stimuli venerei, mutuumque adiutorium, in polygamia tamen per prudentiam obtineri possint, mulieribusque cum polygamis contrahere volentibus ex inaequalitate contractus non fieret iniuria, liquet polygamiam iuri naturae non adversari; quare Deus in lege sua positiva, polygamiam vetante, ob gravem rationem, ut ad celeriorem populi electi propagationem, aut ob duritiem cordis iudaeorum, dispensare potuit, praesertim postquam polygamia iam invaluerat. Perfectior equidem est monogamia, at Deus perfectius urgere non tenetur. Hinc mirum non est Moysen de sanctis patriarchis polygamis, qui plures mulieres non duxissent, nisi Deus in lege monogamiae dispensasset, cum laude, atque de polygamia ut de re licita, loqui.

Quod spectat Davidem, non habuit ille magnum numerum mulierum. Salomon autem quemadmodum in aliis, ita etiam in numero mulierum a recta semita declinavit.

Lamech primus fuit, qui legem monogamiae (Gen. II, 24) traditam transgressus est, uxores Adam et Sellam ducendo (Gen. IV, 19), eiusque exemplum postea multi secuti sunt. Monogamia Noachi eiusque filiorum paucos imitatores habuit. Moy-

sis aevo quam plurimos iudaeos polygamos fuisse, ex magno numero 22,273 primogenitorum inter viros 603, 550, qui 20 circiter annis in lucem editi erant, patet (Num. 3). Inveterata haec polygamia aetate Moysis nequidem tolli potuisset, quin malis maioribus, fornicationibus et adulteriis, via aperta fuisset. Ut autem modum teneret Moyses

1° Monogamiam a Deo institutam (Gen. II, 18-24), primam illius violationem (Gen. IV, 19) iudaeis retulit. 2° Incommoda, discordias ac iurgia ex polygamia nasci solita, et quae, testibus viatoribus, in Oriente sat magna sunt (Gen. VI, 4-10; XXX, 1-3, 15), recensuit. 3° Futuris hebraeorum regibus magnum numerum uxorum interdixit. 4° Concubitum cum uxore statuit esse impuritatem legalem integro die durantem (Lev. XV, 18; Conf. n. 59), quo vir impediebatur, ne facile ultra 4 uxores duceret. Hi obices a Moyse polygamiae sapienter appositi, illam progressu temporis valde imminuerunt.

Discrimen inter uxores proprie dictas, et *concubinas*, quas hebraei habebant, consistebat in eo, quod primae cum certis solemnitatibus, alterae autem sine illis ducerentur.

Apud hebraeos *nuptias* praecedebant *sponsalia*, quae erant pactum patrem fratresque uterinos sponsae inter ac patrem sponsi coram testibus initum. Comprehendebant autem sponsalia non dumtaxat matrimonium sponsorum, sed et dona uterinis sponsae fratribus danda, ac pretium sponsae patri eius persolvendum. Durabant sponsalia integro anno; ab eorum contractu vero matrimonium censebatur ratum, sponsaque sponsi *uxor* dicebatur, licet illos inter commercium nullum intercederet. Quare si sponsus sponsam ducere nollet, illi ut uxori, libellum repudii dare debebat, atque sponsa si alteri se prostituisset, idque iuridice probari posset, ut adultera lapidabatur.

Cum nuptiarum dies advenisset, sponsus parabat domi suae convivium, ac veste solemni indutus, cum coaevis sibi iuvenibus inter laeta cantica et instrumenta musica, sponsam, quae se balneo mundarat, ac omni mundo muliebri exornarat, caputque corona cinxerat (unde nomen *coronata*), a virginibus suae aetatis comitatam circa vesperam ex domo paterna in patris sui domum solemniter deducebat. Posterioribus temporibus in hac vespertina sponsae deductione faces vel lampades praeferebantur, ut thalmudistae referunt, ac Matth. (XXV, 1-12) indicatur. Viri convivium inter se celebrabant, ac mulieres pariter in gynaeconitide. Tandem neonuptis magna exoptabatur posteritas, atque in hoc consistebat tota benedictio nuptialis (vide Ruth IV, 11-12), quae dein paulo solemnior evasit (confer. Tob. VII, 15). Denique sponsa, quae semper a capite usque ad pedes velata erat, in thalamum ducebatur. Hae solemnitates in scriptura vocantur *sponsam domum deducere*, *uxorem accipere, convenire,* etc.

Omnes istae caeremoniae quoad concubinas, seu pellices, omittebantur; hae enim sive ancillae, sive liberae essent, solo mutuo consensu ducebantur, coniugiumque legitimum erat, ita ut tali concubinae ius uxoris denegari haud posset, nec ipsa venumdari (Deut. XX, 10-12). Patres quandoque filiis suis ancillam concubinam tradebant, ne eorum mores depravarentur; haec vero concubina subito ut filia aut nurus a patribus habenda erat (Exod. XXI, 9-12).

§ XXIX. De victimis humanis, ac nominatim de sacrificio Isaaci, et filiae Iephte.

64. *Obi.* Quomodo, aiunt deistae nonnulli cum Voltaire, Moyses inspiratus dici potest, qui praecepit barbara sacrificia humana, quae in gentilibus detestamur? Levitici enim XXVII, 28-29 praescribit: « Omne » quod Domino consecratur, sive » homo fuerit, sive animal, sive a- » ger, non vendetur, nec redimi pot- » erit; quidquid semel fuerit conse- » cratum, sanctum sanctorum erit » Domino. Et omnis consecratio, » quae offertur ab homine, non re- » dimetur, sed morte morietur. »

Hanc immanem barbariem, dicunt deistae, confirmant

1° Abrahamus iussu Dei, iuxta Moysen, filium suum Isaac immolare conatus (Gen. XXII, 1-14), et

2° Iephte, qui unicam suam filiam in barbarum sacrificium Deo mitissimo obtulit (Iud. XI, 29-39).

Resp. Deistae oculis incredulitate caligantibus Moysis legem intuentes, in ea non nisi absona, incredibilia ac barbara videre sibi imaginantur. Textus particulares a reliqua Moysis lege separatos avide arripiunt, quid in eis ipsis apparet caece, et tamquam ex tripode delphico, deblaterant, num de sua ignorantia, aut mala fide convincantur haud solliciti: *calumniare audacter, semper aliquid haeret.*

Si deistae legem mosaicam probe noscerent, aut si bonae fidei essent, scirent victimas humanas a Moyse, lege expressa severissime fuisse prohibitas, adeoque, textum Lev. XXVII, 28-29 victimas humanas, quae apud multos populos paganos diis immolabantur, minime praecipere.

Enimvero (Deut. XII, 29-31) Moyses hebraeis severe iniungit, ne imitentur chananaeos, victimas humanas diis offerentes. « Quando dis- » perdiderit, ait, Dominus Deus tuus » ante faciem tuam gentes, ad quas » ingredieris possidendas, et posse- » deris eas, atque habitaveris in » terra earum, cave ne imiteris eas, » postquam te fuerint introëunte sub- » versae, et requiras caeremonias » earum dicens: sicut coluerunt gen- » tes istae deos suos, ita et ego co- » lam. Non facies similiter Domino » Deo tuo; omnes enim abominatio- » nes, quas aversatur Dominus, fe- » cerunt, diis suis offerentes filios » et filias, et comburentes igni. »

Poterant equidem iudaei lege mosaica se suaque Deo devovere tum per *votum solemne*, tum per *votum privatum;* at semetipsos non in mactationem, bene vero sua, quae lege Moysis Deo in sacrificium offerri poterant.

Quae Deo per votum solemne devota erant, mori debebant *morte naturali*, aut *morte civili;* morte naturali, si erant animalia munda, etc.; morte civili, seu perpetuo Dei servitio addici debebant, si erant homines, agri, etc.

Homines autem qui se voto privato Deo devoverant, redimi poterant; nam (Lev. XXVII, 2-9) indicatur pretium, quo homines Deo ita devoti redimendi erant: « Homo, ait » ibi Moyses, qui votum fecerit, et » spoponderit Deo animam suam, » sub aestimatione dabit pretium: » si fuerit masculus a vigesimo anno » usque ad sexagesimum annum, » dabit quinquaginta siclos argenti » ad mensuram sanctuarii; si mu- » lier, triginta . . . animal autem, » quod immolari potest Domino, si » quis voverit, sanctum erit. » Ex quibus elucet, Moysen sedulo praecavisse, ne quis homo Deo devotus, morte naturali offerretur.

1° Quod ad factum Abrahae deistis dicere nolumus, Deum, utpote supremum vitae necisque hominum dominum, sacrificium Isaaci iure suo sibi postulare potuisse; sed iis ob-

servabimus, hoc factum probare, Deo voluntatem talis sacrificii ab ipso iussi placere, non vero ipsum sacrificium; et hinc modo portentoso sacrificium Isaaci impediit. Praecepit autem mactationem Isaaci Abrahamo, ut eius fidem ac insignem pietatem aliis conspicuam redderet.

2° Si Iephte etiam filiam suam Deo in sacrificium cruentum obtulisset, sequeretur tantummodo, illum contra legem Moysis egisse, qua re deistae inde nihil lucrarentur. Ast Iephten filiam suam reapse occidisse, omnino inverisimile est.

Fatemur veteres plerosque existimasse, Iephten filiam suam realiter mactasse; at recentiores fere omnes id negant, hocque iam praeter rabbinos docuerant le Clerc, Vatablus, Marsham, Pagninus, Lyranus, Bullet, Goldhagen, Veith, Nonnotte, Bergier, etc. Iephte profecto votum suum eiusque executionem legi Moysis conformavit; consequenter filiam suam, quae iuxta legem Deo in sacrificium cruentum offerri non poterat, perpetuo servitio Dei consecravit. Rem ita se habere, evincunt

1° Verba eius voti; nam iuxta textum originarium hebraeum, quem exacte sequitur paraphrasis chaldaica, dixit: « Egrediens quod egressum » fuerit e foribus domus meae in occursum meum, quum revertar in » pace a filiis Ammon, erit Iehovae, » aut (particula hebraica *vau*, *aut*, » *et*, *propterea*, etc. significat) offe- » ram illud in holocaustum. » Ex quo patet, Iephten primum obiectum vivum, quod post victoriam obviam haberet, se Deo oblaturum vovisse, in victimam nempe, si ita offerri poterat, et in Dei servitium, si immolari vetitum erat.

2° Textus hebraeus de executione voti Iephte ait: *Fecit ei* (filiae) *sicut voverat*, *propterea* (hebr. *vau* significat *propterea, et*, etc.) *ipsa non cognovit virum*. LXX interpretes verterunt: καὶ αὕτη οὐκ ἔγνω ἄνδρα, *et haec non cognovit virum*. Vulgata legit: *fecit ei sicut voverat, quae ignorabat virum*. Iam vero si Iephte filiam suam mactasset, an non prorsus praeter rem fuisset adnotare illam post patris votum adimpletum virginem mansisse? consecravit igitur Iephte filiam suam servitio Dei.

3° Petiit filia Iephte a patre suo duos menses, quibus *virginitatem suam* in montibus cum suis sodalibus defleret. Si debuisset occidi a patre, planxisset *vitam suam*, non virginitatem. Postulavit autem duos menses ad suam deflendam virginitatem, seu extraordinariam apud hebraeos obligationem non nubendi, ut elapso illo tempore in Dei servitio de matrimonio haud cogitaret. Caeterum cultui divino ut mancipium in perpetuum addici, puellae principi durissimum erat. Servas innuptas in Dei servitio fuisse patet ex I Reg. II, 22, ubi legitur, filios Heli cum ipsis peccasse. Num. XXXI, 35-40 triginta duas virgines madianitidas bello captas Dei servitio traditas fuisse refertur.

4° Si etiam poneretur, Iephten unicam suam filiam in victimam vovisse, an credibile est, illum duobus illis mensibus, quibus dilectissima eius proles in montibus lugebat, consulturum non fuisse summum sacerdotem Phineen, ut edoceretur utrum charissimam suam sobolem mactare reapse teneretur?

5° An credibile est sacerdotes in tam barbarum sacrificium consensuros fuisse, cum ipsi, utpote legis custodes, scirent, sacrificia humana Deo esse abominationi?

6° An probabile est, iudaeos, quos omnes legis mosaicae ignaros aut oblitos supponere insanum esset, Iephten suum errorem dedocturos non fuisse?

§ XXX. De magia.

65. *Obi.* Stabiliit Moyses, aiunt deistae, apud hebraeos fidem superstitiosam de magia (Lev. XIX, 31; Deut. XVIII, 10-11). Quomodo hoc cum eius inspiratione consistit?

Resp. Moyses magos, maleficos, pythones, hariolos, incantatores, etc. equidem reos mortis declaravit; ast non edixit, illos inito pacto cum diabolo veram magiam diabolicam exercuisse.

Inter catholicos magna quaestio est, utrum qui in veteri foedere *magi*, *pythones*, etc. adpellantur, vera magia diabolica infecti, aut impostores fuerint. Quidquid sit, cum magiae exercitium honorem Dei laedat, maxima frequenter damna creet, ac iure naturae vetetur, Moyses illud merito sub capitis poena prohibuit. Sequitur autem ex lege Moysis magiae diabolicae existentiam argui haud posse.

Duo dumtaxat facta de magia in veteri foedere occurrunt: primum de magis Aegypti coram Pharaone miranda patrantibus (Exod. c. VII, et 8); secundum de pythonissa in Endor Samuelem a Saule evocare iussa (I Reg. XXVIII). Ast quae magi aegyptii fecerunt, artibus secretis naturalibus effici potuerunt (n. 125), et I Reg. XXVIII equidem legitur, Samuelem adparuisse, non vero eum a pythonissa excitatum fuisse. Nec pythonissa, nec diabolus ullam in Samuelis defuncti animam habebat potestatem. Huius rei pythonissa probe conscia, ad adparitionem Samuelis exterrita, *clamavit voce magna,* ait sacer textus (Conf. n. 194). Iussit Deus Samuelem adparere, ad Saulem per annuntiationem proximae suae mortis puniendum.

In novo foedere equidem operationes diabolicae leguntur; ast nullibi fit mentio de pacto aliquo, quod homines cum diabolo iniissent.

Fateantur interim deistae legem Moysis, omne omnino exercitium magiae proscribendo, multo sapientiorem fuisse quam leges graecorum et romanorum, quae *magiam beneficam* haud proscribebant.

Inter catholicos equidem plures existentiam *magiae nigrae*, seu *diabolicae*, admittunt, provocantque ad magos Aegypti, ad pythonissam in Endor, ad varia facta historiae ecclesiasticae, et imprimis ad adscensum Simonis magi. Alii autem possibilitatem magiae nigrae haud inficiantes, ipsius existentiam negant; aiunt, facta scripturae sacrae magiae existentiam haud probare, et facta ex historia adlegari solita effectus fuisse naturales, aut authentica haud esse, prout de adscensu Simonis magi in particulari sentiunt (1).

Existentiam magiae nigrae ad dogmata catholica haud pertinere recte pronuntiavit cl. Iordan Simon (2), at iusto longius progressus est, dum illius possibilitatem negavit. Providentiae divinae curam omnium, et particulariter hominum gerenti, atque scripturae sacrae, Christum principem huius mundi eiecisse foras (Ioan. XII, 31) dicenti, equidem repugnare existimamus, ut homines improbi *vi pacti cum daemone,* infensissimo Dei hominumque hoste, initi, *pro libitu* aliis nocere possint, at non repugnat Deum in *casibus particularibus* permittere posse, ut homines a daemone secreta edoctos aliis noceant.

Cum autem homo per pactum cum diabolo initum censeatur ab eo obtinere facultatem mirabilia vires humanas superantia peragendi, potestatemque aliis modo supra vires humanas posito benefaciendi aut malefaciendi, diabolus vero *providen-*

(1) De Simonis Magi adscensu lege doct. dissert. cl. Calmet.

(2) Die Nichtigkeit der Hexerei und Zauberkunst, etc. Frankfurt und Leipzig 1716.

tiae Dei generali erga omnia creata, et *speciali* erga homines derogare non possit, ac proinde huiusmodi facultatem et potestatem nisi ex *speciali Dei permissione* concedere nequeat, dicimus cum cl. Bergier (1), nullum factum *authenticum* existere, quod probet huiusmodi pactum diabolum inter hominemque locum habuisse.

Originem fidei de magia diabolica, quam homo vi potestatis a daemone acceptae exercere posset, triplici ex causa repetimus.

Prima. *Ex hominum cupiditatibus*. Impostores secretorum naturae gnaros ab initio exercitium suae scientiae cum mysticis formulis, verbisque inintelligibilibus coniunxisse, ut nomen aut emolumenta sibi procurarent, facile admittet quicumque huiusmodi impostorum ambitionem et avaritiam novit. Quid non fecit Muhammedes ad sectam suam instituendam ac propagandam? quae non ementitus est de apparitionibus archangeli Gabrielis? Quid non facit homo futuri noscendi avidus, deperditae sanitatis recuperandae, aut insanae ultionis exercendae cupidus, aut amore perditus? Scopum suum mediis licitis obtinere haud valens, dicit:

Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.

Adibit putativos magos aut sagas, ut medium suae cupiditati satisfaciendi edoceatur.

Secunda. *Ex polytheismo*. Cum enim gentiles totum universum, quaeque in illo fiunt, a diis, geniisque bonis ac malis dirigi, deos, geniosque rebus omnibus, bonis malisque eventibus praepositos existimarent, illosque colerent, consequens fuit, eos et deos et genios, bonos ac malos, per cultus sibi propitios reddere conatos fuisse. Quare crediderunt, se genios ad agendum inducere posse certis formulis, ut *per carmina*, et haec magiae species *cantio* (*incanto*) audit. Autumabant, se eos per *cantus*, aut instrumenta musica, adlicere posse; et hoc *incantatio* (*incantesimo*) dicitur. Arbitrabantur, se per certas formulas deos, aut genios ad evocandos mortuos inducere posse, et hoc *necromantia* nuncupatur. Sibi persuasum habebant, se a diis, vel geniis, res futuras et res occultas noscere posse, et inde variae *divinationum* species, *auguria, auspicia*, etc. profecta sunt. Arbitrati sunt, se ope geniorum aliis, quibus vellent, morbos et mala immittere posse, et inde *maleficia*. Crediderunt se posse per genios ligare infantes, illosque quominus crescerent impedire, et ita *sortilegia* nata. Existimabant, se posse ope genii amori praepositi amorem aliis inspirare, atque inde *philtra* descenderunt.

Tertia *causa* consistit in ipsis *operationibus diaboli*, qui cultum indebitum sibi arrogaturus, complicesque suorum criminum nacturus, interdum praestitit quae nec a Deo nec ab hominibus proficisci poterant, Deo id specialiter permittente in poenam nefariorum hominum, qui illum deserebant, ut flagitiosis suis cupiditatibus satisfacerent.

Vulgus imperitum credit, ait cl. Bergier (2), sagas et magos nocturno tempore aërem transmeare posse, ut in locis remotis diabolum adorent, seque intemperantiae impudicitiaeque excessibus tradant. At constat hunc errorem omni fundamento carere, et sagarum conventum nocturnum (*il sabbato delle streghe*) nihil aliud esse quam effectum delirii et imaginationis exagitatae ac quandoque pravis depravatae remediis, queis miseri illi utuntur, qui hoc delirium sibi procurare

(1) Dict. théol., art. Sorcellerie, etc.

(2) Dict. théol. art. Sorcier.

volunt; factum hoc experientiis certissimis comprobatum est (1). Hanc vulgi credulitatem, prosequitur praelaudatus auctor, foverunt narratiunculae timidorum quorumdam hominum, qui de nocte in silvis a via aberrantes pro sagarum conventibus habuerunt ignes lignariorum et carbonariorum, aut qui timore sagarum correpti, et dein somno sopiti, crediderunt somniantes se videre sagarum conventum, qui eorum imaginationi obversabatur.

Increduli aiunt, scripturam ecclesiamque superstitiosam fidem de magia diabolica fovere.

At hoc falsissimum est; scriptura enim et ecclesia docent, Deum solum futura libere contingentia praescire, ipsum curam huius universi, et curam peculiarem hominum gerere, ac ab ipso solo bona ac mala proficisci. Si diabolus quandoque mirabilia peragit, id facit quia Deus illi id specialiter permittit, et non iussu alicuius sagae aut magi, quibus se *vi pacti* ad ipsa operanda obligaverit. Quibus animadversis iactata magorum potestas ruit.

Ecclesia anathemate magos frequenter perculit; et hoc probat eam magos, qui, relicto ac contempto Deo, superstitiosis ritibus daemonem in flagitiosas suas cupiditates trahere, aliisve mala physica aut moralia inferre meditantur, ut homines scelestos, coetu fidelium indignos, eorumque exercitium execrabile, credidisse.

Ecclesia etiam instituit *exorcismos*, et hi probant ipsam credere suam potestatem daemoniacae superiorem esse, eamque elidere posse, non vero existimasse, per istos exorcismos potestatem aliis nocendi, a diabolo vi pacti obtentam, magis ademtam iri.

(1) Vide Malebranche, Recherches de la vérité, t. I, l. 2, c. 6.

Saeculo decimo septimo caecam fidem de sagis et magis in nonnullis regionibus, et in Germania potissimum, invaluisse, plurimasque innocentes victimas flammis traditas fuisse, nemo nisi in historia plane rudis inficiabitur.

Cum eo saeculo per bellum suevicum in Germania omnia susque deque verterentur, superstitiosum vulgus calamitates publicas a sagis provenire effutiit, adeoque conclamatum fuit, a magistratibus in hanc pestem, quae se cum bellis e septentrione effudisset, inquirendum esse. Publicis indocilis vulgi vociferationibus principes satisfacturi, negotium cognoscendae rei commiserunt praefectis ac consiliariis. Hi tantae aggrediendae ac expediendae rei ignari, rem in moras trahunt; sed ad negotium maturandum insanis clamoribus publicis adiguntur; quare per festinationem improbam multa inepte et contra iura gesta fuerunt. Accesserunt adhuc praefectorum aliquorum obsequendi studium, ac nonnullorum voluntas exhaustis consulendi aerariis.

Quare quocumque fere mittuntur quaestores, qui, ut assolet, multa impetuose agunt, et feminas nonnullas, rumore vulgi ut sagas designatas, corripiunt. Si hae male audiebant, quaelibet impietas de illis praesumebatur; si probae, virtutem simulare dicebantur. Trepidabant? Angebantur conscientiae remorsibus. Persistebant fortes? adiuvabantur a diabolo. E faece hominum vilissimi in anteactae vitae dicta et facta inquirebant, ac singula in culpam magiae detorquebantur. Miseris hisce victimis nec spatium se purgandi, nec patronus concedebatur, eo quod fanatici magiam *crimen exceptitium* dicebant. Quisquis huiusmodi mulierum defensionem in se suscepisset, pessimam de seipso opi-

nionem praebebat. Et si quae mulier fortis, bonitate suae causae nixa, vi dicendi inquisitores ac cognitores perterrebat, novi criminis rea, ac obstinata habebatur.

Detruduntur praetensae illae sagae ad quaestionum tormenta, ut semet reas fateantur, complicesque revelent; sed ne ope diabolica se contra dolorem muniant, raduntur petulanter toto corpore, in verecundioribus partibus, quod pudoris offensaeque plenissimum, excutiuntur, ac dein ad terrificam machinam suspenduntur. Inter horrendos cruciatus excitantur, ut rem fateantur, seu ut sese sine ambagibus reas profiteantur: fatentes a ferali deponuntur instrumento; negantes, ter quater, contra omnes leges ad nova supplicia rapiuntur, propterea quod magia *crimen exceptitium* haberetur, et nihil usitatae aequitatis admitteret.

Si vehementissimi tormentorum dolores mulierem ad se ream fatendam adigunt, tandem de suo crimine convenit; si omnes cruciatus fortiter tolerat, diabolus illam confirmat; si in acerbissima membrorum omnium luxatione, summaque mentis exagitatione oculos circumvolvit miserrima mulier, daemonem quaerit amasium; si illos figit, eum videt; si patitur animi deliquium, e compacto ludit. Tortores ignari ac fallaces maculas nonnullas in membris vident? Sunt characteres, quos diabolus inito pacto affixit. Quis autem maculam in membris non habet? fortiores tum parantur cruciatus, in quibus si exhalat spiritum, amasius ei, fidem servaturus, guttur elidit. Quae autem tormenta fortiter et feliciter superat in vinculis detinetur usque dum tempus, quo comburatur, advenerit.

Imperiti sacerdotes adaugent malum, sagaciores autem et sapientiores, utut a reis expetiti, ut hostes iustitiae publicae a carceribus arcentur.

Mulier doloribus victa, seque ream fassa, illico complices manifestare iubetur. Nullos cognoscenti quaesitores aliquos suggerunt. Qui a decem vel duodecim pro sagis habitis nocturnis harum congressibus interfuisse accusatur, reus habetur. Iaque ob testimonia immani dolore extorta, et vulgi imperiti rumores, vincula, quaestiones, ac rogi innumeris cuiusque aetatis, conditionis ac sexus personis parabantur. Qui se accusatos norant, et fuga sibi consulebant, rei habebantur; accusati vero, qui remanebant, opinione vulgi a diabolo detineri existimabantur.

Summis hisce rerum angustiis, cum quilibet inimicorum odiis, et malevolorum calumniis pateret, cum fanaticus hic furor, nedum tot funeribus exstingui, in dies crescere videretur, cum nemo innocentum causam defendere auderet, Fredericus Spee, illustri genere natus, iurisconsultus, theologus ac presbyter societatis Iesu, qui praeindicatis istis sagis a confessionibus fuerat, innocentium victimarum lacrymis motus, librum in earum gratiam conscripsit, in quo principes per supremum Dei tribunal deprecabatur, ut quaestionum tormentis finem imponerent, neque hominum vita quasi pila leviter temerarieque ludere auderent. Opusculum hoc quod, pseudosagis Germaniae primam salutem attulit, plausibus exceptum, saepiusque typis mandatum, principibus diu delusis oculos aperuit.

Opusculum hoc p. Spee hisce verbis auspicatur: *Cautio criminalis, seu de processibus contra sagas liber*. Hoc in libro inter alia ait (Dubio I), se scire doctos et catholicos viros de sagarum et maleficorum existentia dubitasse, aliosque existimasse aliquando in ecclesia saga-

rum conventibus dubitatum fuisse: « Quod ad me est, prosequitur ille, » cum variis huiusce criminis reis » in carceribus egissem frequentius, attentius atque curiosius, » ita non semel animo haesi, ut » quid tandem huius rei crederem » pene ignoraverim; nihilominus, » re bene matureque perpensa, ego » id omnino tenendum existimo, revera in mundo maleficos aliquos » esse. »

« Dubio XI: Si mihi, inquit, aliquid lector concedit, fateor meiipsum nonnullas (pseudo-sagas) » superioribus annis in diversis locis » ad mortem comitatum fuisse, quarum innocentiam persuasissimam » habeo etiamnum, cum studium » omne industriamque pene nimiam » adhibuerim ad veritatem detegendam. »

« Perpulit me curiositas (quid » enim dissimulem?) et pene ultra » metam traduxit, ut in re incerta » certum aliquid cognoscerem: neque aliud tamen nisi ubique innocentiam deprehendi: quam cum » apud me non paucis nec futilibus » argumentis persuasam haberem: » neque tamen (ob certas quasdam » causas) iudicio intercedere liceret, facile aestimare est, quocum » animi mei sensu tam misere morituris praesto fuerim. Homo sum » et falli possum: non id umquam » inficias iverim; attamen postquam » diu multumque cum captivis illis » tum intra, tum extra confessionis » sacramentum egi: postquam animos omni arte multifariam susque deque versavi, in omnem me » pene partem obverti, divina et » humana ope ac consilio usus sum, » indicia atque acta pervidi, cum » iudicibus ipsis, quantum licuit, » salvo sigillo confessionis, disserui, accurate omnia perpendi, argumenta singula apud animum » meum disputavi; aliud iudicare » non potui, quam crimine vacare, » quae reae putabantur, etc. »

« Dubio XXX: Proderit, ait, confessariis reorum totum nunc nostrum commentarium non oscitanter legisse: et quae dicuntur coram Deo saepius matureque expendisse. Ego id cum iuramento » depono, me quidem nullam hactenus ad rogum comitatum fuisse, de » qua omnibus consideratis pruden- » ter statuere potuerim fuisse ream. » Idem ego a duobus aliis accuratis » theologis audivi, qui omnem pariter industriam adhibuerant, quo » ad veritatem pervenirent. »

« Dubio XLVIII: Omnino hic inserendum est, scribit, quod nuperrime contigit loco celebri Germaniae, in quo pene omnia in cineres conciderunt. Vocaverat ad » mensam suam princeps religiosos » duos viros spectatae virtutis atque » doctrinae. Inter epulas deinde princeps ad alterum eorum: Mi pater, » inquit, existimasne ex aequo et » recto geri, cum eos hactenus in » nervum abripimus, qui a decem » vel duodecim sagis denuntiati sunt » in saltibus comparuisse? Vereor » non parum ne mille artifex suis » asseclis illudat, et non aeque tuta » sit ad veritatem via, quam per » hasce denuntiationes sternimus, » praesertim cum et viri gravissimi » doctissimique non pauci passim » incipiant reclamare, et conscientiam nobis commovere. Dic igitur, » quid sentis? »

« Tum ille, ut est acer plerumque, » et profusus impetus eorum, qui » inter pocula et fercula securi philosophari solent: Quid est, inquit, quod nos anxios hac super » re faciat, animumque divexet tot » testimoniis convictum? Religio sit » existimare, id umquam Deum permissurum, ut innocentes tam

» male habeantur. Non est quod ad » tantum denuntiationum numerum » iudex haesitet, quin tuto progre- » diatur. Quibus cum rursus prin- » ceps alia reponeret, atque ultro » citroque multa in utramque par- » tem proferrentur, quin religiosus » quidquam principi concederet, » hic tandem disputationem absol- » vens: Atqui vero, inquit, doleo, » pater mi, tuam vicem, qui in re » capitali tuomet gladio te iugulasti: » nec habes adeo quod ponas, si te » quoque in custodiam includam; » quippe quem a se in conventibus » suis visum non minus quindecim » denuntiarunt. Neve putes, rem se- » rio non agi, nihil impedit, quin e » vestigio acta afferri iubeam, ut te » ipse ibi legas tot testibus, quot » nec ipse postulabas, convictum. » Obstupuit vir bonus, et deiecto » vultu non habuit, quod sic subito » opponeret praeter confusionem, » tristeque silentium (1). »

Quis modo ignorat innocentiam Urbani Grandier, parochi iuliodunensis (de Loudun), qui anno 1624 iussu d. de Laubardemont, sub cardinali de Richelieu primo Franciae ministro, magiae crimine falso insimulatus, immanissime tortus ac dein vivus combustus est (2)? Quis nescit ingentem hominum mulierumque multitudinem sub Catherina de Medicis Galliae regina, eadem de causa rogis iniectam? Faxit Coelipotens, ut infelicissima huiusmodi tempora numquam amplius revertantur, et ut populorum rectores, aliorum erroribus cautiores sapientioresque facti, absurdis creduli caecique vulgi praeiudiciis se in posterum haud amplius accommodent!

Plures autem ex hisce pseudo-magis et sagis homines fuisse flagitiosos, et hinc merito ultimo supplicio affectos, patet, quod alii abominandis superstitionibus daemonem evocare tentarant, alii ob mentis imbecillitatem rati se per flagitiosas superstitiones pactum cum diabolo iniisse (3), artibus occultis et impiis, veneficiis, etc. nocuerant hominibus et animalibus, alii Deum eiuraverant, alii vindictae, et infamibus cupiditatibus per execrandas superstitiones satisfecerant, alii rebus sanctissimis impie abusi fuerant, etc.

Inculcent ecclesiastici populo suae curae commisso magnam in Deum confidentiam, illum doceant, Deum malis spiritibus infinite potentiorem esse, adesse providentiam generalem in omnes creaturas, et particularem in homines, hanc providentiam nos credere iubere, quod non existant homines, qui arte diabolica, *vi pacti a diabolo vere obtenta,* aliis nocere possint.

A nobis hac in materia inter catholicos controversa dissentiens, meminerit huius praeclarae sententiae s. Augustini: *In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas* (August. epist. ad Ianuar.).

§ XXXI. De naturalismo.

66. *Obi.* Quis Biblia revelatam a Deo religionem continere diceret, opponunt naturalismi defensores, cum exinde sequatur: 1° *Religionem naturalem*, a Deo mentibus omnium hominum inditam, insufficientem fuisse et esse ad finem ultimum adipiscendum? Repugnat sapientiae divinae hominibus dare medium ad finem insufficiens. 2° Religio naturalis est perfecta et immutabilis; quare insufficiens dici haud potest. 3° Si

(1) Vide plura in hoc nunc raro opusculo edit. secunda Francofurti 1633.

(2) Vide eius processum, dans les causes célèbres de M. Gayot de Pitaval., t. 11. Lege Klüpfel: Inst. theol. dogm. t. 1. c. 1. § 77. not. 4, Vindebonae, 1789.

(3) Vide Malebranche, Recherches de la vérité, tom. 1, p. 5, ch. 6: Sorciers par imagination.

religio naturalis esset insufficiens, debuisset Deus revelatam religionem dare semper, et omnibus hominibus: alioquin quot homines sine sua culpa perire deberent? 4° Finis creationis nos edocet, rationem hominis proportionatam esse debere ad eius finem; proinde revelatio est superflua. 5° Indignum est homine ingenuo valedicere rationi, et huius loco adsumere revelationem, quam non intelligit. 6° Christianorum plurimi eadem laborant ignorantia ac si revelata religio non existeret; plurimi eorum male vivunt, et plurimi illorum, christianis id fatentibus, damnabuntur; inutilis proinde est revelatio. 7° Ad salutem obtinendam sufficit, ut quis credat existere Deum, eum esse colendum, virtutem ac pietatem cultus divini praecipuas esse partes, dolendum esse de peccatis commissis et resipiscendum, praemium et poenam dari post hanc vitam. Haec quinque puncta, ait Eduard. Herb. Baro de Cherbury (1), ope rationis ab omnibus cognosci, et solis naturae viribus perfici possunt; quare revelata religio est inutilis; inutilia autem Deus non facit. Ita fere argumentantur praeter citatum E. H. de Cherbury, dd. Tindal, Thomas Morgan, et Anonymus auctor operis infra citati (2).

Resp. 1° Ex data religione revelata utique sequitur, religionem pure naturalem esse insufficientem. Ast insufficiens non fuit nisi post peccatum primorum hominum, quo lumen naturale, antea sufficiens ad omnia praecepta naturae cognoscenda, debilitatum ac obtenebratum, voluntasque ad malum pronior facta sunt. Medium igitur ad finem sufficiens a Deo hominibus datum, vitio hominum insufficiens factum est.

2° Religio naturalis equidem in se est perfecta et immutabilis; in homine vero eatenus est perfecta quatenus *absolute sufficit* ad finem; illam porro in hoc rerum statu perfectam in homine non esse, testatur experientia sapientissimorum philosophorum gentilium, qui circa praecipua religionis puncta gravissime erraront (n. 66, 67, 68, 69, 70, 71). Revelatio autem religionem naturalem non mutat, sed illam clare cognoscendam tradit, explicat ac perficit. Immo cum Deus revelatam religionem hominibus dare ab omni aeternitate decreverit, protoparentibusque creatis re vera mox dederit, sequitur: — Religionem naturalem nonnisi partem esse unius religionis, quae pars naturalis a revelatione perficitur; — primam religionem pure naturalem non fuisse (Conf. n. 73, resp. 6).

3° Religio naturalis *absolute* non est insufficiens. Exinde autem quod *proxime* non sufficit, quis concluderet, Deum obligari ad revelationem dandam semper et omnibus hominibus? Nonne Deus liber est in distributione suorum beneficiorum? Obscurato in hominibus lapsis lumine naturali, Dei bonitas humano generi non defuit; data enim fuit revelatio Adamo, quae ab illo usque ad Noachum, et ab hoc eiusque filiis, a quibus dein genus humanum descendit, traditione propagata fuit. Si deinde corrupta, vel inter gentiles abolita est, id vitio hominum, non Deo, adscribendum est.

Homines a Deo iusto iudice non damnabuntur, quod sine sua culpa revelata religione caruerint, sed quod leges naturales, quas norint aut nosse potuerint, libere fuerint transgressi. Facienti quod in se est Deus non

(1) Cherbury: De veritate prout distinguitur a ratione, etc. Paris, 1624. Item: De religione gentilium.

(2) Tindal: Christianismus mundo coaevus. Morgan: Philosoph. moral. t. III. Anonymus Essai sur la nécessité de la religion, p. 10.

deerit: *Non est acceptio personarum apud Deum,* ait doctor gentium (Rom. I, 11, et III, 29): *An iudaeorum Deus tantum?* inquit. *Nonne et gentium? Immo et gentium.* Deus iustissimus iudex unumquemque iudicabit iuxta dona et beneficia eidem concessa; minus exiget ab eo, qui minus accepit. Sed unde sciunt naturalistae, gentiles, revelatione christianorum destitutos, nullo quocumque revelationis lumine illustrari, maiori illustrandi, si obsequi vellent?

4° Ratio hominis ad finem sufficiens et proportionata fuit, antequam per peccatum obnubilata esset. Ceterum quomodo probarent naturalistae, Deum non potuisse hominem creare in statu praesenti, superaddita, ut Adamo, revelatione, quae media ad finem proportionata impertiretur? Tandem constat rationem *proxime* proportionatam non esse ad finem; proinde naturalistae ipsi hanc difficultatem solvere, aut Dei misericordiam admirari deberent, qui revelatione rationem iuvare dignatus est.

5° Quis dixit naturalistis valedicendum esse rationi, et revelationi aliter credendum esse quam per rationem? Rite adhibeant rationem suam in examinanda sincere religione revelata, et brevi naturalistae esse desinent. Homine ingenuo minime indignum est hoc sensu valedicere rationi, ut ob divinum testimonium credat, quae sola ratione non intelligit; cum Dei testimonium falli et fallere haud possit, ratio autem saepe fallatur et fallat. Num naturalistae valedicunt rationi, dum in physicis pro certo putant quod non intelligunt? aut veritates particulares pro certis habent, licet illas non intelligant, ob veritates generales, quas norunt?

6° Assertio ista falsissima est; pueri enim et rustici christiani plus de vera religione sciunt, quam gentilium sciverunt doctissimi. Nonnullos christianorum ignorantia laborare, plures male vivere et perire, ultro fatemur: sed id vitio illorum contingit; praecepta enim religionis sunt scitu facilia, observatu homini non prorsus corrupto haud difficilia, et sanctissima: quare etiam multi christianorum sancte vivunt.

7° Quae d. de Cherbury, saeculo decimo septimo naturalistarum antesignanus, hic adlegat, praeclara esse, nemo negarit. Sed si etiam sola ratio haec quinque capita innueret, an homines infallibilem certitudinem de illis haberent? quomodo infallibiliter certi essent, v. gr., se de gravibus peccatis dolentes, ac resipiscentes, eorum veniam a Deo obtenturos? quaenam auctoritas, falli et fallere nescia, illos de hoc certos redderet?

Sed petimus a d. de Cherbury quinam ex gentilibus philosophis ante promulgatum Christi evangelium huiusmodi doctrinam tradiderint? difficile haud est, ex philosophia et ex doctrina evangelii probabile aliquod systema in favorem naturalismi conflare, prout Baro de Cherbury fecit. Religio naturalis, quae est *complexus principiorum omnium quae ad informandos mores ab ipsa ratione suppeditantur,* recte dispescitur in *religionem naturalem antiquam seu imperfectiorem,* et in *novam seu perfectiorem.* Illa est quae obtinuit apud populos omni revelatione destitutos ante ortam Christi religionem; haec vero est quae post promulgatum evangelium invaluit, quaeque praecipua doctrinae theoreticae et practicae capita de Deo et homine evangelio debet. Seneca, Epictetus, M. Aurelius, Antoninus, etc. hanc excolere coeperunt ac philosophi christiani ipsam dein perfecerunt. Philosophi gentiles licet multa egregia

docuerint, nullam tamen ante Christi religionem tradiderunt religionem naturalem, quae sufficiens fuisset hominibus ad finem suum consequendum, ex quo merito concluditur, rationem solam in hoc rerum statu homini ad salutem proxime non sufficere.

Quod ipsi philosophi gentiles religionem naturalem sufficientem non cognoverint, patet ex eorum erroribus circa quatuor praecipua religionis puncta, quos optimis placitis inseruerunt. Et

67. 1. Quidem hominem verum Deum, creatorem, conservatorem ac benefactorem suum *digno cultu* venerari debere, omnimoda eius a Deo dependentia, animi gratitudo, etc. evincunt, fatentibus omnibus.

2. Religionis finem esse *Dei gloriam*, et hominis *felicitatem*, potissimum *aeternam*, inter omnes convenit philosophos. Haec autem Dei gloria et hominis felicitas obtineri nequeunt, nisi homines certo sciant medium, *quo cum Deo reconcilientur, si illum offenderunt*. Hoc vero circa medium celebriores philosophi potissimum errarunt, et ratio sola circa hoc nihil infallibiliter statuet: licet enim ratio *bonitatem* Dei perpendendo concludat, Deum hominem suae noxae poenitentem resipiscentemque in gratiam denuo recipere, hominesque bonos ita cum sese offendentibus facere; considerando tamen nullam esse proportionem inter remissionem quae fit ab homine homini et inter illam, quam peccator expectat a Deo, eo quod Deus offensus est infinitus, et offensor finitus, atque considerando divinam iustitiam, et perpendendo humanam iustitiam, gravium criminum reis, ut ut poenitentibus et resipiscentibus haud ignoscere, anxia ac dubia haerebit, ac quid de magnorum flagitiorum reis statuet ignorabit.

3. Eadem hominis felicitas requirit, ut accurata habeatur notio de *praemiis et suppliciis in altera vita expectandis*, et

4. Ut *boni malique moralis* certa habeatur notitia.

Iam vero circa haec quatuor puncta ratio celeberrimorum philosophorum gentilium caligavit[1], et semper caligasset, nisi Deus, hominum misertus, illis revelatione succurrisset.

68. Agnoverunt id ipsi sapientiores gentilium: Plato (Alcibiad. II op. vol. 5, edit. Bipont. p. 100) Socratem ita loquentem inducit: «Ne- » cesse est expectare, donec disca- » tur quemadmodum ad Deum et ho- » mines habere se deceat.» Ei *Alcibiades* reponit: «Quando erit, o » Socrates, et quibus praeceptor? » iucundissime enim hunc hominem, » quisquis erit, agnoscam.»

Idem Plato (in Epinomide) ait: «Mihi semper visum est, et etiam » nunc videtur, alias omnes artes » non admodum difficiles, hominum » vero ad rectam vitam institutio- » nem longe difficillimam;» quare ibidem addit: «Docere pietatem ne- » minem posse, nisi Deus quasi dux » et magister praeiverit.»

Tullius (Lib. 1 de Nat. Deor.): «Perdifficilis et obscura est quae- » stio, inquit, de natura deorum, de » qua tam variae sunt doctissimo- » rum hominum, tamque discrepan- » tes sententiae, ut magno argumen- » to esse debeat, causam, id est prin- » cipium philosophiae esse scien- » tiam, prudenterque academicos de » rebus tam incertis abstinuisse.»

Iamblicus (in vita Pythagorae, c. 28): «Quae Deo grata sunt, ait, sci- » re difficile est, nisi quis vel eum » qui Deum audivit, vel Deum ipsum » audiverit.»

Sed audiamus celebriorum philosophorum gentilium errores quod ad citata quatuor capita. Et

69. I. Quidem dicere nolumus, nonnullos philosophos aegyptios cum populo coluisse quadrupedes et plantas, de quibus Iuvenalis (Sat. IV) canit:

Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.
Porrum et cepe nefas violare, ac frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus haec nascuntur in hortis
Numina . . . . !

Ab aegyptiis, ait Virgilius (Aeneid. l. 8, v. 698), adorabantur

Omnigenumque deum monstra, et latrator Anubis.

Non commemorabimus aliquos philosophos ut numina veneratos esse Iovem incestuosum ac raptorem, Mercurium furem, Martem adulterum, Venerem prostibulum, etc. Haud referemus philosophos alios cum antiquis carthaginensibus, gallis, americanis, brasiliensibus, etc. barbara sacrificia humana approbasse, alios consensisse scythis quintam partem captivorum diis immolantibus, alios approbasse incolas Tauridis naufragos Dianae sacrificantes; sed citabimus errores celeberrimorum philosophorum gentilium, ad quos naturalistae moderni tamquam ad humani generis doctores provocant.

Socrates, qui 500 circiter annis ante Christum floruit, unum equidem Deum, iuxta nonnullos autem ab hoc universo non distinctum, admisit; ast deos inferiores haud negasse videtur: nam apud Platonem et Xenophontem *deos* commemorat; Xenophon immo testatur (Memorab. lib. 4), *quod saepissime tum domi, tum etiam in aris communibus coluerit deos patrios*, atque approbaverit dictum oraculi delphici: *Deos ex instituto civitatis colendos*. Silentio praeterimus Socratem morientem Aesculapio gallum gallinaceum sacrificari iussisse.

Plato, sectae academicae princeps, ac 300 et amplius annis ante Christum ob sapientiae laudem *divinus* dictus, cum Socrate sensit, ac *diis, daemonibusque et heroibus sacra fieri iussit*. De cultu publice recepto loquens: « Horum omnium, inquit (in » Epinomide), legislator, qui vel » minimum mentis habeat, num- » quam aliquid innovabit . . . nec » quae patria lege vel consuetudine » de sacrificando firmata sunt, mo- » vere audebit; scire namque debet, » mortali naturae non esse possi- » bile certi quidpiam de his cogno- » scere. »

Aristoteles, 300 circiter annis ante Christum peripateticorum dux, huc usque necdum solide ab errore polytheismi vindicatus fuit.

Cicero, qui 100 circiter annis ante Christum floruit, cum Catone equidem mirari se dicit (De Divin. lib. 2): « Quod non rideret haruspex haruspicem cum videret, » receptam tamen religionem vult observari: « A » patribus, inquit (De Leg. l. 2, c. » 20), acceptos deos placuit coli... » Illud enim ex institutis pontificum » et haruspicum non mutandum est, » quibus hostiis immolandum est » cuique deo. »

Sceptici dubitabant de omnibus, et epicurei, providentia sublata, nullam Deum inter et hominem societatem agnoscebant.

Epictetus: « Litandum et sacrifi- » candum, ait, et offerendae primitiae » sunt ritu uniuscuiusque patrio. »

Seneca idololatras excusat: « Om- » nem istam ignobilem deorum tur- » bam, » inquit (apud s. August. de civit. Dei, l. 6, c. 10), « sic adora- » bimus, ut meminerimus cultum » istum magis ad morem quam ad » rem pertinere. » Et alio in loco: « Quae omnia sapiens servabat, ait, » tamquam legibus iussa, non tam- » quam diis grata. »

En quomodo doctores gentilium idololatriam approbabant, vel iubebant cultum eorum numinum, quae falsa iudicabant! Haeccine ratio,

haeccine religio naturalis docet? « Quid facies ei,» scite ait Lactantius de hisce philosophis (lib. 2, c. 3 instit. divin.), « qui cum errare » se sentiat, ultro seipsum in lapi» des pingat, ut populus omnis of» fendat? Ipse sibi oculos eruit, ut » omnes caeci sint? Qui nec de aliis » bene mereatur, quos patitur er» rare, nec de seipso, qui alienis » accedit erroribus. »

Auctor impii libri: Codex naturae (*Le code de la nature,* 1760), qui cum non paucis religionem omnem e mundo exulare vellet, adeo insanit, ut putet Deum nec coli nec offendi posse.

Verum Dei cultus est observantia divinarum eius praescriptionum, obsecutio divinae illius voluntati. Num haec illi placere non debent? Potest ergo Deus coli. Offensa Dei est transgressio eius legum, conradictio illius voluntati. Num haec ipsi displicere non debent? Potest ergo Deus offendi. Absurda auctoris hypothesis supponit nullum discrimen esse bonum inter et malum, quod fini creationis, recto rerum ordini et sensui intimo adversatur.

D. de Voltaire in poëmate de religione naturali (*La religion naturelle*) effutit, indignum esse supremo numine laudibus hominum oblectari, mulcerique mortalium votis.

Ast rudem admodum fuisse oportet hunc deistam, dum Ens perfectissimum mancis hominibus adsimilat. Edicat nobis num Deo indignum sit exigere a creaturis rationalibus, quas condidit, conservat, in diesque beneficiis cumulat, signa suae ab illo dependentiae, amoris, reverentiae, timoris, etc.?

Cultus externi necessitatem utilitatemque negarunt auctores litterarum persicarum (*Lettres persanes*) d. de Montesquieu vulgo attributarum (lett. 4 et 36); litterarum iudaicarum (*Lettres juives*) Marchioni d'Argens adscriptarum (lett. 5 et 125); litterarum cabalisticarum et peruvianarum (*Lettres cabalistiques et péruviennes*), et anonymus auctor operis: De eo quod in religione praecipuum est (*La religion essentielle*).

Sed licet Deus cultu externo non indigeat, utpote beatissimus, hunc tamen exigit propterea quod homo non solum quod ad mentem, qua illi cultum internum persolvit, sed etiam quod ad corpus ab eo plasmatum illius iuris sit; quod proinde et suum homagium ei debet, idque cum ad cultus interioris incrementum et excitationem, tum ad exemplum aliorum, tum etiam ad nostram utilitatem conducit: *Nobis prodest colere Deum, non ipsi Deo,* ait s. Augustinus (quaest. 3 ad paganos).

Christus equidem (Ioan. IV, 24): « Spiritus, inquit, est Deus: et eos, » qui adorant eum, in spiritu et ve» ritate oportet adorare. » Ast hic cultus internus externum non excludit; fieri immo ne quidem potest, ut cultus noster internus, ubi sincerus et fervidus sit, in actiones externas non erumpat. Cultus externus, interno destitutus, Deo sane displicet: « Haud scio, » inquit Tullius (de Nat. Deor. l. 2) « an pietate adver» sus deos sublata, societas etiam » humani generis tollatur. »

70. II. De modo, quo homo post peccatum cum Deo reconciliaretur, philosophi gentiles nihil certi sciverunt. Alii existimabant, flagitia aquis expiari. « Ad lavacrum me confero, » ait Aiax apud Sophoclem (Aiax, vers. 665), « et ad prata mari vicina, ut la» vando extergam maculas meas, quae » acerbam deae provocarunt iram. » Hoc autem medium alii deridebant: « Mare omnia delet crimina, » inquit Euripides apud Stobaeum (Serm. 4): cadit autem hoc dictum in superstitiosos, qui mari lustrari solent. Ovidius vero argute canit (Fast.):

Ah! nimium faciles, qui tristia crimina caedis
Fluminea tolli posse putatis aqua.

Alii confugiebant ad sacrificia, adolebant holocausta, et varia pro variis sceleribus offerebant animalia. Taurobolii tauri cruore adspersi purgari et renasci dicebantur.

Adhuc eremitae iapones gravium criminum reos cum Deo reconciliaturi, eos, sub capitis poena immoderatis iniunctis ieiuniis, macerationibus, laboribusque exorbitantibus, in bilance ex rupe altissima supra praecipitium exponunt, in quod, nisi candide, sincere et exacte omnia sua crimina confiteantur, illos praecipites agunt (1).

Cicero autem (de leg. l. 2, c. 9): « Impius, ait, ne audeto donis placare deos. »

Plerique gentilium autumabant, deos placari *Hecatombis taurorum et agnorum*.

Tandem licet nonnulli gentilium philosophorum forte iuxta rationem crediderint Deum ob poenitentiam ac resipiscentiam iniurias remittere; cum tamen illis id infallibiliter constare non posset, tranquilli esse haud poterant. Apposite hic ait Lactantius (Institut. Div. l. 3, c. 27): «Nihilne illi (philosophi) verisimile » praecipiunt? Immo permulta, et » ad verum frequenter accedunt. Sed » nihil ponderis habent illa praecepta, quia sunt humana, et auctoritate maiori, id est, divina, illa » carent. Nemo igitur credit, quia » tam se putat hominem esse, qui » audit, quam est ille, qui praecipit. » Hoc ipsum I. I. Rousseau, sui oblitus, fassus est (Emile, t. 3, p. 178) dicens: *On a beau vouloir établir la vertu par la raison seule; quelle solide base peut-on lui donner? Philosophe, tes lois morales sont fort belles; mais montre-m'en de grâce la sanction.*»

(1) Dict. des cultes relig. t. 1, art. Confession.

D. Bahrdtius (in Op. Ausführung des Plans und Zwecks Iesus II. Band. Berlin 1784) effutit, peccatorem reconciliatione cum Deo non indigere; eo quod, iuxta ipsum, Deus infinite bonus offendi et irasci non potest, et hominem a se conditum non amare non valet. *Poenas positivas*, ait, non infligit, *poenas* autem *necessarias* peccati, seu potius eius effectus naturales dicit desinere, quando homo peccare desinit.

Fatemur et nos Deo per peccatum non inferri iniuriam, quae ipsum, utpote beatissimum, affligat, atque mentis eius felicissimae tranquillitatem turbet. Sed peccatum, seu violatio legis, adversatur directe divinae eius voluntati, eique non acceptum, nec indifferens, sed summe odiosum esse debet, hocque sensu Deus offenditur. Deus utpote beatissimus ac immutabilis irasci proprie equidem non potest, sed irasci dicitur cum aliquid fit contra divinam suam voluntatem, ac cum poenas infligit, *metaphorice* nem. , perinde atque homines cum iustae eorum voluntati resistitur, cumque poenas infligunt irasci solent. Quis autem neget Deum poenas infligere posse, cum homo id possit? Illum autem poenas huiusmodi realiter infligere patet tum ex libris sacris, tum quod id debeat, eo quod observantiam suae legis, quae sine poenis positivis locum haud haberet attenta inclinatione hominum ad malum, velle debet.

Poenas naturales seu effectus peccati, sufficientes esse ad homines a violatione legis absterrendos, nunquam probavit Bahrdtius. Multi huiusmodi effectus ut poenae a plurimis non agnoscuntur, et ab obduratis profecto non sentiuntur. In absurda hac hypothesi impius post hanc vitam eamdem sortem cum iusto habiturus esset, etc. Deum hominem

flagitiosissimum, divinae suae voluntati rebellem amare, nec ipse Bahrdtius, nisi insaniat, sibi persuadebit.

71. III. Communis equidem populorum omnium persuasio fuit, animam corpori esse superstitem, eamque praemia vel supplicia post hanc vitam manere. Ast haec persuasio tot erat comitata fabulis, ut aptior esset ad homines inducendos ad animae immortalitatem in dubium revocandam vel negandam, quam ad illos de ipsa omnino certos reddendos.

Licet philosophi hasce fabulas contemnerent, perspicerentque animae immortalitatem esse rationi conformem, quod et frequenter adfirmarunt, non tamen ad firmam eius certitudinem per rationem pervenerunt. Philosophi graeci pro indole sectae, quam sequebantur, praemiis et suppliciis post hanc vitam vel adsentiebant, vel contradicebant.

Socrates moriturus de statu animae post mortem dubius haesit: « Hora est hinc abire, » aiebat (Apol. Plat. in fine), « me quidem ut » moriar, vos autem ut vitam agatis. Utri vero nostrum in melius » eant, omnibus praeterquam Deo est » incertum. » Plutarchus Socratem loquentem inducit (Consol. ad Apollon.): « Mortem non esse timendam, » quod aut similis somno, aut peregrinationi, futura sit, aut tandem » post mortem cuncta destruantur. »

Tullius laudat quae Plato de animorum immortalitate scripsit, sed se tamen convictum non fuisse dicit: « Evolvi eius librum, « ait (lib. 1, c. 11 quaest. Tusc.) « sed nescio quomodo dum lego, adsentior: dum posui librum, et mecum ipse de animorum immortalitate cogitare coepi, assentio omnis illa elabitur.» Dein concludit, « solutionem quaestionis huius » diis relinquendam esse.»

Dicearchi, Aristoxeni, Epicuri eiusque gregis errores et argumenta futilia collegit Lucretius (De natura rerum lib. 3).

Romani antiqui praemia et supplicia post mortem admittebant, ut ex ipsis operibus eorum poëtarum, fabulas veritati admiscentium, luculenter patet. Sic Virgilius (Aeneidos lib. 6) campos elysios et tartara, quo Aeneam a sibylla cumana ductum fingit, describens, inter alia canit:

Necnon et Tityon, terrae omniparentis alumnum,
Cernere erat: per tota novem, cui iugera corpus
Porrigitur, rostroque immanis vultur obunco
Immortale iecur tundens, fecundaque poenis
Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto
Pectore; nec fibris requies datur ulla renatis.
. . . . Sedet, *aeternumque* sedebit
Infelix Theseus: Phlegyasque miserrimus omnes
Admonet, et magna testatur voce per umbras:
Discite iustitiam moniti, et non temnere Divos.

Horatius Flaccus (Carm. l. 4, Od. 7) ait:

Quum semel occideris, et de te splendida Minos
Fecerit arbitria,
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
Restituet pietas:
Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum;
Nec lethaea valet Theseus abrumpere caro
Vincula Pirithoo.

Posterioribus vero temporibus philosophi romani de animae immortalitate dubitarunt, aut illam etiam inter fabulas amandarunt.

Tullius, qui saepe de animarum immortalitate egregie scripsit (Quaest. Tuscul. l. 1, c. 22, et c. 9) de hac immortalitate disserens: « Sed plu» rimi, inquit, contra nituntur, ani» mosque quasi capite damnatos » morte mulctant... Sunt enim, qui » discessum animi a corpore putent » esse mortem; sunt qui nullum cen» seant fieri discessum, sed una a» nimum et corpus occidere, ani» mumque in corpore exstingui. Qui » discedere animum censent, alii » statim dissipari, alii diu permane» re, alii semper. »

(Quaest. Tuscul. l. 5, c. 8) petit Cicero: « Dic, quaeso, num te » illa terrent, triceps apud inferos » Cerberus, Cocyti fremitus, trans» vectio Acherontis, mento summam » aquae attingens enectus Tanta» lus? » Ei respondit Atticus: « Ad» eone me delirare censes, ut ista » esse credam? »

Idem Tullius in epistolis familiaribus, et in orationibus coram senatu habitis, de animarum immortalitate frequenter dubie loquitur: « Si quis in morte sensus est. »

Pro Cluentio vero dicens: « Quid » tandem, ait, illi mali mors attu» lit, nisi forte ineptiis et fabulis » ducimur, ut existimemus illum » apud inferos impiorum supplicia » perferre...actum esse praecipitem » in sceleratorum sedem atque re» gionem, quae si falsa sunt, id » quod omnes intelligunt, quid ei » tandem aliud mors eripuit prae» ter sensum doloris? »

Plinius (Hist. nat. l. 7, c. 55) dicebat: « Deus non potest mortales » aeternitate donare, aut revocare » defunctos. » Et ibid. (c. 53): « Non » magis, inquit, a morte sensus ul» lus aut corporis aut animae, quam » ante nativitatem. »

Seneca (de Consolat. ad Marc. c. 19): « Cogita, inquit, nullis defun» ctum affici malis. Illa, quae nobis » inferos terribiles faciunt, fabula » est. Nullas imminere mortuis te» nebras, nec carcerem, nec flumi» na flagranti igne... Luserunt ista » poëtae, et vanis nos agitaverunt » terroribus. Mors omnium dolorum » et solutio est et finis, ultra quam » mala nostra non exeunt, quae nos » illam in tranquillitatem, in qua an» tequam nasceremur, iacuimus, re» ponit. Id enim potest aut bonum » aut malum esse, quod aliquid est. » Quod vero ipsum nihil est, et om» nia in nihilum redigit, nulli nos » fortunae tradit.... Non potest mi» ser esse, qui nullus est. »

Idem Seneca (epist. 102, de animae immortalitate): « Credebam fa» cile, inquit, opinionibus magno» rum virorum rem gratissimam pro» mittentium magis quam proban» tium. »

Iulius Caesar dum in senatu de coniuratione Catilinae verba faceret: « Possum, aiebat, equidem di» cere id quod res habet; in luctu » atque miseriis mortem aerumna» rum requiem, non cruciatum es» se, eam cuncta mortalium mala » dissolvere; ultra neque curae ne» que gaudio locum esse. »

Cato autem post I. Caesarem loquens in eodem senatu: « Bene et » composite, inquit, C. Caesar pau» lo ante in hoc ordine de vita et » morte disseruit; credo falsa exi» stumans ea quae de inferis me» morantur, diverso itinere malos a » bonis loca tetra, inculta, foeda, » atque formidolosa habere. » (Apud Sallust. de coniur. Catil.)

Imp. Antoninus de statu animarum post mortem: « Pro concesso » sumi, ait (l. 4, c. 21), animas » superstites. Animae in aërem trans» latae, ubi aliquando ibi perstite» rint, mactantur, funduntur, suc» cenduntur, in seminalem univer» si rationem receptae. »

72. IV. Philosophos gentiles multa egregia morum praecepta tradidisse, nemo aequus rerum iudex inficiabitur; at illos in multis etiam graviter a vero aberrasse, evincit eorum doctrina.

1° *De charitate proximi, praesertim pauperum et infantium.*

Diogenes Laërtius Zenoni regulae ad instar fuisse scribit: « Sapientis » esse erga neminem esse misericor» dem, et illatam iniuriam non con» donare. »

Cicero (l. 1, de Offic. c. 7) inter

primas naturae leges ponit: « Nemini nocere nisi lacessitum iniuria. » Et ad Atticum scribit: « Odi hominem et odero, utinam ulcisci possem!»

Seneca (Epist. 81): «Hoc, inquit, iustitiae convenit, suum cuique tribuere, beneficio gratiam, iniuriae talionem, aut certe malam gratiam.»

Plato (de Leg. l. 2): « Nemo, ait, in nostra civitate mendicus esto. Quisquis id tentaverit, et miserabilibus precibus stipem victumque collegerit, eum praefecti e foro, aediles ex urbe, agrorum praefecti tota exterminent regione.»

Plautus (in Trin., act. 2, scena 2): « De mendico, inquit, male meretur, qui ei dat quod edat aut quod bibat; nam et illud quod dat perdit, et illi producit vitam ad miseriam. Ergo fame pereant mendici ne misere vivant.» Haec romani publico in theatro recitari patiebantur!

Plutarchus narrat (in vita Lycurgi), Lycurgum lege sanxisse, iudices recens natos infantes invisuros, ut robustos servari, imbecilles vero ac deformes coniici iuberent in foveam Apothecam nuncupatam, in qua perirent.

Plato (lib. 5 de repub.) et Aristoteles (lib. 7, c. 16 Politic.) docuerunt, proles, si nimiae vel debiles, vel educandae molestius essent, nondum natas per abortum, et natas per expositionem extingui posse.

2° De *Castitate*.

Sextus Empiricus refert (Hypat. l. 3, c. 34), Zenonem flagitiosum concubitum cum propria matre licitum dixisse.

Epicurus, teste Theophilo Anthiocheno (ad Autol. l. 2), incestum cum filia et matre licere affirmavit.

Theodorus, teste Diogene Laërtio (l. 2, § 99), dicebat: « Furto quoque et adulterio et sacrilegio, cum tempestivum erit, daturum operam sapientem. Nihil quippe horum inhonestum esse natura, si auferatur de hisce vulgaris opinio, quae ad continendos stultos conflata est. »

Idem Diogenes Laërtius refert (l. 6, § 72, 73) Diogenem Cynicum docuisse: « Mulieres communes esse oportere, nuptias nihil esse arbitratus, sed ut quisque cuique persuasisset, cum illa coiret, communesque idcirco filios fieri volebat.»

Chrysippus tenuit, Diogene Laërtio teste (l. 7, § 188): « Licere cum matribus congredi et cum filiabus.» Epictetus approbavit incestum.

Socrates, teste Xenophonte (Memorab. (l. 3, c. 11) publicam meretricem Theodotam varias artes decipiendi iuvenes edocet.

Plato, ut concordia in republica regnaret, voluit *communes esse mulieres, ita ut ad eamdem mulierem multi viri confluant.* Ita divinus ille Plato rempublicam suam publicum lupanar constituebat!

Vagos concubitus Plato pariter culpa vacare edixit.

Cato fornicationem, ut remedium adversus adulteria, censuit permittendam.

Nonne hi gravissimi philosophorum errores manifesto probant, humanam rationem solam, seu lumen naturale, in hoc lapsae naturae statu, homini ad gloriam Dei, et veram felicitatem, praesertim aeternam, ducendo imparem esse? Senserunt hoc quotquot extitere populi gentiles, apud quos, ut homines intra limites suorum officiorum continerentur, revelationes variae confictae fuerunt, eorumque legislatores suis legibus maximam auctoritatem conci

liaturi, falsas deorum revelationes et colloquia cum divinitatibus confinxerunt, ut Minos cum Iove, Licurgus cum Apolline delphico, Zeleucus cum Minerva, Numa Pompilius cum nympha Egeria, et Sertorius cum cerva. « Nulla gens, » ait s. Thomas (lib. 5, Cont. Gent. c. 4) « quod attinet negotia religionis et cultus » divini contenta fuit principiis naturaliter notis, sed omnes requi» siverunt revelationes, puta ab o» raculis et falsis suis vatibus. Hic » gentium consensus suadet opus es» se revelatione, et principia natu» raliter nota non sufficere. »

§ XXXII. De Naturalismo Biblico.

73. *Obi.* Matthaeus Tindall, in universitate Oxoniensi iuris doctor, in impio libro, anglice inscripto: *Christianismus mundo coaevus*, anno 1730, naturalismum biblicum omni conatu stabilire enixus est. Contendit, religionem naturalem esse solam veram et salvificam, et evangelium nihil aliud continere quam hanc religionem explicatam, et a falsis traditionibus ac superstitionibus purgatam. Quidquid autem in evangelio occurrit rationi impervium, contendit esse falsum, vel apocryphum, vel ad litteram accipi non debere. Malam suam causam tueri nititur tum textibus scripturae sacrae tum ratiociniis. Verum

Causa patrocinio non bona peior erit.

Ex scriptura sacra allegat:

1. Matth. IX, 13: « Non veni vo» care iustos, sed peccatores. » Ex quo concludit multos salvari, procul dubio, per solam religionem naturalem.

2. Matth. XXV, 34-46: « Venite, » benedicti Patris mei, possidete pa» ratum vobis regnum a constitutio» ne mundi; esurivi enim, et dedi» stis mihi manducare, etc. etc. » Unde infert, homines salvari propter sola opera charitatis, damnari vero ob eorum omissionem; eo quod ibi fidei non fiat mentio.

3. Act. X, 34-35, ubi Petrus dicit: « Non est personarum acceptor » Deus, sed in omni gente, qui ti» met eum, et operatur iustitiam, » acceptus est illi. »

4. II Cor. XIII, 2, 13: « Si ha» buero omnem fidem, ita ut mon» tes transferam, charitatem autem » non habuero, nihil sum... maior » autem horum est charitas. »

5. Hebr. XI, 6: « Credere opor» tet accedentem ad Deum, quia est, » et inquirentibus se remunerator » sit. » Ex quo concludit, cognitionem Dei, eiusque remunerationis ad salutem sufficere.

Ex ratione adfert:

6. Deum auctorem esse religionis naturalis; proinde illam imperfectam et insufficientem esse haud posse.

7. Religionem veram unam debere esse atque universalem; huiusmodi autem solam esse religionem naturalem.

8. Nexum eumdem semper extitisse Deum inter et hominem; eamdem proinde semper esse religionem, nempe naturalem.

9. Veram religionem talem esse oportere, ut omnes eam haud difficulter cognoscere possint; huiusmodi autem esse solam religionem naturalem.

10. Reconciliationem cum Deo, cuius cognoscendae causa theologi revelationem necessariam, aut maxime optandam dicunt, reapse necessariam haud esse; propterea quod Deus hominem summopere diligat, cum omnia ad eius felicitatem disponat, ut creationem, conservationem universi, etc., leges, praemia et poenas.

O curas hominum, quantum est in rebus inane!

Resp. Naturalista biblicus minime animadvertit,

1. Matth. IX, 13, Christum agere de sola vocatione ad poenitentiam, quae sane necessaria est potius peccatoribus quam iustis. Quod fidem divinae suae doctrinae praestandam, omnibusque necessariam posuerit, patet ex Marc. XVI, 16, ubi ait: « Qui non crediderit condemnabi» tur.»

2. Matth. XXV, 34-46, Christus dumtaxat aliqua opera bona et mala, in altera vita remuneranda vel punienda in exemplum recenset. Quis autem sanae mentis exinde inferret alia bona opera, ut fidem, et alia mala opera, ut infidelitatem, praemio vel poena in altera vita carere? Condemnationem suam deducat D. Tindall ex verbis Christi Marc. XVI, 16: « Qui crediderit, et bapti» zatus fuerit, salvus erit; qui vero » non crediderit condemnabitur.»

3. Act. X narratur visio s. Petri de linteo ac vase magno serpentibus, quadrupedibus et volatilibus referto, et vocationem gentilium ad fidem portendente. Enarrat Petrus, preces ac eleemosynas Cornelii centurionis gentilis Deo placuisse, atque ait in omni gente esse homines, qui vereantur Deum, iuste vivant, Deoque accepti sint, Christi religionem professi. Sensus igitur est, non dumtaxat iudaeos perperam gloriantes, se solos regni Messiae participes futuros, Deo placere, sed etiam in qualibet alia natione esse homines, quibus meliori quo sciunt modo viventibus, Deus suas gratias elargitur.

4. D. Paulus (I Cor. XIII, 2, 13) non agit de fide praestanda Christi religioni, sed de fide, seu fiducia, ad patranda miracula necessaria. Anteponit charitatem isti fidei, sed fidem proprie dictam requirit; ait enim (Hebr. XI, 6): « Sine fide impossi» bile est placere Deo.»

5. Paulus (Hebr. XI, 6) minime ait ad salutem sufficere, ut quis credat in Deum existentem, remuneratorem bonorum, sed dicit: *Credere oportet*, quod profecto fidem necessariam ponit.

6. Ex hoc ratiocinio sequeretur tantummodo religionem naturalem suo modo perfectam et sufficientem esse debuisse, supposito quod Deus daturus non fuisset revelationem, sed si religio naturalis est quasi pars quaedam, quae una cum revelatione, iam ab initio Adamo data, et per Christum dein luculentissime tradita, unam religionem constituit, sequitur religionem naturalem, licet a Deo profectam, per se perfectam et sufficientem haud esse posse. Sed quis dixit D. Tindallio, religionem naturalem ante lapsum protoparentum suo modo perfectam, et ad finem sufficientem non fuisse? Per praevaricationem primorum parentum intellectus hominis obscuratus, et voluntas cupiditatibus agitata, ac ad malum proclivior facta est; proinde et post lapsum protoparentum lumen naturale ad finem hominis non est amplius proxime sufficiens (Conf. n. 66, resp. 2).

7. Si D. Tindall cultos europaeos, molles asiaticos, feros afros, americanos populosque sylvestres simul comparasset, reperisset religionem, quam horum singuli naturalem dicunt, non esse unam eamdemque, proinde haud universalem. Ex hisce enim populis alii plus, alii minus de religione naturali noscunt, alii populi licita vel illicita asserunt, quae alii illicita vel licita credunt. Ex quo uno insufficientia luminis naturalis patet. Indigne de Deo sentit, qui existimat illum non posse vel nationi integrae, vel aliquibus hominibus sive per revelationem specialem, sive per naturam manifestare veritates, aliis incognitas. Si gentes quaedam

revelatione impraesentiarum carent, Deus illis, hominibusque singulis, quod in se est facientibus, haud deerit.

8. Hominem in statu innocentiae, Deoque acceptum, fuisse conditum, dein vero ex hoc statu excidisse, haud inficiabitur D. Tindall, utpote qui scripturam sacram ut naturalista biblicus veneratur; agnoscat ergo etiam, non semper eumdem nexum Deum inter et homines fuisse, et non eamdem religionem, cum Deus Adamo iam revelationem impertiri dignatus sit.

9. Facilius est religioni revelatae simpliciter fidem adhibere, quam quae spectant Deum, hominem et proximum ex uno lumine naturali eruere. Adhibendum est studium in cognoscenda ac diiudicanda religione revelata, at maius adhibendum est studium, praesertim in quibusdam factorum speciebus, ad dignoscendum ac diiudicandum quae sunt legis naturalis. Si revelatione destituti per se non tam facile in illius cognitionem, quam in multorum praeceptorum naturalium pervenire possunt, facientibus quod in se est Deus, qui non est acceptor personarum, non deerit.

10. Licet Deus hominem maxime diligat, omniaque ob suam gloriam felicitatemque hominis creaverit, etc., insaniat oportet D. Tindall, si existimet, Deum virum flagitiosum eodem loco ac iustum habere, scelestissimoque, post vitam in flagitiis sine resipiscentia transactam, idem ac iustissimo in altera vita praemium largiturum. Deum legem suam observantibus praemium, transgredientibus vero ac non resipiscentibus poenam daturum, evincunt necessaria sanctio eius legis, necessarius ordo moralis, ac divina eius iustitia. Caeterum si Deus resipiscentiam a violatoribus legis suae haud exigeret, nonne illis inepte poenas statuisset?

Absolutis quaestionibus de inspiratione seu divinitate librorum sacrorum, refutatisque difficultatibus ab incredulis ac deistis nostri aevi opponi solitis, ad caput III Hermeneuticae properamus.

CAPUT III.

DE AUTHENTIA LIBRORUM SACRORUM

Notiones praeviae.

74. Authentia est vox graeca, quae *auctoritatem* significat; hinc liber *authenticus* est, qui auctoritatem facit.

Librum *genuinum* dicimus, qui compositus fuit ab auctore, cuius nomen prae se fert, aut illius aevo, aut ex documentis coaevis collectus fuit.

Ad plenam libri alicuius authentiam, seu auctoritatem, requiritur ut

1° Constet illum esse genuinum; tunc enim constat auctorem quae scribit scire potuisse; ut

2° Liber *integer*, seu quod ad *essentialia* incorruptus, extet, et ut

3° Constet auctorem esse *veracem*, seu mentiri noluisse, immo nec potuisse. Quod ultimum authentiam libri evidenter demonstrat; necessarium autem non est, nec accommodari potest plerisque libris profanis.

SECTIO I.

DE PENTATEUCHO

§ I. De existentia Moysis.

75. Existentiam Moysis, populi israëlitici ducis ac legislatoris, nemo ante saec. decimum octavum in dubium revocavit. Cl. Huetius sibi persuasum habebat, gentilium mythologiam nil aliud esse quam scripturam sacram summopere corruptam, deosque mythologicos nonnisi Moysen, variis modis exhibitum adumbrasse. Huius legislatoris characterem ac gesta se reperisse autumabat non modo in diis aegyptiorum, ut in

Osiride, Serapide, Baccho, etc., sed etiam in numinibus graecorum et romanorum, ut in Aesculapio, Apolline, Prometheo, Pane, etc.

Haec *Huetii* singularis opinio occasionem dedit auctori *Philosophiae historiae (Philosophie de l'histoire* de M. de Voltaire), ipsam Moysis negandi existentiam.

Omnes, inquiebat futilis ille auctor, Moysis characteres invenimus in Baccho arabum; atqui hic est persona fictitia; ergo et Moyses. Inane hoc philosophema multis in libellis repetitum fuit; simile autem est huic sophismati: Historia iudaeorum est fundamentum mythologiae paganae; atqui haec falsa est; ergo et historia iudaeorum; exinde enim quod fabula verae historiae superstructa est, minime sequitur, ipsam historiam esse falsam.

Existentia Moysis non solummodo nititur scriptis illius, traditioni et testimonio universi numerosissimique populi iudaici, sed etiam testimoniis populorum gentilium, gentis iudaicae hostium, ut aegyptiorum, phoenicum, assyriorum, graecorum ac romanorum. Extant haec eorum testimonia in libris Flavii Iosephi (adversus Apionem); in Tatiano (oratione adversus graecos); in Origene (apologia contra Celsum); in Eusebio Caesaraeensi (praeparatione evangelica); in s. Cyrillo (adversus Iulianum), etc.

Speciatim personae Moysis meminerunt Tacitus (annal. l. 5, c. 5); Dio Cassius (hist. l. 37, c. 37); Iustinus (l. 36); Plinius (hist. nat. l. 30, c. 1); et Iuvenalis (sat. 14, v. 101) canit:

Iudaicum ediscunt, et servant, et metuunt ius,
Tradidit arcano quodcumque volumine Moses.

Plurimi alii auctores profani legi possunt in *Demonstratione evangelica, prop.* 4, Cl. Dan. Huetii, et in *Veritate religionis christianae*, l. 1 § 16 Hug. Grotii.

Si tantus testimoniorum consensus falleret, actum esset de fide historica, et universali in historicis laboraremus pyrrhonismo. Sinenses a fortiori numquam habuissent Confucium, persae Zoroastrum, indi Beass-Muni Gautam aliosque bramenses, qui indorum libros ac leges condiderunt, nec muhammedani habuissent Muhammedem, cum pro horum existentia tot ac tanta testimonia praesto non sint quot et quanta pro existentia Moysis.

§ II. Lingua et aetas Pentateuchi.

76. *Pentateuchus* a vocibus graecis πέντε, *quinque*, et τεῦχος, *volumen*, ita nuncupatus, *quintuplex volumen* sonat. Complectitur autem Genesin, Exodum, Leviticum, Numeros, et Deuteronomium. Hebraei hosce libros uno vocabulo *thora, legem*, vocant.

Scriptus fuit Pentateuchus puro idiomate hebraico, et absolutus ante finem anni 2553 ab orbe condito, quo Moyses obiit; Moyses enim paulo ante mortem opus hoc sacerdotibus senioribusque populi israelitici tradidisse, ut in adyto tabernaculi penes arcam foederis asservaretur Deut. (XXXI, 9-13, et v. 24-26) legitur.

Liber Genesis in quatuor sequentibus libris notus ponitur, et Deuteronomium ad quatuor praecedentes alludit; quare Genesis primo, et Deuteronomium ultimo loco confecta fuerunt.

§ III. Archaeologia Pentateuchi.

77. Richardus Simon coniecturam fecit (1), Moysen nonnisi leges Pentateuchi scripsisse, historias vero scribis, seu *notariis* publicis, qui *prophetae* dicti fuissent, conscribendas reliquisse. Sed quae R. Simon ex Fl. Iosepho, rabbinis ac patribus pro sua

(1) Rich. Simon, Hist. Crit. du V. T. l. 1, ch. 2.

coniectura profert, quod vult non evincunt; immo factum huiusmodi, a quo auctores illi tanto temporis intervallo remoti fuerunt, ne quidem testari possent.

Moyses, qui in Pentateucho de iudicibus et genealogis populi hebraei frequentem mentionem facit, de istis notariis prophetis, si exstitissent, haud ita constanter siluisset. Quamquam Moyses primo anno exitus ex Aegypto multis negotiis distractus erat, annis tamen sequentibus iis adeo occupatus haud erat, ut ipse historias scribere non potuerit. Immo (Num. XXXII, 2) Moyses, legitur israëlitarum castra conscripsisse, quae sane historica sunt (Conf. n. 89).

78. Styli diversitas, transpositiones, et earumdem rerum repetitiones, quae in Genesi occurrunt, nil aliud probant, quam Moysen ad archaeologiam Geneseos conficiendam usum esse vetustissimis documentis authenticis tamquam fontibus quae Spiritus sancti adflatu summa cum religione inter se coniunxit. Sententia isthaec, cuius auctor fuit anno 1753 I. Astruc, et quam recentiores exegetae fere omnes tuentur, ut cl. de Brentanno, Iahn, Guénée, Eichhorn, Ilgen, etc. (1), nititur

1° *Diversis documentorum inscriptionibus*, quae extant (Gen. c. II, 4; c. V, 1; c. VI, 9; c. X, 1; c. XI, 10 et 27).

2° *Varietate styli*, quae saltem usque ad patriarchae Iosephi historiam in textu hebraico deprehenditur, et characterem mosaicum non sapit.

3° *Diversitate linguae*, quae in prioribus documentis est pauper, et duriuscula, ac in posterioribus ditescit, et elegantior evadit.

4° *Brevissima quorumdam, et diffusa aliorum haud maioris momenti narratione*, ut (c. IV, 23-24) de Lamecho; (c. VI, 4) de gigantibus; (c. VI, VII, VIII et IX) de diluvio; (c. X, 8-10) de *Nemrodo*, etc., quae ponunt, Moysen alia breviter, alia diffuse descripta deprehendisse. Si omnia ex revelatione, vel ex traditione didicisset, nec talis brevitas in multis magni momenti, neque tanta in aliis prolixitas inveniretur.

5° *Multarum rerum repetitionibus*, ut cosmogoniae (c. I, et c. II), *Seth* et *Enos* (c. IV, 25-26 et V, 3-6), *filiorum Noachi* (c. V, 31, et c. VI, 10, etc.)

6° In toto capite primo, ubi in quovis fere versu nomen Dei occurrit, Deus numquam vocatur *Iehovah*, sed semper *Elohim;* in aliis vero capitibus usque ad finem capitis quarti Deus nunquam vocatur *Elohim*, sed continuo *Iehovah*, vel *Iehovah-Elohim.*

7° Traditione orali Moyses scire haud potuisset verba ipsa loquentium, quae recenset, genealogias, determinatos rerum numeros, nomina propria hominum, locorum, etc.

Moyses documenta ista fere intacta reliquisse innuunt styli varietas, inscriptiones insertae, voces obsoletae, etc. Quaedam tamen praetermissa esse videntur capite II, ubi dumtaxat occurrunt, quae primam cosmogoniam supplent, dum tamen versu 4 alia adhuc cosmogonia annuntiatur.

Documenta vero a Moyse in Genesi contexta a remotissima antiquitate scripta fuisse oportet, cum in iis, saltem usque ad historiam Abrahami, res abstractissimae modo tam sensibili, rudique hominum captui accommodato proponantur, ut homi-

(1) Brentanno: H. Schrift. 1. B. Mosis, 2. K. Iahn: Introd. in L. S. V. F. II. P. C. 1. § 15, etc. Guénée: Lettres de quelques juifs, etc., à M. de Voltaire, Paris 1817, t. 1, p. 361. Eichhorn: Einl. ins. A. T. II. Th. § 416 etc. Ilgen: Urkunden des Ierusalemischen Tempelarchivs 1798.

nes eo aevo admodum rudes adhuc fuisse apparet, atque hac de causa Deo tot attribuuntur *anthropopatha*, ut Gen. (c. I, 3, 26; c. VI, 6), ubi dicitur Deum *poenituissé quod hominem fecisset;* cap. XI, 5, ubi legitur, Deum *descendisse ut videret civitatem et turrim* babelicam, etc.

§ IV. Errores circa aetatem Pentateuchi.

79. Spinosa primus fuit, qui Moysi Pentateuchum abnegare ausus est. Increduli nostri aevi qui argumenta authenticitatis Pentateuchi expendere haud dignati sunt, quique paradoxa, quae tamquam ex tripode delphico proferunt, ulla probatione roborare nequiverunt, adseruerunt Pentateuchum nomine Moysis confictum fuisse ab Esdra, qui post exilium babylonicum floruit. Quam futilis vero haec gratuita adsertio sit, patet ex sequentibus:

1° Nam Iosue I, 7-8, iam fit mentio de Pentateucho: « Custodias, ibi dicitur, et facias omnem legem, quam tibi praecepit Moyses servus meus... non recedat volumen legis huius ab ore tuo.»

2° In omnibus libris Pentateucho posterioribus legis mosaicae frequens fit mentio, et quamplurima facta ex eo referuntur; quare si Esdras, aut alius quicumque, Pentateuchum confinxisset, pariter omnes libros historicos, propheticos, etc., Pentateucho posteriores confingere debuisset: quis vero sibi persuadeat, tot libros, ingenii, stylique diversitate distinctos ab uno homine fuisse confectos (1)?

80. Asseruerunt nonnulli Pentateuchum tempore Davidis vel captivitatis babylonicae consarcinatum fuisse ex legibus, quas unas Moyses scripserit, ex traditione orali, canticis, fragmentis historicis, inscriptionibus hyeroglyphicis, et monumentis publicis, quorum significatio ex coniecturis desumpta fuerit. Ast quam falsum hoc sit liquet ex dicendis.

Cum Salmanasar Teglathphalasaris in regnum Assyriae successor, et Sennacheribi praedecessor, destructa urbe Samaria anno mundi 3283, sub Osee rege, decem tribus Israël, quae regnum Israël seu Samariae constituebant, in captivitatem abduxisset, populosque peregrinos chutaeos et babylonios, israëlitarum abductorum loco, in Samariam misisset (IV Reg. 17), hique populi pagani in Samaria a leonibus infestarentur, rex Assyriae, qui videtur fuisse Assaradon Sennacheribi successor, misit ad illos sacerdotem israëlitam ex decem tribubus captivis, qui illos legem Moysis doceret (IV Reg. loc. cit.). Hic sacerdos istis populis, qui deinde nomine samaritanorum veniunt, Pentateuchum attulit, eosque legem mosaicam edocuit (loc. cit.). Existebat ergo Pentateuchus 730 anno a morte Moysis, cum israëlitae anno mundi 3283 abducti ipsum haberent. Ex hoc vero sequitur israëlitas Pentateuchum habuisse tempore Ieroboam, primi eorum regis.

Cum enim Roboam Salomonis filius ac successor in conventu iudaeorum in Sichem edixisset, se populum suum durissime habiturum, orta rebellione, duae solae tribus Iuda ac Beniamin illi fideles praestiterunt, reliquae autem decem tribus Ieroboam sibi regem constituerunt anno mundi 3029 (III Reg. XII). Iam vero Ieroboam omnem movit lapidem, ut decem istas tribus, quae regnum Israël constituebant, a duabus aliis tribubus regnum Iuda conficientibus, magis magisque abalienaret, quo suum regnum tutum redderet. Cultum vitulorum aureorum contra expressam Moysis legem

(1) Consule hac de re cl. Hooke: Princip. Relig. Nat. et Rev.

induxit, templa in editioribus locis extruxit, ne israëlitae hierosolymitanum adirent, atque ita se regno Iuda forte associarent (Ibid.). Si Pentateuchus ita, ut supra assertum est, consarcinatus fuisset, neque integrnm Moysis opus, an fama huius rei tum superstes haud fuisset? An senes 80 aut 90 annorum de compositione sub Davide ante 50 forte annos facta nihil audissent? An Ieroboam, subditos suos a regno Iuda usque magis alienaturus, unas leges Moysis ab aliis, quae in Pentateucho extant, non secrevisset, et dixisset, unis istis israëlitas obligari? Nonne ex Pentateucho tolli iussisset quae in Exodo de cultu vituli aurei referuntur, et cultui ab ipso introducto directe adversantur? Cum autem Ieroboam nihil horum fecerit, sequitur Pentateuchum isto aevo israëlitis et iudaeis communem fuisse, et nullam in contrarium suspicionem fuisse. Extitit proinde Pentateuchus ut integrum opus Moysis 476 annis post Moysis obitum.

Pentateuchum compositum non fuisse eo tempore, quod Ieroboam inter et Moysen effluxit ex eo liquet, quod autographum Moysis in adyto tabernaculi custodiebatur, et apographa quam plurima inter sacerdotes et laicos, praesertim iudices, erant. Si nova compositio contigisset, motus et altercationes ortae fuissent apud hebraeos innovationum inimicissimos, haeque hominum memoriae traditae ac in seram posteritatem transmissae fuissent.

Characteres vero intrinseci Pentateuchi auctorem legislationi israëliticae coaevum evincunt; leges enim historiis populi iudaici intermixtae, ex ordine quo datae sunt, relatae, aliquando repetitae, identidem auctae, aut expositionibus illustratae, notiones geographicae, physiologicae et statisticae antiqui istius aevi, stylus, etc., profecto aequalem operis et auctoris aetatem produnt (Conf. n. 86-89).

§ V. Argumentum generale Pentateuchi.

81. Pentateuchus complectitur generatim omnia quae Deus ad instituendam, conservandam ac propagandam veram religionem a creatione Adami usque ad obitum Moysis fecit. Primae eius historiae viam sternunt ad legislationem mosaicam, quae maximam partem Pentateuchi constituit.

Quam inepte autem increduli, deistae ac naturalistae contra Moysis doctrinam debacchati sint, patebit ex specimine eius doctrinae 1° *de Deo eiusque attributis*, 2° *de cultu uni Deo exhibendo*, et 3° *de moralitate*.

1° Enim Moyses, ut ipsa ratio, unius Dei existentiam docet: « Audi, inquit Israël, Dominus Deus noster, Dominus unus est. (Deuter. VI, 4).» Dei essentiam praeclare exprimit, Deum inducens semetipsum definientem: « EGO SUM QUI SUM (Exod. III, 14).»

Modo omnino sublimi depingit Dei omnipotentiam, dum (Gen. I, 3) ait: « Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux. » « Stupebis, inquit Dionysius Longinus, digne conceptam atque expressam Dei potentiam, cum scriberet legislator hebraeus: Dixit Deus, et quid? Fiat lux, et facta est lux (1).»

2° Amorem, timorem, fiduciam pietatem erga Deum vult esse fundamentum cultus divini : « Diliges Deum tuum, ait, ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua (Deut. VI, 5).... Israël, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, et ambules in viis eius, et diligas eum, ac

(1) Dionys. Long. De sublim. C. 9.

» servias Domino Deo tuo (Deut. X, » 12)... Ego Dominus Deus tuus, qui » eduxi te de terra Aegypti, de domo » servitutis. Non habebis Deos alie- » nos in conspectu meo (Deut. V, 6).»

3° De doctrina morali ait: — « Ho- » nora patrem tuum et matrem tuam, » sicut praecepit tibi Dominus Deus » tuus, ut longo vivas tempore, et » bene sit tibi (Deut. V, 16) ; » — « Non oderis fratrem tuum in corde » tuo.... Non quaeras ultionem, nec » memor eris iniuriae civium tuo- » rum. Diliges amicum tuum sicut » te ipsum. Ego Dominus.... Non » augurabimini, non observabitis » somnia.... Non declinetis ad ma- » gos... Coram cano capite surge... » Diligetis (advenam) quasi vosmet- » ipsos (Deut. XIX, 17-34); » — « Si unus de fratribus tuis... ad pau- » pertatem venerit; non obdurabis » cor tuum, nec contrahes manum » (Deut. XV, 7); » — « Non occi- » des. Non moechaberis. Non fur- » tum facies. Non loqueris contra » proximum tuum falsum testimo- » nium. Non concupisces domum » proximi tui: nec desiderabis uxo- » rem eius (Exod. XX, 13-17). »

Quis philosophorum gentilium huiusmodi doctrinam umquam tradidit (Conf. n. 68-71)?

In Pentateucho leguntur vera a Moyse edita vaticinia, et vera patrata miracula, quae divinam eius missionem, veritatemque eius religionis comprobant. Et

I. Quidem (Num. XIV, 23-31),— praedixit israëlitis, contra ipsum ac Aaronem murmurantibus, neminem ex ipsis terram Chanaan visurum, nisi Caleb et Iosue. Hanc prophetiam accurate completam fuisse constat, cum in lustratione hebraeorum in campestribus Moab nullus, exceptis Caleb et Iosue, inventus sit ex illis, qui antea in deserto Sinai a Moyse et Aarone recensiti fuerant, ut patet ex Num. XXVI, 64-65. — Celebre est Moysis vaticinium de futura iudaeorum sorte (Deut. XXVIII). Illis Dei benedictiones, rerumque suarum prosperitates praedixit, si Deo fideles manerent, miserias vero et calamitates, si ei infideles forent, quod vaticinium semper adamussim adimpletum fuit: « Adducet Domi- » nus, ait, gentem de longinquo et » de extremis terrae finibus, in si- » militudinem aquilae volantis cum » impetu, cuius linguam intelligere » non possis: gentem procacissi- » mam, quae non deferat seni, nec » misereatur parvuli... donec te dis- » perdat, et conterat in cunctis ur- » bibus tuis, et destruantur muri » tui firmi atque sublimes, in qui- » bus habebas fiduciam in omni ter- » ra tua, quam dabit Dominus Deus » tuus; et comedes fructum uteri » tui, et carnes filiorum tuorum et » filiarum tuarum... in angustia et » vastitate, qua opprimet te hostis » tuus (Deut. XXVIII, 49-53). »

Hoc vaticinium impletum fuit 1° in obsidione Samariae per Benadad regem Syriae sub Ioram rege Israëlis seu Samariae, in qua tanta fuit calamitas, ut mulier quaedam proprium infantem comederet (IV Reg. VI). 2° In oppugnatione urbis Hierosolymae sub Nabuchodonosore (Baruch II). 3° In excidio urbis Ierusalem sub Tito, in quo Moysis prophetiam plenissime adimpletam fuisse, constat ex Fl. Ios. (de bello iudaico, l. 7, c. 7), etc. Nobilis mulier, Maria nuncupata, infantem occisum et assatum comedit. Decem et amplius centena hominum millia tempore obsidionis et excidii gladio, fame et peste perierunt; 97,000 iudaeorum ut vilia mancipia paucis obolis divendita, ac cum reliquis hebraeis per totum orbem ita dispersa fuerunt, ut numquam amplius in nationem coalescere potuerint.

II. Inter vera Moysis miracula in Pentateucho recensentur: — Decem plagae aegyptiacae (Conf. n. 123-126);— Transitus maris rubri (Conf. n. 129); — Manna, quod per 40 annos de coelo depluit, ante ortum solis decidebat, proximo die putrescebat, excepto die sabbati (Exod. 16) (Conf. n. 131).

Exposito argumento generali Pentateuchi, singulorum librorum, quos complectitur, argumentum particulare paucis trademus.

§ VI. Argumentum Geneseos.

82. Primus Pentateuchi liber hebraice *Berescit, In principio,* graece Γένεσις, *Origo*, dicitur, eo quod principium seu origo huius universi in eo describitur.

Narrantur in eo (a c. I ad V), creatio mundi ac hominum, historia Adami et Hevae, eorum innocentia, felicitas, lapsus ac poena, generationes ab Adamo usque ad Noëmum, atque corruptio veteris mundi.

A c. VI ad c. XI referuntur, diluvium, historia Noëmi novi mundi stipitis, constructio turris babelicae, populorum dispersio, et generationes a Noëmo usque ad Abrahamum.

A c. XII ad c. XXVI exhibentur vocatio Abrahae parentis populi Dei, eius historia, promissiones illi factae, lex circumcisionis, destructio Pentapoleos, historia Isaaci, promissiones, quas Deus illi fecit, continuaturque historia Abrahami.

Demum (a c. XXVII ad c. L) exponuntur historia Iacobi et promissiones illi factae, enumerantur filii Edom seu Esau patris idumaeorum, contexitur historia Iosephi patriarchae, discessus familiae Iacobi in Aegyptum, recensenturque benedictiones propheticae patriarchae Iacobi in duodecim suos, binosque filios Iosephi, atque Messias adpromittitur. Continet porro Genesis 50 capitibus spatium 2369 annorum.

Occurrit (Genesis XLIX, 8-12) celebre vaticinium de Messia ex tribu Iuda orituro.

§ VII. Argumentum libri Exodi.

83. In hoc libro, qui hebraice *Veelle Scemoth,* graece Ἔξοδος, *Exitus,* vocatur, narrantur iugum israëlitarum in Aegypto, Moysis nativitas ac gesta, decem plagae aegyptiacae, liberatio hebraeorum ex Aegypto per Moysen, transitus maris rubri, mora ac manna in deserto, latio legis in monte Sinai, et constructio tabernaculi, eiusque supellectilium. Continentur autem 40 capitibus iudaeorum gesta per annos 145, a morte scilicet patriarchae Iosephi usque ad secundum annum egressus ex Aegypto.

§ VIII. Argumentum libri Levitici.

84. Hic liber, hebraice *Vaijicra,* graece Λευιτικόν, et latine *Leviticus,* nuncupatus, nomen suum desumit a tribu Levi, pro qua scriptus fuit. Agit 27 capitibus de legibus a levitis et sacerdotibus observandis, de eorum ordine ac ministerio, de sacrificiis offerendis, festisque celebrandis.

§ IX. Argumentum libri Numerorum.

85. Quartus liber Moysis, hebraice *Vaijedabber*, graece Ἀριθμοί, et latine *Numeri,* vocitatus, dinumerat bellatores Israëlis, primogenitos ac levitas. Continet varias leges hebraeis datas, eorumque historiam in deserto; comprehendit autem 36 capitibus annos circiter 39, a secundo nempe anno egressus ex Aegypto usque ad finem 40 annorum per desertum.

Cap. XXII-XXIV narratur, Balaam a Balac, moabitarum rege, vocatum fuisse ad maledicendum israëlitis.

Verum Balaam illis benedixit, futuramque eorum prosperitatem praedixit.

Cap. XXIV ait Balaam: « Orie-
» tur stella ex Iacob, et consurget
» virga de Israël: et percutiet du-
» ces Moab, vastabitque omnes fi-
» lios Seth. » Onkelos et Ionathan, R. Maimonides, aliique rabbini haec de Messia exposuerunt, quod et christiani faciunt.

Cap. XXII refertur asinam Balaami fuisse locutam. Existimant 1° nonnulli, sed male, hunc asinae sermonem Balaam somniasse; 2° Recentiores nonnulli perperam arbitrantur, Balaam sermonem asinae moabitis obtrusisse, Moysen vero quae de asina refert a moabitis accepisse; 3° Plerique vero credunt asinam Balaami realiter locutam fuisse. Tertiae huic sententiae manifeste suffragatur d. Petrus (II Epist. II, 15).

Increduli equidem haec derident; at Deo tam parum est indignum loquelam dare animali, quam vocem aliquam per aërem ad aliquem dirigere, aut uti instrumento signove quocumque ad hominibus suam voluntatem manifestandam.

Fuerit Balaam vir impius, avarus, versipellis, et ideo a iudaeis occisus (Num. XXXI, 8; Ios. XIII, 22); potuit profecto Deus illo in hunc finem uti, ut nationibus finitimis suam erga hebraeos benevolentiam declararet, atque unius Dei existentiam ostenderet. Etiamsi Moyses quae de Balaam refert a moabitis accepisset, certus de illis omnino fuerit oportet, cum alioquin illa ut certa suae historiae haud inseruisset. Quare si Moysi fide digna fuerunt, et nostra fide digna sunto.

§ X. Argumentum Deuteronomii.

86. Quintus liber Moysis hebraice *Elle Haddebarim*, graece Δευτερονόμιον, et latine *Deuteronomium*, id est *Secunda lex*, appellatus, continet 34 capitibus repetitionem legum latarum, aliquas leges novas, atque nonnullas legum explicationes. Promulgata fuit haec secunda lex a Moyse paulo ante suum obitum, qui contigit anno 2553 ab orbe condito.

Hisce expositis ponimus

§ XI. Auctor Pentateuchi est Moyses.

87. I. Moysen Pentateuchi auctorem esse, manifeste liquet ex huius operis characteribus intrinsecis; nam ex iis clare patet, 1° Auctorem fuisse educatum in Aegypto, scientiis illo aevo clarissima; leges enim Pentateuchi, israëlitis datae, quandoque sunt legibus aegyptiorum similes, quandoque contrariae. Stylus modo est historicus, modo oratorius, modo poëticus, modo legislativus, modo vehemens, modo lenis pro diversitate argumenti, quae auctorem in Aegypto scientiis egregie excultum probant.

Ex iis patet 2° eumdem auctorem fuisse hebraeum, atque in Aegypto ac Arabia cum Abrahae posteris conversatum; hoc enim palam fit; — ex historia primitiva nationis hebraeae, atque ex documentis antiquissimis huius gentis, quae Pentateucho inseruit; — ex notionibus, quas prodit de edomitis, ismaëlitis, aliisque populis nationi israëliticae vicinis; — ex lingua hebraea, antiquissima, hebraeorum patria, ac purissima, qua usus est; — ex eius cura, sollicitudine, amore ac zelo ardentissimo pro hebraeorum salute. Et en tibi ex ipsis Pentateuchi characteribus auctorem talem, qualem historiae profanae antiquae, et constans traditio exhibuerunt Moysen, ducem legislatoremque hebraeorum!

88. II. Auctor Pentateuchi totus versatur in rerum adiunctis Moysi

peculiaribus, loquitur et scribit populo iis in adiunctis constituto, quae in circumstantiis nationi hebraeae illius aevi propria sunt; eloquitur, seque gerit modo et affectu soli duci hebraeorum convenienti; materiam librorum tali ratione seligit ac disponit, qualem unus legislator, dux, et historicus selegisset ac disposuisset; praebet se scientiis dogmaticis, moralibus, politicis, physicis, philosophicis, ac historicis iudaeorum, aegyptiorum, aliorumque populorum istius ac prioris aetatis expolitissimum. Hic autem auctor pluribus in locis, in ipso orationis contextu, eodem prorsus stylo, idiomate ac charactere scribit, se esse Moysen, ut Exod. XVII, 14; XXIV, 4; Deut. XXXI, 24, et alibi frequenter.

89. III. Exodi XVII, 14 iubet Deus Moysen scribere in τῷ *libro* determinato amalecitarum insidias, bellum, futurumque interitum. Exodi XXIV, 4, 7, et XXXIV, 27, clare dicitur, Moysen non solummodo leges, sed etiam Dei apparitiones scripsisse, proinde historiam. Num. XXXIII, 1-2, legitur, Moysen mansiones iudaeorum in Arabia Petraea conscripsisse. Deut. XXXI, 24, habetur Moysen totam legem in volumine scripsisse, etc. Quae Moysen Pentateuchi auctorem esse, profecto evincunt.

Hoc vero opus Moysis, quod sacerdotibus, levitis ac proceribus nationis hebraeae tradidit, in loco publico et sanctissimo, in adyto nempe tabernaculi, custodiendum, quod quovis septennio populo universo praelectum fuit, cuius plurima apographa in manibus sacerdotum, levitarum, iudicum, etc. versabantur, interire, aut gravi corruptione infici haud potuit; quare omnis suspicio, Pentateuchum, hodie extantem, ex legibus Moysis, documentis ac monumentis antiquis congestum esse, prorsus evanescit (Conf. n. 77 et 80).

90. IV. Qui Moysen Pentateuchi auctorem esse negant, pyrrhonismo universali in rebus historicis laborent oportet; pernegare enim debent omnia testimonia librorum sacrorum hebraeorum Pentateucho posteriorum, in quibus non dumtaxat Moyses Pentateuchi auctor dicitur, sed et facta integra ex illo recensentur. Ab ipsis dicendum est, rempublicam hebraeam suum semper ignorasse legislatorem, et non dumtaxat iudaeos, verum etiam quotquot extiterunt scriptores antiquissimos, qui Moysen legis iudaeorum auctorem esse tradiderunt, ipsos infensissimos hebraeorum hostes, ut Apionem, Celsum, Porphyrium, Iulianum imperatorem, etc., immo Christum et apostolos, caecutiisse et errasse.

A fortiori abnegare debebunt I. Caesari sua commentaria, Homero iliadem, Horatio suas odas, Virgilio aeneidem, Fl. Iosepho suas antiquitates iudaicas, etc., cum pro auctoribus horum librorum, immo pro nullius libri auctore, tot extent authentica scriptorum cuiusvis aevi testimonia, totque vigeant characteres intrinseci, ac argumenta, quot sunt pro Moyse, atque ita nihil in historicis certum erit.

91. N. B. Caput XXXIV Deuteronomii, ubi Moysis mors et sepultura narrantur, ad librum Iosue spectat, illud Moysis non esse, vel ex comparatione versus primi cum duodecimo liquet (1); immo caput XXXIII Deuteronomii quod incipit: « Haec est » benedictio, qua benedixit Moyses, » homo Dei, filiis Israël ante mor- » tem suam, » initium libri Iosue

(1) Iahn· Introd. in L. S. V. F. P. I. Sect. I, § 10. Bossuet: Disc. sur l'Hist. Univ., P. II. ch. 28. Bergier: Dict. Théol., art. Deuter. Calmet Comment. sur le Deut., ch. 1, v. 1.

esse videtur (1). Antiquitus libri sacri frequenter carebant titulis, et coniungebantur, nec distincti erant in capitula. Divisio librorum sacrorum in capita primum saec. tertio decimo incoepit occasione concordantiarum, quae tum conscribebantur (Conf. n. 572).

92. Nomina chaldaeorum *(Nini-ves, Dan, Hebron, Babel)*, etc., quae Moysis tempore nondum existebant, ab Esdra, vel auctore canonis iudaeorum (Conf. n. 7), vel ab alio scriptore antiquis obsoletisque nominibus ut notiora substituta fuisse videntur, vel ab initio explicationis causa margini inscripta, dein vero loco obsoletorum nominum textui inserta fuerunt. Haec et similia Pentateuchi authentiam potius confirmant, quam infirmant, ut cl. Stattler observat; impostor enim, qui ad Pentateuchum confingendum doctissimus, sapientissimus ac astutissimus esse debuisset, tam stolidus profecto non fuisset, ut illa anticiparet.

§ XII. Vindiciae Moysis, ut auctoris Pentateuchi.

93. *Obi.* Sed, aiunt increduli, 1° tempore Moysis nec charta nec litterae extabant, sed per figuras hieroglyphicas summa rerum lapidibus, etc. insculpebatur. Moyses ita Pentateuchum conficere non potuit. 2° Alii increduli dicunt, Moysen in deserto sterili ac inter pauperes hebraeos reperire haud potuisse, quo librum efficeret. 3° Aiunt, auctorem Pentateuchi circumstantias minutas locorum Euphrati vicinorum referre, Moysen vero illas scire haud potuisse, cum ibi non fuerit. 4° Auctorem Pentateuchi de Moyse loqui in tertia persona, et hinc argui, auctorem Pentateuchi diversum esse a Moyse. 5° In Pentateucho Moysi varia tribui elogia, quae sibi ipsi auctor modestus non attribuit.

Resp. Sed 1° aevo Moysis non extitisse litteras, a veritate alienum est; historici antiqui testantur, veteres stylo, vel acuto bacillo, vel penicillo inscripsisse suas res gestas tabellis ligneis, quandoque cera obductis, vel corticibus, magnisque foliis arborum, papyro aegyptiacae, pellibus animalium, linteis, etc. Atramenti loco adhibebant fuliginem, vel carbones, gummi et aquam, vel etiam colores. Quo ex his modis Moyses usus sit, haud constat (conf. n. 95-97). 2° Increduli meminisse deberent, hebraeos spoliis aegyptiorum onustos, desertum ingressos esse, illos metalla, pelles, etc., habuisse ad construendum tabernaculum; Moysi proinde non defuisse, quo Pentateuchum conficeret. 3° Moyses hasce notiones non dumtaxat a viatoribus, qui illis in locis fuerant, sed etiam a suo avo, qui vixerat cum Iacobi filiis natis in Mesopotamia, ubi est Euphrates, discere potuit. 4° Etiam Xenophon, I. Caesar, Procopius, et Fl. Iosephus in suis operibus de seipsis in tertia persona loquuntur; num ideo quis dixerit, haec opera non fuisse ab illis scripta? 5° An historiographus iudaeus encomium aliquod scriptis Moysis adiicere non potuit (2), quin ideo sequatur, Moysen auctorem non esse Pentateuchi? Sed haec elogia sunt pauca et modesta; quare Moyses ipse ea scribere potuit.

§ XIII. Continuatio prioris.

94. *Obi.* Genesis XII, 6 dicitur, aiunt increduli, 1° *Chananaeus erat tunc in terra ista;* quae verba innuunt *Genesim* scriptam esse, quando *chananaeus* ex regione *Chanaan* post mortem Moysis expulsus erat.

(1) Iahn: loc. cit. Eichhorn apud Brentanno Comment. in Deut. c. 1. v. 1.

(2) Vide Cl. Wiest. Dem. Relig. Christ. § 165

2° (Gen. XXIII, 16) refertur, « Abra- » hamum (emisse campum) qua- » dringentis siclis argenti probatae » monetae publicae; » tempore autem Moysis *monetae*, seu nummi, nondum existebant. 3° Gen. XXXVI, 31-40 octo reges edomitarum enumerantur, qui regnasse dicuntur : « Antequam regem haberent filii Israël ; » proinde cum *Saul* primus iudaeorum rex fuerit, Genesis saltem conscripta non est ante regnum Saulis. 4° Exodi XVI, 35 narratur, israëlitas manna comedisse quadraginta annis, usque dum venirent in regionem Chanaan; Moyses haec scribere non potuit, cum mortuus sit antequam regio Chanaan ab israëlitis occupata esset. 5° Deuteronomium (I, 1) ita incipit : « Haec » sunt verba, quae locutus est Moy- » ses ad omnem Israël trans Iorda- » nem. » Constat autem Moysen Iordanem non transiisse. 6° I Machab. c. 1 habetur, sub rege Antiocho Pentateuchum periisse : « Libros le- » gis Dei, dicitur, combusserunt i- » gne, scindentes eos, et apud quem- » cumque inveniebantur libri testa- » menti Domini, trucidabant eos. » 7° IV *Esdrae* c. XIV legitur, omnes libros sacros iudaeorum sub Nabuchodonosore combustos fuisse: « Lex » tua incensa est, ibi dicitur, pro- » pterea nemo scit, quae a te facta » sunt, » atque additur, Esdram cum quinque viris libros sacros combustos Spiritus sancti afflatu denuo conscripsisse. Hinc Esdras a Tertulliano, Irenaeo, Hieronymo, Chrysostomo, Basilio, etc. librorum sacrorum reparator dicitur. Comes de Bolingbrock ex hisce infert, omnes libros sacros iudaeorum fuisse ab Esdra confictos.

Resp. 1° Iuxta textum hebraeum legendum est : « Iam tunc chananaeus erat in terra ista. » Quod profecto non innuit chananaeum e regione Chanaan pulsum fuisse, quando ista scripta sunt.

2° Versio vulgata equidem habet *pecuniam* et *monetam*, sed LXX interpretes textum hebraicum secuti verterunt hoc per *argentum*: Ἀργυρίου δοκίμου ἐμπόροις, *argenti probati mercatoribus.*

Siclum, de quo in textu est mentio, pondus fuisse, et non *monetam*, patet sat exinde, quod Abraham legatur quadringentos istos siclos ponderasse *.

3° Cum inter Esau, edomitarum parentem, et Saulem, primum iudaeorum regem, 700 anni elapsi sint, patet octo reges edomitarum usque ad tempora Saulis minime sufficere, proinde plures adesse debuisse, si Genesis tempore Saulis scripta esset. Necesse autem non est admittere opinionem illorum, qui catalogum praefatorum regum Saulis aut Davidis temporibus Genesis trigesimo sexto capiti manu aliena assutum esse existimant; nam vox *rex* in scriptura haud infrequenter significat *ducem, gubernatorem*, ideoque Moyses scribere potuit, edomitas iam octo reges, seu *duces* aut *gubernatores*, habuisse, antequam israëlitae ipsum (Moysen) haberent *ducem* seu *gubernatorem*. Moyses etiam *rex*, seu *dux*, vocatur (Deut. XXXIII, 5). Iudic. XXI, 24 *iudices* vocantur *reges*, et ibid. (c. IX, 6) Abimelech, Gedeonis filius, *rex* nuncupatur, quamvis talis proprie non esset.

* Monetas 16 et amplius saeculis, quae diluvium praecesserunt, ignotas fuisse vix credibile est. Interim de monetis antediluvianis nullum extat vestigium. Lucanus auctorem monetarum apud Graecos credit Ithonum regem Thessaliae, filiumque Deucalionis, qui 15 circiter saeculo ante Christum vixit. Lucanus (Pharsal. I. 4, v. 402-405) canit:

Primus thessalicae rector telluris Ithonus
In formam calidae percussit pondera massae
Fudit et argentum flammis, aurumque moneta
Fregit et immensis coxit fornacibus aera.

Vide dissert. sur l'antiquité de la monnaie (Bible d'Avignon, t. 1).

4° Moyses (Exod. XVI, 35), simpliciter habet: « Filii Israël manducaverunt man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem: hoc cibo aliti sunt, usquequo tangerent fines terrae Chanaan. » Iam vero israëlitae profecto *tangebant fines terrae Chanaan* ante mortem Moysis, cum tribus Ruben et Manasse iam tum occupassent omnem regionem Chanaan ad orientem Iordanis sitam. Reliquae tribus paulo post eius obitum residuam Chanaan sibi submiserunt.

5° Vox hebraica, quae a s. Hieronymo in Vulgata per *trans* reddita fuit, significat *cis* et *trans;* quare comparate ad Moysen scribentem vertenda fuisset per *cis* Iordanem.

6° Ex I Machab. I solummodo concludi potest, multa exemplaria legis periisse. Omnia prorsus exemplaria Pentateuchi profecto Hierosolymis, aut in Palaestina non erant; quare omnia comburi non poterant. Eo ipso quod morte afficerentur illi, apud quos libri legis reperiebantur, multa exemplaria sedulo abscondita fuerunt: quare c. III, 48 legitur: « Expanderunt libros legis, » et c. XII, 9: « Habentes solatio sanctos libros, qui sunt in manibus nostris. »

7° Liber IV Esdrae est apocryphus, immo multis fabulis deturpatus, quare factum hoc, per se incredibile, nullam inde historicam auctoritatem mutuari potest. Omnia exemplaria librorum sacrorum in templo aut Hierosolymis haud adservabantur; quare omnia flammis perire non potuerunt. Esdram Pentateuchum non confinxisse probavimus n. 79.

Quod spectat ad citatos patres, si illi apocrypho libro Esdrae decepti fuissent, eorum opinio ab illorum doctrina distinguenda ac deserenda foret. Patres profecto in suis opinionibus errare potuerunt; sed verisimiliter Esdram eo sensu librorum sacrorum *restauratorem* dixerunt, quod crediderunt, eum sacros codices, post captivitatem babylonicam variis mendis laborantes, variis collatis exemplaribus, correxisse (conf. n. 7).

§ XIV. De ortu artis scribendi.

DIGRESSIO

95. Ingeniosam artem scribendi* in orientalibus regionibus inventam esse, omnes antiqui testantur. Non constat autem, utrum primum scriptura *symbolica,* dein *hieroglyphica,* demum *syllabica* ac tandem *litteralis* inventa sit.

Antiqui omnes pariter testantur Cadmum litteras ex Phoenicia in Graeciam detulisse, verisimillime 1255 anno ante chronicum parense, marmoribus arundelianis 264 anno ante Christum natum insculptum, proinde 1519 ante Christum**.

Litterae autem in oriente multis saeculis ante earum translationem in Graeciam extiterunt; serius aliis regionibus illatae fuerunt, eo quod antiquitus rarior erat populorum, remotiorum praesertim, inter se communicatio.

Extant adhuc antiquissima monumenta scripta, ut inscriptiones amiclaeae, et tabulae eugubinae, quae ante bellum troianum, adeoque 12 saltem saeculis ante Christum confectae sunt. Simplicius, qui licet saec. quinto vixerit, sua tamen ex

* D. de Brebeuf de Cadmo, qui artem scribendi in Graeciam attulit, ita gallice canit:

C'est de lui que nous vient cet art ingénieux,
De peindre la parole et parler aux yeux.

** Comes ab Arundel, marescallus Angliae, initio saec. 17 in Orientem misit Guil Pétrée ad rariora antiquitatis monumenta detegenda. Detexit Pétrée in insula Paros celeberrima marmora, quae continent praecipuas epochas historiae atheniensium ab anno primo Cecropis, id est ab anno 1582 ante Christum. Haec marmora, *arundeliana* vocata, in Anglia exstant.

Porphyrio solerti historico, hausit, refert Callisthenem, Alexandri magni comitem, Babylone, 1903 annorum observationes siderum scripto consignatas reperisse, quarum initium, si verae sunt, ad annum 2234 ante Christum refertur.

Quidquid sit de istis Callisthenis observationibus astronomicis, litterae profecto primitus inventae sunt, non ad consignandas observationes siderum, sed ad exercenda commercia, populis maxime necessaria. Quare inventio litterarum observationibus astronomicis multo antiquior sit oportet. Iam aetate Abrahae usurpatum fuisse *libellum emptionis,* ex Gen. XXIII, 17 colligunt nonnulli.

Tempore Moysis litterae ut notissimae in Pentateucho ponuntur, ut Exod. XVII, 14; XXIV, 4; XXVIII, 9, etc., ubi occurrit insculptio nominum in lapidibus onychinis, et Exod. XXXII, 15-16, ac XXXIV, 27-28, ubi occurrunt tabulae scriptae Moysis, quae notionem litterarum in hebraeis ad illas intelligendas profecto postulabant. Liber bellorum Domini (Num. XXI, 4), et cantica, quae in Pentateucho repeziuntur, usum litterarum manifesto testantur. Immo iam aetate patriarchae Iacobi nomina annulis insculpta fuisse, nonnulli ex annulo Iudae tradito Thamar (Gen. XXXVIII, 25), et ex annulo Pharaonis dato Iosepho (Gen. XLI, 42), colligi posse existimant.

Litterae igitur a Noëmi posteris in Phoenicia verisimiliter inventae*, et orientalibus populis aevo antiquissimo notae, a mercatoribus phoenicibus per orientem, meridiem, et occidentem divulgatae sunt.

* Hinc Lucanus (Pharsal. l. 3. v. 220-224) canit:

Phoenices primi (famae si creditur) ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.
Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat: et saxis tantum volucresque, feraeque,
culptaque servabant magicas animalia linguas.

§ XV. Materia et instrumenta antiquae scripturae.

96\. Prima scripturae materia quae fuerit, haud liquet: ad illam autem priscis temporibus adhibebantur

Ex regno vegetabili: 1° folia arborum. Aeneas apud Virgilium (Aeneid. I, 6) sibyllae cumanae ait:

... Foliis tantum ne carmina manda;
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.

2° Cortex arborum, *liber,* Βίβλος, vocatus. Ex illo dein resoluto, ac denuo compacto, corticea charta confecta fuit. 3° Tabula lignea, *pugillaris,* Πίναξ, de qua (Ezechiel. XXXVII, 16, et Luc. I, 63). Haec in occidente, raro in oriente, cera illiniebatur. 4° *Linteum.* Hinc Romae existebant libri lintei, de quibus Tit. Livius meminit, item *pannus xylinus,* qui in aegyptiorum mumiis adhibitus fuisse conspicitur. 5° Charta *papyracea,* quam ex diversis arundinibus papyri paratam, iam ante bellum troianum adhibitam fuisse scribit Plinius (1).

Ex regno animali usitatae erant: 1° *Pelles* animalium, quae ab initio rudi modo parabantur; sed sub Eumene, rege Pergami, melior modus eas praeparandi inventus est**; quare pellis isto modo parata adhucdum *pergamena* dicitur, uti et μεμβράνα, *membrana,* de qua loquitur s. Paulus (II Timoth. IV, 13). 2° *Intestina* animalium. Leo Isauricus graecorum imp. Constantinopoli combussit bibliothecam 30,000 voluminum quibuscum perierunt opera Homeri characteribus aureis ingentis serpentis intestino 120 pedum longitudinis inscripta.

Ex regno minerali adhibebantur:

(1) Plin. hist. nat. l. 13, 22 et seq.

** Martialis de operibus Titi Livii canit:

Pellibus exiguis arctatur Livius ingens,
Quem mea vix totum bibliotheca capit.

1° Tabulae plumbeae. De quibus sermo Iob (XIX, 24). 2° Tabulae aeneae, quae monumentis perpetuis inserviebant, et de quibus fit mentio I Machab. VIII, 22. 3° Lapides et saxa, quibus monumenta publica potissimum insculpebantur (Exod. XXIV, 12; XXXIV, 1; Iob XIX, 24). 4° Laterculi, qui litteris impressis igne coquebantur, et qui adhuc e ruderibus effodiuntur, quae Babylonis esse creduntur. 5° Arenae humi stratae quandoque inscribebatur, ut fecit Christus (Ioan. VIII, 1-8). In India infantes scribendi artem in arena exercent.

97. Instrumentum scribendi erat *stylus* (Iob XIX, 24).

In linteis vero, pellibus, charta, pergamena, et pannis xylinis litterae primum pingebantur acuto bacillo, vel penicillo, et demum calamo, etiam fisso, quem orientales adhuc loco pennarum adhibent *.

Cultrum, quo calamus scindebatur, *scalpellum* vocabatur (Ierem. XXXVI, 23).

Atramentarium, in quo instrumenta scripturae erant, ad cingulum ferebatur (Ezech. IX, 2).

Atramentum, ut usitatissimum iam ponitur (Num. V, 23). Simplicissimum parabatur ex carbonibus contusis, vel ex fuligine, aqua et gummi. Antiqui etiam coloribus utebantur, ut Tullius ac Persius scribunt (1).

§ XVI. Libri et scriptores antiqui.

98. Libri tempore Moysis notissimi erant, commemorantur ut tales Exod. XVII, 14; Num. XXI, 14; et Iob XIX, 24. Conficiebantur ex corticibus arborum, linteis, pannis xylinis, pellibus, charta papyracea, pergamena, etc.

Libri materiae flexibili inscripti circa baculum volvebantur: si vero longiores erant ex duabus extremitatibus circa duos baculos convolvebantur; hinc nomen *Volumen* (Deut. XXXI, 24, etc).

Liber baculo obvolutus funiculo ligabatur, et quandoque sigillo obsignabatur (Isaiae XXIX, 11), etc.

Libri tabulis ligneis, plumbeis, aereis, etc. inscripti, coniungebantur baculis, per annulos aequali distantia positos, traiectis.

99. Moyses est antiquissimus auctor cognitus. Antiquissimorum populorum scriptores, quos novimus, illo multo posteriores esse, ex historia constat: ita post Moysen vixit

Manethon	antiquissimus inter	aegyptios	1240
Berosus		chaldaeos	1170
Confucius		sinenses	1000 circ. an.
Homerus		graecos	500
Sanchoniathon, si tamen extitit		phoenices	500

Sed iam satis de arte scribendi disseruimus.

§ XVII. Pentateuchus quod ad substantialia incorruptus extat.

100. Liber, qui ut thesaurus custoditur, cuius frequentissimus, immo continuus, apud omnes, praesertim rebus sacris politicisque praepositos, est usus, interpolationibus, corruptionibusque substantialibus haud patet; talis autem est Pentateuchus: 1° enim autographum Moysis in arca adservabatur (Deut. XXXI, 26). 2° Exemplar iuxta archetypum descriptum sacerdotes electis regibus tradebant, ut hi legem Moysis et addiscerent, et observarent. 3° Lex Moysis septimo quovis anno publice praelegi, et quasi de novo promulgari debebat (Deut. XXXI, 10-13). 4° Singulis diebus sabbatis iudaeis aliquid publice ex ea praelegi solebat. 5° Nu-

* Persius de calamo canit:
Inque manus chartae nodosaque venit arundo.

(1) Tullius de nat. deor. l. 2, c. 20. Pers. Sat 3. Confer Plinium, qui l. 16, c. 6 et l. 30, c. 25 varios modos veterum atramentum parandi describit.

merosissima tribus Levi, quinquaginta circiter hominum millibus constans, curam legis mosaicae habebat, doctrinamque suam, praecepta ac ritualia ex ipsa depromebat. 6° Iudices suas leges politicas, ab omnibus servandas, in illa habebant. 7° Severissime a Moyse prohibitum fuerat suae legi aliquid addere aut demere (Deut. IV, 2). 8° Iudaei plurima legis mosaicae exemplaria habebant, illamque ut librum divinum, et ut divinae erga se benevolentiae pignus anxie conservabant. Quomodo ergo Pentateuchus, in quem iudaei tanta ferebantur veneratione, quem tanta sollicitudine adservabant, et quo publice ac continuo utebantur, quoad substantialia corrumpi potuit? Incorruptus igitur quoad substantialia apud iudaeos permansit, et talis ex eorum manibus in manus christianorum pervenit.

101. Si qui Pentateuchum corrupissent, hi fuissent vel iudaei ipsi, vel pagani, vel samaritani, vel christiani. Horum autem nemo ipsum corrupit: 1° non iudaei; secus enim ex illo expunxissent onera illa gravissima, quae ipsis in eo imponuntur, et delevissent quae Moyses de eorum seditionibus, idololatria, criminibusque turpissimis, utpote nationis opprobriis, in illo commemorat. 2° Non pagani; illi enim ex ipso sustulissent doctrinam et miracula Dei unitatem probantia, et tum iudaei reclamassent. Caeterum plurimi gentilium iudaeos spernebant, eorumque libros sacros non curabant. 3° Non samaritani aut christiani; iudaei enim eorum hostes infensissimi, ipsis hanc impietatem exprobrassent, et Apion, Celsus, Porphyrius ac Iulianus imp. id silentio haud praeteriissent.

102. *Obi.* Verum, excipiunt 1° deistae, IV Reg. c. XXII et c. XXIII legitur, Helciam pontificem sub Iosia rege volumen legis mosaicae in templo reperisse, regem ad illius praelectionem vestimenta scidisse, et obstupuisse, uti et Helciam; atque dicitur, patres seu maiores eorum verba istius legis haud audiisse; consequenter Pentateuchus fuit tum, hoc unico reperto exemplari excepto, deperditus; corrumpi proinde facile ac confingi potuit.

Resp. Hoc ad summum probaret corrumpi potuisse, neutiquam revera corruptum fuisse, cum a posse ad actum non valeat illatio. At volumen ab Helcia inventum fuit autographum Moysis Deuteronomii; II enim Paral. XXXIV, 14 dicitur: « Reperit Helcias sacerdos librum per manum Moysis. » Stupor vero et dolor orti sunt, ad praelectionem terribilium maledictionum, quas Moyses in Deuteronomio violatoribus legis praedixerat; et quarum memoria in ingenti iudaeorum corruptione morali fere obliterata fuerat. Verba autem: « Non audierunt » patres nostri verba libri huius, ut » facerent omne quod scriptum est » (c. XXII, 13) » significat tantummodo, publicam legis lectionem sub Amon et Iosia plurimis annis omissam fuisse.

103. *Obi.* 2° Textus hebraeus, samaritanus et graecus in chronologia maximopere discrepant; consequenter Pentateuchus fuit corruptus.

Resp. Nemo profecto substantialia alicuius libri in chronologia collocabit. Fatemur tres praefatos textus in multis rebus chronologicis dissentire (1), diluvium, v. gr., iuxta chronologiam hebraicam contigit anno mundi 1656, iuxta samaritanam anno 1307, et iuxta graecam

(1) Vide tabulam chronologicam variantium ad finem Hermeneuticae.

LXX interpretum anno 2242; verum ex hoc solummodo sequitur, menda in textum samaritanum et in versionem graecam quoad chronologiam irrepsisse; nam vulgata, paraphrasis chaldaica Onkeli, versio arabica et syriaca cum textu hebraeo concordant; textus autem samaritanus, testibus Origene et Hieronymo, adhuc saec. quarto et quinto cum hebraeo consentiebat; quare illum postea vitiatum fuisse oportet. Chronologia graeca LXX interpretum consulto mutata fuisse videtur iam ante Christi adventum; nam patriarchas in epocha paternitatis fere omnes 100 annis vetustiores facit, quam alii textus, et quod ad summam annorum eorum vitae cum textu hebraico convenit (1). Interpolator id fecisse videtur, ut tempus dispersionis gentium facilius cum historia profana componeret (conf. n. 120); vel forte existimans Moysen in vitis patriarcharum annos menstruos adsumpsisse, annos epochae eorum generationis auxit, ne aliqui patriarchae iuxta suam hypothesin tertio aut sexto anno aetatis genuisse dicerentur (conf. n. 119).

104. *Obi.* 3° Vulgata ipsa quoad aetatem τοῦ Arphaxad a textu hebraeo discrepat.

Resp. Verum aliae versiones τῷ Arphaxad 438 annos vitae attribuunt, ut textus hebraicus. In vulgata, quae τῷ Arphaxad nonnisi 303 annos tribuit, verisimiliter amanuensium, vel typographorum error irrepsit.

105. *Obi.* 4° Sed textus hebraeus in chronologia minime recenset ante Sale Cainan, quem LXX interpretes et s. Lucas III, 36 habent.

Resp. Cainan iste in textu hebraeo numquam extitit; nam in textibus samaritano, syriaco, arabico, in ipso veteri testamento Vulgatae, in Fl. Iosepho et Philone deest. Existimant alii Cainan cognomen esse τοῦ Sale, ipsumque a LXX interpretibus, quos s. Lucas secutus esse videtur, claritatis causa additum fuisse. Alii vero credunt, nomen Cainan versioni LXX interpretum fuisse insertum, et ex hac fonte evangelio s. Lucae postea fuisse adiectum; et revera codex manuscriptus cantabrigiensis in evangelio s. Lucae Cainan non recenset.

106. *Obi.* 5° Ast patres nonnulli iudaeos corruptionis Pentateuchi accusant!

Resp. Isti patres corruptionis insimulant dumtaxat aliquos iudaeos quod ad quaedam exemplaria post Christi adventum vitiata, non autem iudaeos generatim, quod ad omnia exemplaria, et ante Christi nativitatem. Ss. Augustinus, Hieronymus, virique linguae hebraicae probe gnari consentiunt, Pentateuchum hebraeum quod ad substantialia cum samaritano, LXX interpretibus, et vulgata convenire.

§ XIX. Pentateuchus est verus.

107. *Moyses* fuit I. vir sapientissimus; hinc quae in Pentateucho refert scire potuit; II. probissimus; et hinc iudaeos decipere noluit; III. si etiam ipse in iis, quae narrat, deceptus fuisset, iudaeos tamen decipere non potuisset: quare Pentateuchus est verus. Et

108. I. Quidem auctor Pentateuchi, aegyptiace *Moyses*, id est *ex aqua servatus,* nuncupatus (Exod. II, 10), a Pharaonis filia adoptatus (Exod. II, 9-10), omnes aegyptiorum scientias edoctus, et iuxta Fl. Iosephum princeps militiae, soliique regalis haeres, tanta eminuit sapientia ut ipsi sacerdotes aegyptii ei, iuxta Diodorum Siculum et Artapanum, insigne huius rei testimonium dederint. Illum sapientissimum fuisse

(1) Confer. tabulam chronologicam ad finem Herm.

insuper sufficienter patet ex eius lege religiosa ac politica, quam hebraeis dedit, et qua pro rerum, temporum, ac locorum adiunctis, pro quibus lata est, sapientior numquam extitit, hodiernique politici multa ex ea addiscere possent, ut DD. Guénée *(in epistolis iudaeorum, etc., ad D. Voltaire)*, Michaëlis, Calmet, et Marchetti exponunt. Excellentiam doctrinae dogmaticae ac moralis Moysis nullus philosophorum antiquorum attigit, nemoque tam mirabiliter essentiam Dei expressit quam Moyses sola voce *Iehovah*.

109. Tanta nec sapientia opus erat Moysi ad scribendas historias, quas in Pentateucho refert; nam ipse vidit et audivit quae in libris Exodi, Levitici, Numerorum ac Deuteronomii occurrunt. Quae vero in Genesi reperiuntur ex documentis antiquis, eius aetate existentibus, haurire potuit, et verisimiliter hausit (n. 78).

Immo facta Geneseos e traditione orali scire potuit, quod facta illa pauca erant, et homines antiquitus diutissime vivebant, qui proinde ea sibi facile communicabant. Moyses vixit cum patre suo Amram, Amram cum Levi, Levi cum Isaac, Isaac cum Sem, Sem cum Mathusalem, Mathusalem cum Adam. Quae vero genealogias et verba loquentium in Genesi spectant, Moyses depromere potuit ex variis documentis authenticis, inscriptionibus monumentorum, altarium, sepulcrorum, etc. hinc inde erectorum.

Tandem cum Deus Moysen frequenti alloquio dignatus sit, Moysen quoque a Deo multa in Genesi occurrentia per revelationem accipere potuisse, nemo negarit.

110. II. Moysen virum probissimum fuisse, et hinc iudaeos decipere noluisse, liquet ex characteribus intrinsecis Pentateuchi: simplicitas enim dictionis, neglectus styli, insignis modestia, summa in Deum religio, continuae ad exercitium virtutis, et ad fugam peccati exhortationes, naevorum errorumque Moysis fidelis expositio, congruentia characterum personarum cum singulis factis, brevitas historiarum praesertim antiquissimarum, omnia dubia remota fuisse evincens, tam evidentem dant sinceritatis praesumptionem, ut nullus impostor, utut astutus, v. gr. Muhammedes, illa unquam imitari potuerit.

III. Moyses immo iudaeos ne quidem decipere potuisset, etiamsi voluisset: non enim in factis Geneseos, nam iudaei illa aeque ac Moyses ex documentis antiquis aut ex traditione cognoscebant; nec in factis quatuor aliorum librorum; nam iudaei ea viderant et audierant, aut a suis parentibus intellexerant. Nisi ergo dicere velimus, Moysen israëlitis persuasisse, se scire quae nesciebant, se vidisse et audivisse, quae nec viderant nec audierant, se, v. gr., mare Rubrum siccis pedibus traiecisse, se 40 annis manna miraculoso in deserto fuisse nutritos, etc. etc., dum hebraei nihil de his scirent, fatendum est Moysen iudaeos ne decipere quidem potuisse.

112. Veritas Pentateuchi confirmatur: quod in illo occurrunt simplicitas illa antiqua, ac priscae formulae loquendi, et quod quae in illo narrantur de simplici antiquissimorum hominum vivendi ratione, hospitalitate, conviviis, sacrificiis, officiis domesticis mulierum, monumentis aegyptiis, horum divitiis, etc., a vetustissimis historicis profanis, ut ab Hesiodo, Herodoto, Homero, Diodoro Siculo, etc. eodem modo referuntur (1).

113. Veritas Pentateuchi, potis-

(1) Consule Jacquelot: Existence de Dieu, et Lessium: Geschichte der Religion. 2 Abschnitt.

simum quatuor posteriorum librorum, confirmatur monumentis publicis et festis iudaeorum; conservabant iudaei tabulas legis in arca quae res in monte Sinai gestas exhibebant. Virga Aaronis foliis vestita, et manna in eadem arca adservabantur, in testimonium confirmati Aaroni a Deo sacerdotii, et cibi miraculosi in deserto. Festa paschatis, pentecostis et tabernaculorum, celebrabantur, ad per primum eductionem ex Aegypto, per secundum promulgationem solemnem legis mosaicae, et per tertium moram in deserto sub tabernaculis, seu tentoriis, in memoriam revocandas. Num haec monumenta, haec festa apud iudaeos extitissent, si ea, ob quae fuerunt instituta, fuissent falsa?

Celebratio septimi diei, ab omnibus populis antiquis observata, institutionem sabbati a Deo iuxta Genesin factam ob opus creationis septimo die absolutum, omnibus populis per traditionem notam fuisse evincit (Conf. n. 34-36).

VINDICIAE VERITATIS MOYSIS

§ XX. Num Moyses impostor?

114. Auctor *Philosophiae historiae* (1), infamis auctor *De tribus impostoribus, Moyse, Christo et Muhamede* (conf. n. 516 notam) cum aliis impiis eiusdem furfuris, Moysen impostorem adpellare haud erubescunt. Affirmant nempe, Moysen missionem suam, colloquia cum Deo, etc., ementitum esse.

Verum videamus quid sit impostor. Impostor est 1° homo callidus, fanaticus, phreneticus in suis scriptis, in actionibus externis frequenter exagitatus, qui se Deo acceptum iactat, et visiones venditat, quin earum veritatem probet; 2° est magnatum adulator; 3° impietati sanctitatem praetendit; 4° sua omnia studiose componit; 5° virtutem clam parvi facit; 6° propriis utilitatibus studet, illasque publico commodo anteponit; potentiam ac honorem quaerit; 7° adulatione aliorum captat benevolentiam; 8° proprios errores dissimulat, et 9° orationis vanitate plausum vulgi quaerit.

En imaginem impostoris, qualem ratio et historia omnium impostorum, ut Muhammedis, montanistarum, primorum anabaptistarum ac quacquerorum, fanaticorum coemeterii s. Medardi Parisiis, Schwedenborg, Ioannae Southcott, quae se anno 1814 Londini Messia gravidam esse, variasque visiones habere, iactitabat, etc. nobis suppeditant (2).

Ast ne vestigium quidem huiusmodi imaginis in persona Moysis occurrit: 1° enim modo simplicissimo, ab omni calliditate, phrenesi, et fanatismo alienissimum se ubique ut legatum Dei gessit, suamque missionem veris editis miraculis tum in Aegypto per decem plagas tum extra Aegyptum per transitum maris Rubri, etc., evidenter comprobavit, atque ita iudaeorum fidem sibi devinxit.

2° Tam parum magnatibus populi adulatus est, ut ipsos potius, quando delinquebant, severissime corriperet, ut eius orationes testantur.

3° Ab ipsa umbra impietatis tam remotus fuit, ut ubique tenerrimam in Deum pietatem spiret, virtutis exercitium, cultum veri Dei, et vitiorum fugam continuo commendet, uti eius leges et orationes ad israëlitas fidem faciunt.

4° Miracula sua in Aegypto coram aula Pharaonis, multa coram omnibus aegyptiis, alia in deserto coram vicies centenis hominum millibus patravit, qualis divisio aquarum

(1) Voltaire, philosophie de l'histoire, ch. 53.

(2) Lege cl. Hoocke: Principia relig. nat. et rev. t. II.

maris Rubri, publice legem suam promulgavit, etc.

5° Moysen virtutem non palam dumtaxat sed et clam coluisse, insignis eius in Deum pietas, maxima humilitas et misericordia in pauperes, propriae utilitatis neglectus, charitas in omnes, zelus gloriae Dei, etc., evincunt.

6° Commoda et utilitates populi sibi commissi suis commodis adeo praeposuit, ut pericula quaecumque pro eodem subierit. Cum Deus rebellem hanc nationem exterminandam dixisset, Moyses semetipsum victimam pro eius salute obtulit, Deumque deprecans: « Dimitte, aiebat, » illis hanc noxam, aut si non facis, » dele me de libro quem scripsisti » (Exod. XXXII). » Nihil profecto illi expectandum erat a populo durae cervicis in idololatriam prono, et fere semper rebelli, qui iam tertio die ab exitu ex Aegypto in illum insurrexit, et de quo (Exod. XVII, 4: « Quid » faciam populo huic? inquit, ad» huc paululum et lapidabit me. » Magnum profecto illi erat emolumentum et magna gloria, divitiis filiae Pharaonis, suae matris adoptivae, valedicere, et per 40 annos per loca inculta et inhospita cum rebelli semper populo, bonis spoliato, etc., errare! Commoda ac honorem suae familiae tam parum quaesivit, ut fratre Aarone constituto pontifice, Iosuam, virum alterius tribus, ducem populi israëlitici constituerit, propriis filiis in levitarum classe relictis (Exod. IV, 20; Iud. XVIII, 30). Quod Moyses sibi suisque divitias haud quaesierit patet insuper ex Num. XVI, 15, ubi Deo: Tu scis, » ait, quod ne asellum quidem um» quam acceperim ab eis, nec affli» xerim quemquam illorum. » Postquam sub vitae exitu principibus ac populo strictam legis observantiam, inviolabilemque in Deum fidelitatem adhuc inculcasset, obiit pauper, relictis posteris qui nec divitiis nec dignitatibus conspicui fuerunt.

7° Moyses a captanda adulationibus populi benevolentia adeo alienus fuit, ut ipsi frequentissime, uti et eius principibus suos errores severe exprobraverit, et in omnes, immo in propriam familiam severissime animadverterit.

8° Proprios errores ac naevos candide fassus est, et suas actiones illustres, quas ob historiae nexum recensere debuit, ita exposuit, ut non in suam, sed Dei gloriam redundarent, utque consilia Dei in populum israëliticum elucescerent.

9° Res maxime sublimes, fortes illustresque suas actiones, stylo narravit simplicissimo, usus verbis vulgaribus, et qua potuit verborum concisione.

Num igitur Moyses, cuius in persona evidentes characteres legati divini ac magnae sanctitatis reperiuntur, est impostor? aut potius sunt impostores futiles illi scriptores, qui omni religione destituti, vitiis omnibus imbuti, deliriaque incredulae suae mentis pro oraculis venditantes, Moysen impostoris nomine nuncupare haud verentur?

§ XXI. Silentium aut contrarietas scriptorum antiquorum circa facta miraculosa Pentateuchi.

115. *Obi.* Facta illa stupenda, quae in Pentateucho referuntur, si vera essent, aiunt 1° deistae, ab antiquis historicis profanis relata fuissent. Iam vero prisci historici profani nihil de illis commemorant.

2° Moyses scribit israëlitas iussu Dei ex Aegypto egressos esse, ut occuparent regionem Chanaan, aegyptios vero eos dimittere noluisse (Exod. V). Tacitus tamen (Annal. l. 21) refert, quod aegyptii a deo Hammone iussi sint hebraeos, morbo contagioso infectos, diisque invisos, Aegypto pellere: « Plurimi auctores

» consentiunt, inquit, orta per Ae- » gyptum tabe, quae corpora foeda- » ret, regem Bocchorim adito Ham- » monis oraculo remedium peten- » tem, purgare regnum, et id genus » hominum (hebraeos), ut invisum » diis, alias in terras avehere ius- » sum, etc. » Iustinus etiam narrat (Epit. hist. univ. Trogi Pomp. l. 36), quod aegyptii a diis suis iudaeos, morbo contagioso correptos, cum Moyse ex Aegypto pellere iussi sint.

3° Moyses (Exod. XVII) scribit, se sitientibus et murmurantibus israëlitis e rupe virga percussa iussu Dei elicuisse fontem. Tacitus vero totum hoc prodigium elevavit, loc. cit. scribens: « Hebraeos nihil aeque » quam inopia aquae fatigabat. Iam- » que haud procul exitio totis cam- » pis procubuerant, cum grex asi- » norum agrestium e pastu in ru- » pem nemore opacam concessit. » Secutus Moyses, coniectura her- » bidi soli, largas aquarum venas a- » perit. Id levamen, et continuum » sex dierum iter emensi, septimo » pulsis cultoribus obtinuere terras, » in quibus urbs et templum, dica- » ta sunt. » Tacito naturalistarum grex passim et imprimis marchio d'Argens applaudit (1).

Resp. 1° Quam futile hoc argumentum sit liquet, quod narrentur ab Herodoto, Thucidide, etc. multa facta extraordinaria, quae tempore scriptorum hebraeorum contigerunt, quorum opera habemus, quae tamen ab historicis hebraeis praetermittuntur. Num deistae ideo haec facta commentitia dicunt?

Quid scriptores antiqui de factis, quae diluvium praecesserunt, aut mox secuta sunt, referre poterant, cum vix historiam propriae suae nationis scirent? Omnes historici profani, quos novimus, Moyse multis saeculis posteriores sunt (n. 99); an mirum igitur eos nihil retulisse de factis quae ante ipsos evenerant? Diodorus Siculus, Ephorus, Timaeus et alii testantur se vix aliquid certi scire de propria sua natione a *bello troiano*, quod tertio saeculo post Moysen, et decimo tertio ante Christum contigit. Citent deistae scriptores Moyse antiquiores, aut ei coaevos, qui opportunam occasionem de factis Pentateuchi loquendi nacti, de iis tamen siluerunt, ac eorum argumentum vim habebit.

Verum ex una historia profana argumentando deistas inscitiae arguemus; Berosus enim chaldaeus, Hieronymus aegyptius, et Abydenus, loquuntur de diluvio noachico; idem Berosus, et Manethon longaevam patriarcharum aetatem commemorant, Abydenus, Eupolemon Histiaeus de turri babelica et confusione linguarum verba faciunt; Hecataeus, Berosus et Eupolemon vitae Abrahami, Polyhistor sacrificii Isaaci et gestorum Iosephi, ac Artapanus transitus maris Rubri meminerunt (2). Num forte historici profani aliarum nationum omnia facta exiguae nationi israëliticae propria referre debebant?

2° Dissensio nonnullorum auctorum profanorum a Moyse, fidem historiae mosaicae haud elevat; a factis enim in illa relatis nimis remoti fuerunt; quare ea probe scire nequiverunt. Hinc tantus etiam inter illos ipsos dissensus. Tacitus, v. gr., scribit (Annal. l. 21) israëlitas ex insula Creta oriundos esse, ab *Ida* monte nomen *idaeorum*, et barbarice *iudaeorum* traxisse. Iustinus vero ait (Epit. Trogi Pomp. l. 36), hebraeos e Damasco, Syriae urbe, originem ducere, Israëlemque, seu

(1) Marquis d'Argens: la philosophie du bon sens. Refl. 1. § 5.

(2) Vide Fl. Ios. l. 1. contra Apionem; Tatianum Assirium l. contra Ethnicos; Eusebium Caes. Praep. evang. l. 9, c. 4, et Huetium Dem. ev., c. 2.

Iacobum, eos a nomine sui filii *Iudae iudaeos* nuncupasse. Damascum scribit primum eorum regem fuisse, cui successerint Abraham, Moyses et Israël, qui ultimus, praedecessoribus celebrior, monarchiam suam in decem regna inter decem suos filios diviserit; Mosen ait natum esse ex Iosepho filio natu minimo Israëlis, etc. Quis non videt Iustinum in singulis, quae hic refert, a vero aberrare?

Ex hisce liquet Taciti et Iustini, quindecim saltem saeculis a Moyse remotorum, gratuitam falsamque adsertionem nullo prorsus niti fundamento. Hinc

ad 3um patet responsio. Quis caeterum crederet, fontem, gregi asinorum agrestium notum, ignotum fuisse vicies centenis fere iudaeorum millibus, prae extrema siti tumultuantium, et ubique anxie aquas inquirentium? An nullus iudaeorum vidisset, aquam iam ibi adesse antequam Moyses rupem sua virga percuteret? Quomodo Moyses hanc fraudem occultare potuisset? Notum est, Tacitum in referenda antiqua iudaeorum historia fere semper aberrare: « Ea quae de iudaeis scripsit » Tacitus, ait cl. Hoocke, omnium » iudicio multum minuunt illius au- » ctoritatem. Haud pauca de iudaeo- » rum origine et institutis habet, sed » in omnibus ferme supinam prodit » ignorantiam, illique nescio quo fa- » to contigit nihil vix referre, quod » non distet a veritate (1).

§ XXII. De Praeadamitis.

116. *Obi.* Iuxta Moysen (Gen. c. I et c. II), 1° aiunt naturalistae, Adam fuit primus homo, a quo ante diluvium omne genus hominum descendit, quod 2° iuxta ipsum post diluvium propagatum fuit a filiis Noë. Iam vero hac in re Moyses sibi ipsi non constat; nam

1° Genesis IV, 2 scribit Cainum, primum Adami filium, fuisse agricolam, et Abelem, alterum Adami filium pastorem ovium. Haec autem ponunt iam ante Adamum alios extitisse homines, qui instrumenta agriculturae confecerant, et ab aliquorum rapacitate greges custodiendos fuisse.

2° Gen. IV, 7 Deus invido Caino: « Nonne, ait, si bene egeris reci- » pies: sin autem male, statim in » *foribus* peccatum aderit?» Haec vero evincunt, alios tum extitisse homines, cum vox *fores* significet *portas civitatum*, ad quas in oriente iudicia peragebantur.

3° Gen. IV, 12 Cainus, occiso fratre Abele: « Omnis, inquit, qui » invenerit me, occidet me.» Debebant igitur alii existere homines, a quibus Cainus sibi necem timebat.

4° Gen. IV, 17 Moyses scribit: » Cognovit Cain uxorem suam, quae » concepit et peperit Henoch: et ae- » dificavit civitatem, vocavitque no- » men eius ex nomine filii sui He- » noch.» Unde provenisset ista Caini uxor, si ante Adamum homines non extitissent? Nullae mulieres usque ad citatum textum praeter Hevam in Genesi occurrunt? Unde profecti essent isti homines, qui aedificatam a Caino civitatem Henoch incoluerunt, nisi ante Adamum homines fuissent?

5° Americani a Noachi filiis descendere haud possunt, cum America ab Asia, et aliis mundi partibus immensis maribus seiuncta sit, et posteri Noachi navibus ad traiicienda tanta aequora carerent.

Hinc Augustinus antipodes esse negavit (de Civit. Dei, l. 16, c. 9), et Bonifacius, archiepiscopus moguntinus legatusque Zachariae papae, saeculo octavo Vigilium seu Virgilium episcopum, antipodum existentiam defendentem, haereticum de-

(1) Hoocke: Principia relig. nat. et rev. t. 2

claravit, ut Aventinus in annalibus Bavariae refert.

6° Homines albi et nigri profecto a Noachi filiis, seu ab uno stipite non proficiscuntur. Hinc genus humanum post diluvium a solis Noë filiis propagatum non fuit. Id ceterum diversa variorum populorum indoles, ac vivendi ratio innuunt.

117. *Resp.* Homines extitisse ante Adamum, qui praeadamitae vocitati sunt, tradiderunt primitus gentiles, qui per vetustissimas, ineptas, sibique contradictorias chronologias mundi originem ad innumerabilia fere saecula referebant (conf. n. 118). Incredibile dictu est, quantopere haec doctrina de praeadamitarum existentia placeat hodiernis naturalistis.

Ioannes Brunus philosophus Aristotelicus, docuit solos hebraeos ab Adamo et Heva originem ducere, reliquos vero populos descendere a duobus aliis hominibus a Deo antea creatis. Romae anno 1600 in rogum coniectus fuit.

Isaacus Peyrerius, Burdigalae in Galliis e calvinistis parentibus anno 1594 natus, expensis per 20 annos, ut ipse refert, capitibus IV Geneseos, et V epistolae ad Romanos, praeadamitarum existentiam pariter propugnavit anno 1655 conscripto libro, qui complectitur *Exercitationem super versibus 12, 13 et 14 cap. V Ep. ad Rom. ac Systema theologicum ex hypothesi praeadamitarum exornatum.* Liber hic varias in linguas versus fuisse dicitur. Hanc autem opinionem, scripturae sacrae contrariam, viri gravissimi mox refutarunt, et Peyrerius anno 1658 Bruxellis in carcerem coniectus, Calvini sectam eiuravit, librum suum in deprecatione ad Alexandrum VII damnavit, ac catholicam religionem amplexus est, in qua anno 82 aetatis obiit anno 1676 (1).

Origenes docuerat peccatum in homine esse in statu inertiae, usque ad usum illius rationis, atque ita non imputari infantibus ea, quae usum rationis adeptis imputantur. Ex hac Origenis doctrina Peyrerius suum errorem deduxisse videtur. Admittebat plurium annorum spatium, quo totum genus humanum usque ad Adamum, cui usus rationis et lex naturae primum data essent, quasi in infantia fuisset. Male intellectis versibus 12, 13 et 14 *cap. V Ep. ad Rom.*, adserebat homines Adamo praeexistentes, notionibus supernaturalibus de Deo et lege naturae destitutos, vixisse in statu pure naturali, statui animalium simili; atque ita peccata illis non fuisse imputata (2*). Hisce praemissis ad naturalistarum difficultates

(1) Consule cl. Nicéron: Mémoires, t. 12.

(2) Praeadamitae, seu exercitatio sup. v. 12, 13 et 14, cap. V Ep. ad Rom. 1655.

* Versus citatos ex cap. V Ep. ad Rom. paradoxae Peirerii opinioni minime favere, ex brevi eorum expositione patebit.

V. 12 Ait s. Paulus: « Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et » per peccatum mors, et ita in omnes homines » mors pertransiit in quo omnes peccaverunt.»

Comparat ibi D. Paulus Adamum cum Christo ex oppositis, eo quod Adamus per suum peccatum omne genus humanum miseriis immerserat, Christus vero per suam mortem illud inde eduxerat. Sensus autem est: « Quemadmodum per » unum hominem (Adamum) ob eius primum » peccatum, reatus culpae toti generi humano » communicatus est, et per reatum culpae mors, » seu reatus poenae: ita omnes homines reatus » poenae rei facti sunt in uno homine (Adamo) » in quo omnes homines reatum culpae contra» xerant.»

V. 13. « Usque ad legem enim peccatum erat » in mundo: peccatum autem non imputabatur, » cum lex non esset.»

Probat hic s. Paulus versum duodecimum, quod omnes homines in Adamo, et per Adamum rei facti sunt. Sensus est: « Nam ab Adamo u» sque ad legem Moysis homines, peccati Ada» mitici reatu infecti, in varium peccatum lapsi » sunt; peccatum autem lege positiva scripta » non prohibitum, licet in se malum, non im» putabatur lege aliqua ad mortem. »

V. 14. « Sed regnavit mors ab Adamo usque » ad Moysen, etiam in eos qui non peccaverunt » in similitudinem praevaricationis Adae. »

S. Paulus hic rationem adfert, cur ab Adamo omnes homines mortui sint. Sensus est: « Licet » peccata non imputarentur ad mortem, cum

1° Agricultura primorum hominum non requirebat apparatum instrumentorum. Simplex profecto ea fuit. Instrumenta agriculturae propria successive hominum variorum industria inventa sunt.

Greges Abelis non custodiebantur a furibus, sed a feris, et ne dissiparentur.

2° Vox *fores* (Gen. IV, 7) non indicat *portas* civitatum, sed *faciem*; textus enim hebraeus habet: «Non» ne si bene feceris elevare? et si » non bene feceris ad ostium pec» catum cubans?» Hinc sensus ex contextu est; «Nonne si bene fece» ris erecto capite incedes? si vero » male egeris in facie tua manife» stabitur peccatum?»

3° Cain mortem timebat a fratribus et nepotibus suis. Intra 130 annos, quibus Adam tunc vixerat (Gen. V, 3), homines profecto multiplicati fuerant.

4° Uxor Caini, quae (Gen. IV, 17) occurrit, fuit ipsa Caini soror. Coniugia fratrum ac sororum ab initio mundi ad propagationem humani generis necessaria fuisse per se patet. Moyses haud alias profecto mulieres praeter Hevam usque ad illum textum numerat; sed solet Moyses eas praeterire silentio, nisi quid singulare praeseferant. Capite V, 4, ipsa nomina filiorum ac filiarum Adami haud recenset, et simpliciter dicit: « Adam genuit filios et filias. » — Civitas Henoch, quam Cain aedificavit, profecto nostris civitatibus similis non fuit. Constitit ex tuguriis, quae fossis circumdedit; homines vero ex Adamo, eius filiis ac nepotibus 130 annis nati (hoc enim tempore a creatione mundi haec tuguria fossis circumdata videntur), ipsa inhabitare poterant.

5° Americam olim reliquae continenti fuisse unitam a multis adseritur; quare Noë posteri sine navibus illuc pervenire potuerunt. Ceterum ars construendi naves Noë posteris haud incognita fuit, cum arca, in qua reliquiae generis humani servatae fuerant, ante diluvium a Noë constructa, post illud adhuc extaret. Licet autem primi Noë posteri magnis navibus carerent, phaselis profecto non destituebantur; quare etiam sive casu, sive tempestatibus acti, in Americam adpellere, et ibi, utpote in regione optima, suas sedes figere potuerunt.

Tandem Asiam adhaerere Europae et prope mare Rubrum Africae, notum est; illam vero adhucdum per continuam continentem cohaerere Americae ad extremitatem Kamtschatka, anno 1738 detexisse dicitur Gullielmus Georgius Stoller academiae scientiarum Petropoli professor.

Porro licet America anno 1492 a Christophoro Colombo genuensi recognita, et dein anno 1499 ab Americo Vespuccio florentino denuo detecta fuerit; antiquis tamen haud incognita, sed illius memoria dumtaxat deperdita fuisse videtur: Plato enim loquitur de magna continente ultra oceanum Atlanticum sita, quam insulam Atlantidem adpellat. Manilius (1 Astron.) mentionem facit de continente ad occidentem Europae et Africae collocata, a nostra continente mari separata, et cuius populi sunt antipodes comparate ad continentem notam.

Aristoteles (de Mirab.) narrat maximam insulam ultra fretum Her-

» lege positiva scripta sub tali poena non pro» hiberentur, omnes tamen homines ab Adamo » usque ad legem Moysis mortui sunt, etiam illi » qui non violaverant mandatum sub mortis » poena positive obligans, prout obligarat illud » Adamo datum. »

Paulus proinde vult dicere: Cum etiam mortui sint homines, qui personalibus peccatis mortem non meruerant, oportet illos reos fuisse mortis in Adami peccato, quod mortem meruerat

sulis (stretto di Gibilterra) ab urbe Gadibus (Cadice) longis itineribus distantem, carthaginensibus fuisse notam, magistratus vero suis concivibus, qui in eam ob divitias commigrare solebant, sub capitis poena commigrationem in hanc insulam prohibuisse. Diodorus siculus refert (l. 5), phoenices quosdam ab insula vastissima reduces, amoenam eius fertilitatem maximopere commendasse, tyrrhenos ideo colonos illuc mittere statuisse, ipsos autem a carthaginensibus ab hoc proposito impeditos fuisse, ut hi ipsi illuc commigrare valerent, si quando ex Africa pellerentur.

Quod spectat ad antipodes, philosophi antiqui aeque ac patres eorum existentiam ignorarunt. Sed num notiones cosmographicae patribus necessariae erant ad quaestiones fidei tractandas? S. Augustinus reiecit antipodes, qui ortum ab Adamo non ducerent.

Excommunicationem Vigilii equidem narrat Aventinus, fabulis et dicteriis in catholicos notissimus. Sed hoc factum minime probatum est. Solum monumentum, quod de eo extat, est fragmentum epistolae Zachariae papae ad Bonifacium, in quo Zacharias dicit: Si probatum est Vigilium defendere quod extet alius mundus, et alii homines sub hac terra, alter sol, et altera luna, congrega concilium, pelle Vigilium ex ecclesia, postquam illum a sacerdotio deposueris.

Nullum autem habetur monumentum, hoc pontificis iussum executioni mandatum fuisse, sive quod accusatio adversus Vigilium falsa habita sit, sive quod Vigilius sententiam suam retractaverit. Vigilius episcopus salisburgensis factus, post mortem sanctorum albo adscriptus fuit (1).

(1) Vide: Mémoires de Trévoux. Ianvier, 1708.

6° Hic error diu dissipatus fuit; constat enim, variam coeli aërisque temperiem, aestus vehementiam, variam vivendi rationem, etc., colorem hominum, imo et formam corporum immutare. Experientia constat, homines nigros post quatuor circiter generationes in frigidis septentrionis provinciis fieri albos, et homines albos post totidem generationes in calidis zonae torridae climatibus fieri nigros. Hoc probarunt lusitani in Aethiopia nigri facti.

Americani temperatarum et montosarum occidentalium regionum non sunt coloris adeo aenei, quam illi, qui incolunt regiones ventis et temperaturae vicissitudinibus magis obnoxias.

Incolae plagarum septentrionalium Senegalliae sunt parvi, et coloris cineracei; qui vero oras oppositas inhabitant, sunt proceri ac robusti. Immo nostris in climatibus populus multum sud dio ac ardentibus solis radiis laborans, colorem fuscum lusitanorum induit.

Diversa autem indoles et vivendi ratio, a diversa structura corporis, et ab educatione dependent (2).

§ XXIII. De chronologia Moysis.

118. *Obi.* Iuxta deistas chronologia mosaica omnino falsa est; nam aiunt: 1° Iuxta Moysen mundus dumtaxat a 6000 circiter annis perdurat, quod scriptoribus antiquis prorsus adversatur; Diodorus siculus enim testatur chaldaeos suo tempore 472000 annorum numerasse, et Manethon aegyptios a 36865 annis stetisse tradit. Phoenices pariter et sinenses pluribus annorum millibus antiquiores sunt quam Moysis chronologia indicat.

2° In expeditione aegyptiaca a gallis duce Napoleone anno 1798

(2) Vide Willich: Hygiène, t. II, p. 460, Paris, 1805.

suscepta, inventi sunt duo zodiaci, unus in templo Henne a cel. Dessaix, et alter in magno templo Dendera. Zodiaci autem isti probant aegyptios iam astronomiae vacasse, antequam iuxta Moysen mundus existeret. In praefatis vero templis notatae erant 375 eclipses solares, et 832 lunares. Tot eclipses nonnisi 48,000 circiter annorum spatio contingere potuerunt.

3º Variae petrificationes, fossilia, etc., quae in sinu terrae ac in montibus reperiuntur, probant iuxta D. de Buffon mundum 6000 annorum antiquiorem esse.

Resp. Quid Diodorus siculus et Manethon de antiquitate istorum populorum scire potuerunt, cum primus 15, et alter 13 saeculo post Moysen vixerint (n. 99)? Notum est veteres chaldaeos, aegyptios, phoenices, sinenses, etc., suam antiquitatem certatim exaggerasse, existimantes sibi eo maiorem deberi honorem, seque eo magis aliis populis praecellere, quo remotiorem haberent originem. Hinc chronologica eorum mendacia Plato et Aristoteles ut ineptias deriserunt.

Historia autem profana cum Moyse plene concordat, probatque, citatos populos antiquiores haud esse quam Moyses indicaverit. Moyses enim scribit chaldaeos a Chased filio Nachor ortum ducere, et historia profana testatur illos ab orientalibus adhuc adpellari *Chasdim*, quod nomen eorum originem sat probat.

Aegyptios ait Moyses prognatos a Cham eiusque filio Mezraim, et Plutarchus testatur Aegyptum Chamiam nuncupatum fuisse. Syri vero et arabes hanc regionem adhuc *Mezraim* vocant.

Chananaei, seu phoenices, qui iuxta Moysen originem suam trahunt a Chanaan, altero filio Cham, suo nomine Moysis veritatem sat comprobant.

Sinenses iuxta orientales originem ducunt a Sin, filio Iaphet: quapropter arabes sinensium regionem adhuc *Sin* nuncupant, persae vero, aliique Orientis populi *Tchin* (1).

Perspicacitatis causa adhuc observabimus:

— De chaldaeis Cicero aiebat: « Chaldaei quadraginta septuaginta » millia annorum monumentis se ha» bere delirant, in quo quia se non » posse argui putabant, liberum si» bi crediderunt mentiri (2)».

Cum Aristoteles Chaldaeorum observationes astronomicas a Callisthene (n. 95) obtinuisset, repertum est eas spatium non excedere 1903 annorum. Aristoteles vero eas ne suo quidem operi de coelo inseruit.

Monarchia autem chaldaeorum, seu assyriorum vel babyloniorum, est prima monarchia mundi, a Nemrodo condita: « Principium regni » (Nemrodi) Babylon, » ait Moyses (Gen. X, 10).

— De aegyptiis scribit Diodorus Siculus (lib. 1) se in illorum historiis nihil fide dignum invenire ante bellum troianum, id est 29 circiter saeculis post orbem conditum. Herodotus vero ait (lib. 2), in historiis aegyptiorum nihil certi occurrere ante Psammeticum qui septimo circiter saeculo ante Christum in Aegypto regnavit, adeoque trigesimo secundo fere saeculo post orbem conditum.

Ut pateat quam fabulosa sit aegyptiorum chronologia, observasse sat erit Herodotum scribere, sacerdotes thebanos in Aegypto monarchiam aegyptiacam ad 11,340 annos producere. Alii vero scriptores a primo rege Aegypti usque ad regem Sethon, qui regnavit septimo ante Christum saeculo, numerabant 341 reges, 341

(1) Bibliothèque Orientale.

(2) Cicero l. 1. de Divin.

generationes, et 341 pontifices, cuius rei falsitas ex ipsa unius eiusdemque numeri repetitione patet.

Manethon, sacerdos aegyptius, qui tertio circiter ante Christum saeculo vixit, scribit Aegyptum primitus a diis et semi-diis gubernatam fuisse, Vulcanumque primum eorum regem, 1000 annis regnasse. Diis successerunt, iuxta ipsum, 31 dynastiae, quarum singularum reges nominat, eosque alios post alios in totam Aegyptum spatio plusquam 5000 annorum regnasse perhibet.

Interim Aegyptus iam monarchia fuit tempore Abrahami (Gen. XII, 15), id est vigesimo primo saeculo ob orbe condito.

— De phoenicibus ait Herodotus (lib. 2, c. 44), se conspexisse Tyri antiquissimum templum Herculis, quod sacerdotes una cum urbem extructum dicebant quarto circiter saeculo ante epocham diluvii. Verum illo aevo Tyrus nondum existebat. Fl. Iosephus scribit Tyrum aedificatam fuisset 240 circiter anno post mortem Moysis.

Quae Herodotus, aliique antiqui scriptores profani de remotis temporibus referunt, fabulis omnis generis permixta sunt. Hinc Strabo: « Facilius, inquit, Hesiodo et Homero aliquis fidem adhibuerit, quam Ctesiae, Herodoto, et eorum similibus. »

— De sinensibus. Omnes fere asiatici et europaei historici imperii sinensium fundatorem statuunt imperatorem Fohy, qui decimo circiter saeculo ante Christum floruit. Annales sinenses autem referunt eum regnasse anno 3000 ante nostram aeram vulgarem, et 600 fere ante epocham scripturae sacrae de diluvio. Nonnulli scriptores sinenses 30,000 annorum effluxisse delirant ab existentia sinensium usque ad imp. Fohy (1).

Ast in sinensium Kang-mo, seu magnis fastis, expresse dicitur, nihil certi haberi circa ea sinensium gesta, quae 200 vel 300 anno ante nostram aeram vulgarem contigerunt. Ratio est quod sinicus imperator Chi-hoangti, memoriam suorum praedecessorum, eorumque gestorum destructurus, sibique nomen immortale stolide comparaturus, 230 vel 250 anno ante nostram aeram omnes bibliothecas sui imperii sub capitis poena comburi iussit, libris medicinae, architecturae et iurisprudentiae exceptis. Anno circiter 160 dumtaxat ante Christum alius sinensium imperator facultatem concessit res gestas sinensium, quae traditione orali conservatae erant, conscribendi. Quare mirum non est in annalibus a stupidis sinensibus, qui tempore adventus iesuitarum nequidem calendarium habebant, ita confectis, narrari, monarchiam sinicam a pluribus annorum millibus existere, imperatorem Fohy corpus serpentis, caput vero humanum habuisse, matrem imperatoris Hoamti nonnisi post 24 menses graviditatis peperisse (2), etc.

2° Zodiaci citati tam antiqui non sunt, cum contineant signum librae antiquis aegyptiis ignotum, et a graecis alexandrinis primum inventum. Eclipses in templis istis notatae iuxta astronomiam 12 saeculis contingere potuissent. Verum templa illa sat recentia erant; ex eorum enim constructione et inscriptione patet, ea tempore Tiberii imperatoris confecta fuisse. Quare fabulosae aegyptiorum observationes astronomicae illic pro libito notatae fuerunt (3).

(1) Vide Marcy: Histoire moderne.

(2) Lege Nat. Alex. hist. eccl. t. 1, dis. 8. Veith.: Script. s. contra incredulos propugnata, t. 1. Nonnotte: Dict. philos., l. 1, art Chinois.

(3) V. le spectateur franç., année 8 et dissertat. cl. Testa

3° Ingens violentia aquarum diluvii facile conchilia et varia corpora marina terrae ac montibus insinuavit. Quatuor autem annorum millia, a diluvio elapsa suffecerunt profecto variis istis petrificationibus efformandis.

Existimarat D. de Buffon (1), cometam abhinc 75,000 anno in solem impingendo, massae solaris aliquas partes amovisse, quibus impetus cometae motum circularem circa solem dedisset, has partes diu incandescentes fuisse, postea planetas nobis notos effecisse, partem, quae constituisset tellurem, fluidam fuisse, tempore 25,000 annorum frigidam evasisse, et coopertam fuisse aquis atmosphaerae, quae maria constituissent, has vero aquas efformasse valles, unde orti et montes. Terram autem putabat semper magis magisque frigidam fieri, et intra 93,000 annorum fore inhabitabilem. Probationes huius imaginarii systematis se in constructione interiori telluris ac montium reperisse arbitrabatur. Censuras facultatis sorbonicae nonnisi datis declarationibus effugit (2).

Verum si tellus tam antiqua esset, quam D. de Buffon id sibi imaginatus est, an montes, qui continuo atteruntur, dudum non disparuissent? An scientiae ac artes, abhinc aliquibus saeculis tam rudes ac imperfectae fuissent? An inter graecos primus aliquantulum celeber philosophus Pythagoras, primus astronomus Thales, primique poëtae Hesiodus et Homerus fuissent?

§ XXIV. De longaeva patriarcharum aetate et epocha eorum paternitatis.

119. *Obi.* Moyses scribit, aiunt naturalistae, Adamum annis 930, Mathusalem 969, multosque alios patriarchas pluribus saeculis vixisse. Hoc autem est physice impossibile, cum 1° elementa, causaeque corpori humano intimae in corpus continuo agant, illud debilitent, ac citius destruant. 2° Iuxta Moysen plerique patriarchae ante 100 aetatis annum non genuerunt liberos, quod est absonum.

Resp. 1° Physicae repugnare ut homo pluribus saeculis vivat, nemo probabit. Non solum Moyses scribit primos homines pluribus saeculis vixisse, sed etiam Manethon aegyptius et Berosus chaldaeus, immo id scriptores graeci in suis mythologiis pro certo ponunt. Quo mitiora sunt elementa naturae, eo minus corpori nocent, et eo pauciores existunt causae morborum: totum autem systema naturae ante universalem diluvii perturbationem mitius fuisse, facile colliget quicumque mutationes, quas tanta aquarum inundatio eiusque causae producere debuerunt, perpenderit: quare mirum non est, homines ante diluvium diutius vixisse, quam post ipsum. A Noë aetas hominum pluribus saeculis iam decrescit, et Sem, Noë filius, iam tribus saeculis cum dimidio minus quam eius pater vixit. Posterioribus vero temporibus hominum vitam semper magis magisque decrescere videmus, et patriarcha Iacob nonnisi 147 annis vitam egit (3).

Altera causa, cui contractio aetatis humanae aeque ac diluvii mutationes attribuendae, est licentior vivendi ratio, seu morum corruptio, et delicatior enutritio. Iam ante diluvium mores humani generis corruptos fuisse, Moyses (Gen. VI) scribit. Nemo autem ignorat quantopere libidinosi mores homines debilitent, vitamque abbrevient. Ex hominibus in libidinem effusis de-

(1) Hist. nat. 1740.
(2) Vide Mémoires pour servir à l'hist. ecclés. du 18 siecle, tom. I, ann. 1751; Paris 1806.

(3) Vide tabulam chronologicam ad fin. Hermeneuticae.

bilis necessario nascitur proles; ex quo liquet homines quo magis suos mores corrumpebant, eo minus diu vivere debuisse, atque ita genus humanum sensim eam aetatem attingere non debuisse, quam primi patriarchae, in libidinem minime effusi, attingebant.

Quantopere simplex nutritio, a cibis potibusque calefacientibus, aeconomiamque animalem sensim debilitantibus aliena, in robustam corporis constitutionem influat, liquet non dumtaxat e robustis patriarchis, pane, leguminibus, fructibus, lacte, aqua, etc. utentibus, sed et ex historia veterum romanorum, gallorum, germanorum, etc., modo simplici se nutrientium. Quantarum virium homines isti antiqui fuerint, patet inter alia ex illorum armis bellicis, in armamentariis adhuc extantibus, quae tantae sunt magnitudinis ac ponderis, ut robustissimi milites iis hodie in bello minime uti possent.

Hodieque in regionibus septentrionalibus Europae, quo tanta morum depravatio, delicatiorque vivendi norma nondum penetrarunt, reperiuntur homines robustissimi, qui longam adipiscuntur aetatem, quam molliores populi aliarum regionum minime attingunt: sic in Russia hoc anno 1817 plures mortui sunt, quorum alii 110, alii 120 et alii 130 aetatis annum superarant.

Horum immemores recentiores nonnulli 100 annos, a Moyse in vitis patriarcharum recensitos, in 10 annos, alii annos mosaicos in hyemes et aetates seu semi annos, alii in quadrantes anni, et alii in menses redigere conati sunt.

Verum Moyses omnes refutat in sua historia diluvii, in qua commemorat (Gen. c. VII et VIII), secundum, septimum et decimum mensem eiusdem anni, ac diem vigesimum septimum mensis septimi. Caeterum cum Nachor 29, et Henoch 65 aetatis anno a Moyse genuisse dicantur, defensores annorum unius mensis dicere debent, primum 3, et alterum 6 aetatis anno generasse, quod est absurdum.

2° Usque ad Noë quinque patriarchae 100 circiter aetatis anno generasse leguntur (1). Si ante hanc aetatem patriarchae generatim nullos liberos procreassent, dicendum foret, illo aevo eo longiorem fuisse iuventutem, quo longior erat senectus. Verum cum Enos, Cainan, Malaleel, Henoch, Arphaxad, Sale, Nachor, etc., ante 100 aetatis annum genuerint (2), dicendum est patriarchas nonnullos serius generasse ob causas ipsis peculiares, prout nostro aevo, ubi vita brevior, adhuc nonnulli aetate provecti tantummodo gignunt; aut Moysen omisisse liberos anteriores istorum patriarcharum, eo quod ad successionem patriarcharum non faciebant, quod est verisimilius: « Non hic, ait s. Augustinus, primogeniti filii memorati sunt, sed quos successionis ordo (patriarcharum) poscebat, ut perveniretur ad Noë, a quo rursus ad Abrahamum videmus esse perventum (3).

§ XXV. De fundatione regnorum et de Palaestina.

120. *Obi.* Moyses scribit, aiunt deistae (Gen. X, 25), in diebus phaleg 100 circiter anno post diluvium nati, *divisam esse terram* id est fundamenta variorum regnorum, ut assyriorum, aegyptiorum, etc., iacta esse. Sed tam exiguo post diluvium tempore tot homines existere non poterant, ad varia illa regna inchoanda.

(1) Vide tabulam chronologicam ad fin. Hermeneuticae (2) Ibidem.

(3) August. De civit. Dei, l. 15, c. 15.

2° Moyses (Deut. XI, 8-12) de Palaestina ut de regione fertilissima loquitur; constat vero istam regionem omnino sterilem esse.

Resp. Moyses simpliciter scribit, quod Heber filium suum Phaleg seu *divisionem* vocaverit, eo quod eius tempore Noë posteri post confusionem babelicam in varias terrae plagas dispersi sunt. Non vero narrat, hosce Noë posteros iam tum magna regna constituisse. Ad exiguas nationes in variis terrae plagis efformandas, quae postea varia regna effecerunt, tot homines profecto non requirebantur.

Ast calculo inito plures reperiuntur, quam necessarii erant. Ponamus enim duos filios Noë 20 anno post diluvium 20 filios habuisse, hosque et eorum posteros singulos a 20 aetatis anno per 10 solummodo annos quotannis unicum progenuisse filium; 100 anno post diluvium extitissent plusquam 200,000 hominum. Neque haec hypothesis modum excedit: nam non attendit ad multorum polygamiam, neque ad Noëmum et tertium eius filium, omnesque eorum posteros in defunctorum vicem supponendos.

2° Moyses utique de Chanaan, seu Palaestina, ut de regione fertilissima loquitur; verum non solum ille, sed et alii scriptores sacri et profani fertilitatem illius regionis testantur, ut David, Salomon, Ieremias, Hecataeus Abderita, Fl. Iosephus, Tacitus, Plinius, etc.; et nemo nisi in historia plane rudis fertilitatem, amoenitatemque antiquam Palaestinae ignorare potest. Male argumentatur, qui a statu praesenti istius regionis ad pristinum eius statum concludit. Palaestina hodie equidem fere est sterilis, sed notae sunt causae istius immutationis: ista enim regio posterioribus temporibus pluries devastata fuit, ut a babyloniis, aegyptiis, syris, romanis, saracenis et arabibus, eiusque cultura tum tempore frequentium captivitatum iudaeorum, tum tandem post eorum universalem dispersionem fere neglecta fuit.

§ XXVI. De gigantibus.

121. *Obi.* Moyses, aiunt naturalistae (Gen. VI, 1-5), scribit, gigantes e concubitu angelorum cum mulieribus natos esse, atque de illis variis in locis, ut Num. (XIII, 23-24) loquitur. Gigantes autem e mythologia originem accipiunt.

Resp. Primos homines maioris staturae fuisse, quam remotos eorum posteros, omnino verisimile est, cum robusta eorum constitutio physica molli vita nondum infirmata esset. Ex eorum vero connubiis aequalis fere staturae homines, et quandoque maioris exortos esse naturale prorsus est: quare mirum non est antiquo illo aevo ex connubiis inter huiusmodi proceros homines initis prodiisse quandoque homines plurium pedum altitudinis, qui *gigantes* dicti sunt.

Qui gigantum existentiam inficiatur, non dumtaxat scripturae sacrae sed et historiae profanae fidem abneget necesse est; nam quamplurimi scriptores antiqui de gigantibus loquuntur, multique testantur, se eorum reliquias conspexisse.

Moyses (Deut. III, 11) scribit, lectum ferreum Og, regis in Basan, 9 cubitos, seu 13 1|2 fere pedes longitudinis, et 4 cubitos seu 6 ferme pedes latitudinis, suo tempore adhuc extitisse. I Reg. XVII, 4, legitur Goliath, qui tempore Davidis vixit, 6 cubitis cum palmo, seu 10 circiter pedibus altum fuisse. Extitisse vero alios homines eiusdem fere altitudinis in dubium non revocabit, quicumque fidem historicam pernegare noluerit.

Esto quandoque ossa calvariaque elephantum, rhinocerotum, ac aliorum animalium pro ossibus et calvariis humanis habita fuisse, et magnitudinem corporum humanorum sub terra detectorum exaggeratam fuisse. Concedimus ultro, cadaver gigantis Antis, quod Sertorius, teste Plutarcho (1), invenit, 60 cubitorum proceritatem non habuisse; neque 46 corpus, quod occasione terrae motus in monte insulae Cretae inventum est, ut Plinius narrat (2); neque 33 cadaver, quod, teste Solino, Metellus et Lucius Flaccus inspexerunt; neque ossa cum inscriptione Theuthobochi, regis teutonum, inventa, 20 pedes praelonga, et forte alterius fuisse (3); dentem, quem s. Augustinus Uticae se vidisse scribit (4), 100 dentes humanos non adaequasse, aut ingentis animalis fuisse; nemo tamen sanae mentis haec cadavera, etc., procerorum omnino hominum fuisse, inficias ibit. Florus de Theuthobocho testatur, illum in triumpho ductum, supra trophaea ac signa romana valde eminuisse. Plinius narrat (5), Nevium Pollionem maximae staturae homines pede integro superasse. Idem Plinius scribit (6) sub imperio Claudii Romae fuisse quemdam Gabbarim, qui 9 pedes et 9 pollices aequabat, atque anno 1719 prope Salisburum in Anglia repertum fuit cadaver 9 pedum et 4 pollicum longitudinis (7).

Hodie quidem pauci homines extraordinariae omnino staturae deprehenduntur, sed tamen hinc inde videntur, et in America meridionali adhuc gigantes, seu homines procerae magnitudinis deprehenduntur, quos galli *Géants patagons* nuncupant (8).

Quod spectat ad Gen. VI, 1-5 vox hebraica *Nephilim* necessario non significat *gigantes,* cum pariter significet *latrones, depraedatores.* Hinc plurimi interpretes, recentiores potissimum, illam (Gen. VI, 4) per *depraedatores* vertunt, ita ut sensus sit, ex connubiis hominum sethitarum et mulierum cainitarum natos esse homines feroces, violentos, depraedatores, qui per fas nefasque se aliorum dominos seu tyrannos constituerunt. Sensus iste indicatur loco citato, ubi Moyses dicit istos tyrannos esse *potentes a saeculo, viros famosos,* antiqui nempe illius aevi *heroas.* Hinc etiam vocem *Nephilim* verterunt Aquila per ἐμπίπτοντες, *irruentes,* et Symmachus per βιαίους, *violentos.*

A veritate autem alienissimum est, tyrannos istos seu heroas, iuxta Moysen natos esse ex concubitu angelorum cum mulieribus. Vulgata habet (Gen. VI, 2): « Videntes filii Dei filias hominum, » quod essent pulcrae, acceperunt » sibi uxores ex omnibus, quas elegerant, etc. » *Filii Dei* profecto non indicant angelos, sed sethitas, homines Deum verentes, et *Filiae hominum* significant cainitas mulieres omnino sensuales et corruptas.

Nonnulla exemplaria antiqua LXX interpretum vocem hebraicam *Elohim,* quae *Deum, angelos* et *principes* significare potest *, per *angelos* reddebant, habebantque loco *Filii Dei,* etc., Ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ, *Angeli Dei,*

(1) Plutarchus in vita Sertorii.
(2) Plinius: Hist. nat., lib. 7, cap. 16.
(3) Vide Habicot Gigantologie.
(4) Aug. de civ. Dei. l. 15, c. 9.
(5) Loc. cit. Vide Columel. de re rustica, c. 8.
(6) Loc. cit. Vide Solinum, Columellam et Tacitum.
(7) Gazette d'Oct. 1719, 21 sept. art. Londres.

(8) Vide l'Abbé Prevôt: Histoire des voyages, t. 17.

* Nonnulli recentiores interpretes textum Gen. » VI, 4, ita exponunt: « Filii magnatum videntes » quod pulcrae essent mulieres plebeiae, sumpserunt eas, quae illis praeplacuerant. Ex hoc » concubitu orti sunt depredatores, qui suis gestis se celebres reddiderunt. »

etc. Quare propter illa, et apocryphum librum Henoch, nonnulli patres antiqui, angelis tenuia corpora tribuentes, in opinionem abierunt, angelos pulcritudine mulierum captos cum eis stupri habuisse consuetudinem, ac propterea lapsos in peccatum, e coelo eiectos fuisse. Ita opinati sunt Iustinus (Apol. 1), Athenagoras (Legat. pro Christo), Minutius Felix (in Octavio), Clemens Alex. (Paedag. l. 2), Tertullianus (De Idolol. c. 9), Lactantius (l. 2, c. 14), et Cyprianus (De Discipl. et Hab. Virg.), pariter concubitum angelorum cum mulieribus locum habuisse arbitrati sunt.

Hinc plures protestantes ipsum consensum patrum quoad traditionem impugnant (1): verum 1° ab illis petimus, ubi sit ille consensus patrum de illa absona opinione saeculo quarto iam emortua, quem catholici ad infallibilitatem ss. patrum requirunt? 2° Catholici in patribus probe distinguunt opiniones a doctrina. Nullus catholicus patres in privatis opinionibus infallibiles dixit.

§ XXVII. De diluvio.

122. *Obi.* D. de Voltaire ait, diluvium esse mysterium fidei, cui ratio non credit (2). Alii deistae dicunt:

1° Omnem fidem superare quod tanta in universo aquarum copia fuerit, ad totum globum usque ad altitudinem 15 cubitorum supra altissimos montes cooperiendum. Mare, inquiunt, aestimatione media eius profunditatis facta, plus quam 1000 pedes profunditatis non habet; super terram autem sunt montes, qui 10,000 pedum altiores sunt. Decem proinde oceani requirerentur ad istos montes submergendos. Cum vero circumferentia globi augescit, eadem proportione qua aquae magis elevatae ponuntur, saltem vigesies plus aquae opus esset, quam extat in omnibus mundi maribus, ad globum usque ad dictam altitudinem aquis involvendum. Quadraginta vero diebus ac noctibus tanta aquarum copia ex atmosphaera decidere nequit, quanta requiritur ad supplendam immensam quantitatem, quae desideratur. Deus debuisset novas aquas creare, illasque postea annihilare. De hoc autem Moyses non loquitur, sed mentionem solummodo facit de pluvia et de aquis abyssi magnae seu oceani.

2° Animalia ex omnibus mundi partibus ad arcam convenire non potuerunt. Animali Ai aut Pigro 20,000 annorum necessaria fuissent ad terra ex America in Mesopotamiam perveniendum.

3° Tot animalia in arca contineri ac nutriri non potuerunt.

4° Homines et animalia in altitudine 15 cubitorum supra altissimos montes vivere nequiverunt; eo quod ibi aër est rarissimus.

5° Pluvia non potuit decidere ex altitudine 15 cubitorum supra celsissimos montes, eo quod vapores ibi gelu constringantur.

6° Columba oleam invenire nequivit in Armenia, eó quod ibi oleae haud crescant.

7° Animalia ex arca egressa in terra aquis devastata alimenta reperire non valuerunt.

8° Si diluvium universale contigit, cui bono fuit? Homines meliores non reddidit. Moyses scribit eos, simul ac post diluvium multiplicati sunt, fuisse idololatras, iniustos, in bella pronos etc. An non melius fuisset, si Deus sua omnipotentia pravas hominum propensiones mutasset, quam totum globum aquis submergere, et ordinem naturae turbare?

(1) Barbeyrac, traité de la morale des pères, c. 2, § 3. etc.

(2) Dict. philos., art. inondation.

9° Solum diluvium universale non potuit advehere tantam copiam conchyliorum, corporum ac monstrorum maritimorum, eam in profundo telluris sinu, summorumque montium verticibus collocare, atque in ipsa durissimarum rupium ac lapidum viscera insinuare. Haec explicari nequeunt nisi ponendo, mare per plura saecula ambo globi terrestris hemisphaeria vicibus cooperuisse.

Resp. Moyses nullibi scribit diluvium iuxta solitas naturae leges contigisse, immo diserte ait, ipsum expressa voluntate Dei immissum fuisse, proinde esse miraculum, quod sane difficile non fuit illi qui totum universum ex nihilo creavit. Nullum est factum in tota Genesi, cuius tempore Moysis certior memoria haberi debuerit; ac proinde Moyses ipsum confingere nequidem potuisset, etiamsi voluisset. Nullum est factum antiquum quod maioribus veritatis argumentis nitatur, quam istud; nam « Huius diluvii, ait Fl. Iosephus, et » arcae meminerunt omnes barba- » ricae historiae scriptores, et in his » Berosus Chaldaeus... Hieronymus » Aegyptius... et Manaseas Dama- » scenus (1). »

Idem Fl. Iosephus, Eusebius, Polyhistor, et Syncellus referunt iuxta Berosum et Abydenum assyriorum ac chaldaeorum de diluvio traditionem, quae cum Moysis historia perfecte convenit. Abydenus patriarcham, sub quo diluvium contigit, Xisuthrum vocat, quem dicit cum sua familia conservatum fuisse in arca, iussu Dei ad hoc exstructa. Abydenus mentionem facit volucrum ex arca emissarum, ad sciendum, num terra exsiccaretur, uti et de sacrificio a Noacho, seu Xisuthro, post egressum ex arca Numini oblato. Si Abydenus polytheismi ideas, adiunctaque fabulosa suae historiae haud admiscuisset, Moysis historiam exscripsisse diceretur.

In Armenia et regionibus finitimis constans perseveravit traditio de arca super montes Armeniae relicta.

Fides de diluvio universali pariter fuit apud antiquos aegyptios; cum enim Solon aliquos philosophos aegyptios de antiquitatibus aegyptiacis interrogasset, hi ei hanc responsionem dedere: « Post aliquot tem- » poris periodos diluvium, coelitus » immissum, terrae faciem mutat. » Genus humanum saepius variis » modis periit. En cur novum ge- » nus humanum careat monumen- » tis, temporisque praeterlapsi no- » titia (2). »

Eadem traditio apud antiquos syros extitit. In veteri templo Iunonis ostendebant cavernam profundam, per quam aquas diluvii effluxisse perhibebant.

Lucianus qui huiusmodi cavernam viderat, scribit, iuxta graecorum traditionem primum genus humanum diluvio periisse, et Deucalionem ab eo servatum fuisse in arca cum infantibus, et diversis animalium speciebus (3).

Historia sinensis mentionem facit celebris cuiusdam diluvii sub imperatore Yao (4).

In libris sacris indorum pariter refertur genus humanum diluvio periisse (5). Tandem omnes prisci populi, apud quos annales antiqui habentur, diluvium agnoverunt (6).

Iam vero quomodo omnes isti populi antiqui in diluvium consenserunt? Profecto non ob studium naturae et detectiones conchyliorum maritimorum in sinu terrae ac in

(1) Fl. Ioseph. Antiq., l. 1, c. 5.
(2) Vide Platonem in Timaeo. Consule et histoire véritable des temps fabuleux, t. 1.
(3) Lucian. de dea Syria.
(4) Chouking, p. 8-9.
(5) Ezour-Vedam, t. 2, p. 206.
(6) Vide Bailly: Hist. de l'astronomie ancienne. Eclaircis. l. 1, n. 13-14

montibus; cum studium physices, laudataeque detectiones tam antiquae non sint, et nullus antiquorum scriptorum hanc rationem ad stabiliendum diluvium allegaverit. Oritur igitur iste populorum consensus ex ipsa de diluvio traditione, eo magis quod in historiis antiquorum populorum post epocham diluvio adsignatam nihil occurrit de aliquo diluvio memorabili. Cur diluvii pluribus ante saeculis orbem devastantis in illis mentio fieret, si illud reapse non extitisset? Adde nullum antiquum monumentum, nullum vestigium humanae industriae umquam detectum fuisse, quod epochae a Moyse diluvio adsignatae sit anterius. Oportet ergo tum genus humanum cum omnibus monumentis periisse, ac dein renovatum fuisse, ut Moyses scribit.

Adspectus exterioris globi nostri diluvium universale evincit; in quatuor enim mundi partibus cernuntur valles angustae, utrimqne circumdatae montibus ac rupibus perpendicularibus, qui angulos prominentes et intro recedentes efficiunt, atque istis vallibus formam cursus fluvii praebent. Physiologis autem persuasum est, hasce valles aquis fuisse cavatas. Aquae igitur toti globo incubuere, talesque effectus ubique produxere, qui non nisi diluvio universali explicari possunt.

D. de Buffon existimat, valles angustas et profundas, in quibus fluviorum alvei reperiuntur, formatas fuisse, quod humus utrimque desederit. Verum ingens hoc humi sedimentum non nisi diluvio generali, violentoque aquarum motu produci potuit.

Inspectio interioris globi terrestris diluvium universale probat; in eius enim sinu ac montibus petrosis, et a mari longissime dissitis, ingens reperitur copia cuiuscumque generis petrificationum, conchyliorum, piscium ac monstrorum marinorum. In montibus Apenninis, Alpibus, Pyrenaeis, Andibus *(Cordigliere)*, Atlante, Ararate, etc., haec diluvii monumenta deprehenduntur. Elephantes Asiae in Britannia maiori, crocodili Aegypti in Germania, balenae et monstra marina Americae, plantae, folia et fructus nobis ignota aut nonnisi in remotissimis regionibus crescentia, in profundo sinu terrae reperta fuerunt. Haec vero probant, mare universam tellurem susque deque vertisse, atque hosce suae supra globum commorationis testes deposuisse.

Nonnulli physici equidem adseruerunt haec diluvii testimonia non esse per diluvium subitaneum, rapidamque vim aquarum, in sinu terrae ac in montibus deposita, sed mare vicibus cooperuisse universas mundi partes, a quibus motu insensibili recessisset, montes autem secundarios formatos fuisse per commorationem aquarum maris super globum, quae pluribus saeculis durasset.

Mare, aiunt, in variis mundi partibus pedetentim a continente recedit, et verisimiliter continentem oppositam sensim invadit. Mare recessit ab oris Aegypti, Italiae et Provinciae *(Provenza)*, urbes Ravenna in Italia, Aigues-mortes in Gallia, etc. olim portus maritimi erant, modo autem mare multum ab illis distat.

Alveus maris Baltici, inquiunt, est imminutus, et vestigia canalis adhuc extant, per quem mare Balticum cum mari Glaciali communicabat, sed qui saeculorum lapsu obstructus fuit. Natura soli, quod mare Persicum a mari Caspio separat, probat, haec maria olim unita fuisse. Mare Rubrum olim communicasse videtur cum mari Mediterra-

neo, a quo modo separatum est per isthmum Sues.

Iuxta hosce physicos mare verisimiliter motum habet ab oriente in occidentem, ipsi ab auctore naturae impressum, qui terrae motum ab occidente in orientem indidit. Hic maris motus iuxta eos lapsu plurium saeculorum mare insensibiliter in alias plagas deducere debet.

Verum ex factis adlegatis solummodo sequeretur, aquarum maris copiam imminui, ut D. de Maillet in Telliamed et D. de Buffon in *Epochis naturae* supponunt, quod tamen D. de Luc negat (1). Nullum ex factis citatis probat mare suum alveum mutare. Licet ab aliquibus regionum maritimarum oris ob causas particulares aliquantulum recesserit, ex cosmographia tamen constat, ipsum in nulla mundi parte continentem invadere; Strabo enim et Pomponius Mela abhinc 18 saeculo eisdem in locis portus et littora in Europa, Africa et Asia descripserunt, in quibus illa adhuc modo videmus. Si mare modo remotum est ab aliquibus urbibus ubi olim portus maritimi erant, hoc factum est ob alluvionem arenarum per flumina, aut ipsum mare, advectarum.

Quod spectat ad mare Balticum, sinum Persicum, mare Caspium et mare Mediterraneum, attenta Moysis de diluvio historia, per ipsum diluvium illa separata esse videntur. De posteriori separatione nihil verisimile adlegari potest.

Habeat autem mare motum quemcumque, ex cosmographia constat, ipsius alveum non inde immutari.

Possibilitas physica diluvii demonstratur ope machinae simplicissimae. Globus terreus, aqua repletus, globo vitreo concentrico inseritur; simul ac primus globus motu turbinis movetur, aquae, quas continet, valvulas aperiunt, globumque vitreum replent; decrescente autem motu impresso, aquae gravitatis vi in globum terreum regrediuntur. Iam vero terra nostra motum huiusmodi habet, et cum maiori adhuc celeritate circumagi posset, aquae vi sua centrifuga, earum pondere non obstante, adscendere possunt (2).

Cl. Bergier in sua hypothesi de diluvio ponit, globum terrestrem ante diluvium quoad dimidiam partem aquis marinis fuisse circumfusum, axem terrae tempore diluvii a Deo inclinatum, punctumque aequilibrii, seu centrum gravitatis, immutatum fuisse. Hisce positis aquae marinae, e suis alveis effusae, totum orbem operire debebant.

Ne deistae existiment, Moysen aut absurda scribere, aut quae nonnisi per multiplicata inutiliter miracula explicari queant, de difficultatibus obiectis speciatim agemus, atque ita videbimus, *utrum diluvium sit mysterium fidei, cui ratio non credat.* Itaque:

1° An illa potentia, quae mundum in creatione aquis obvolverat, eumdem mundum iisdem aquis involvere non potuit? Aquae, quas Deus post creationem separarat, abierant partim in maria, et partim in atmosphaeram. An istas aquas coniungere nequivit creator huius universi? Moysis autem de diluvio historia indicat, Deum hasce aquas coniunxisse, mundumque quasi in pristinum suum statum recidisse; scribit enim, Deum removisse vim, quae aquas maris et coeli, seu atmosphaerae retinebat: « Rupti sunt, ait, om- » nes fontes abyssi magnae, et ca-

(1) Lettres sur l'histoire de la terre et de l'homme

(2) Explication physico-théologique du déluge et de ses effets. Journal des Beaux-Arts, mars 1767.

» taractae coeli apertae sunt, » ac proinde aquae post creationem divisae, denuo unitae fuerunt. Quis vero negabit, istas aquas toti mundo ad maximam altitudinem operiendo suffecisse? Immo haud immerito ait cl. Pluche (1), tantam copiam aquarum e mari et atmosphaera colligi posse, ut duplex diluvium efformaretur.

Deistae perhibent mare in suo sinu efformasse montes secundarios, omnesque montes per vices cooperuisse. Hic vero adserunt, ipsum satis profunditatis non habere ad ipsos denuo cooperiendos. An quando iuxta ipsos montem Chimboraço in Peruvia 20,000 pedum, et montes Thibet in Indiis orientalibus 28,000 pedum altitudinis cooperuit *, profunditatem 1000 pedibus longe maiorem non habebat? Falsum est, mare generatim non continere nisi 1000 pedes profunditatis; ita enim nulla proportio foret inter cavitatem tam exiguam et soliditatem globi terrestris, qui 3000 leucarum in diametro habet. Falsum igitur est, 10 aut 20 oceanorum opus fuisse ad montes cooperiendos.

Auctor *studiorum naturae* (2) ostendit, solutionem glaciei sub duobus polis, et super magnas series montium in toto orbe existentis, fere solam sufficientem esse terrae universae inundandae. A fortiori si ei iunctae essent aquae atmosphaerae et marium, cum maria plus spatii occupent quam continens.

Deistae, ut explicent quomodo conchylia marina, etc., in altissimos montes pervenerint, aiunt, mare *successive* in toto orbe fuisse; fuit proinde iuxta ipsos sufficiens aquarum copia ad montes *successive* cooperiendos: iam vero Moyses non dicit, omnes montes fuisse *simultanee* ad eamdem altitudinem aquis tectos; aquas decrescentes diluvii dicit *iisse et rediisse* (Gen. VIII, 3), id est fluxu ac refluxu motas fuisse; potuerunt proinde montes violentissimo aquarum fluxu vicibus cooperiri, ut s. Augustinus iam pridem gentilibus respondit (3).

Fuerunt auctores, ut Vossius, Para du Phanias, etc., qui ut diluvium noachicum facilius explicarent, adseruerunt ipsum non universale, sed particulare fuisse. Ast mirari satis non possumus, quomodo viri, caeteroquin docti, tam parum physices gnari fuerint, tamque parum ad diluvii adiuncta attenderint sensusque scripturae: diluvium enim particulare repugnat, — physicae; nam fluida se semper ad libellam componunt, consequenter aquae in una mundi parte elevatae necessario in alias partes defluxissent; — adiunctis diluvii; si enim pars dumtaxat mundi aquis immergenda fuisset, cur 100 anni adhibiti fuissent ad construendam arcam? Cur omnium animalium genera in illam coacta fuissent? — Repugnat sensui scripturae sacrae. Deus Noacho ante diluvium dixerat (Gen. VI, 7): « Delebo hominem, quem creavi, » a facie terrae, ab homine usque » ad animantia, a reptili usque » ad volucres coeli. » Haec verba ad litteram haud impleta fuissent, nisi diluvium universale esset. Gen. VII, 17-24 Moyses scribit: « Fa» ctum est diluvium quadraginta » diebus super terram... arca fere» batur super aquas, et aquae prae» valuerunt nimis super terram: » opertique sunt *omnes montes* ex» celsi sub *universo coelo*. Quinde» cim cubitis (22 1[2 circiter pedi-

(1) Spectacle de la nature.

* Summitas montium in Thibet in Indiis orientalibus inaccessibilis huc usque credita fuerat; sed D. Webb hoc anno 1817 illam invenit esse 28,000 pedum altiorem superficie maris. Hi montes sunt altissimi, qui noscuntur.

(2) Etudes de la nature, t. 1.

(3) De civit. Dei, l. 15, c. 27.

» bus) altior fuit aqua super mon-
» tes quos operuerat. Consumpta-
» que est *omnis caro* quae moveba-
» tur super terram, volucrum, ani-
» malium, bestiarum, omniumque
» reptilium, quae reptant super ter-
» ram: *universi homines*, et cuncta,
» in quibus spiraculum vitae est, in
» terra mortua sunt... remansit au-
» tem solus Noë, et qui cum eo e-
» rant, » uxor nempe eius, tres eius filii, horumque coniuges (Gen. VII, 7). Haec sane diluvium universale fuisse litteraliter evincunt.

Gen. IX, 18-20 scribit Moyses, a tribus filiis Noë omne genus humanum post diluvium ortum ducere. « Erant filii Noë, inquit.... Sem,
» Cham et Iaphet... ab his dissemi-
» natum est *omne genus humanum*
» super *universam terram*.»

Vossius equidem ait, diluvium universale inutile fuisse; cum totus orbis tum temporis nondum inhabitatus esset. Ast physicae rationes allatae et contra hanc Vossii ignorantiam vigent. Caeterum quis dixit Vossio totum orbem tum incolas non habuisse? An 1656 anni, quibus mundus extiterat non suffecerant ad totum mundum incolis ornandum?

Obiiciunt adversarii, voces *omnem terram*, *universam terram*, *universum orbem*, etc., in scriptura quandoque significare totam aliquam regionem particularem: ut Gen. XLI, 54, ubi dicitur, famem fuisse in *universo orbe*, hoc est in omnibus regionibus Palaestinae finitimis. Estheris IX, 28: « Dies quos... cun-
» ctae in *toto orbe* provinciae cele-
» brabunt, » id est omnes provinciae imperii persici. Act. XI, 28: « Agabus significabat per spiritum
» famem magnam futuram in *uni-*
» *verso orbe* terrarum, quae facta
» est sub Claudio, » id est in Palaestina.

At scripturae sacrae non plane ignarus fatebitur, voces: *Omnem terram, universam terram, universum orbem*, etc., saepius significare *universum orbem, stricte dictum*, quam particularem aliquam regionem; ex circumstantiis vero, et adiunctis rerum vis istarum vocum est determinanda. Quis vero inficiabitur, omnes circumstantias diluvii a Moyse recensitas indicare illas voces significare totum orbem stricte dictum?

2° Ex singulis animalium generibus facillime quaedam in Asia esse poterant; quare necesse non fuit, illa ex omnibus orbis partibus ad arcam compellere. Difficile sane Deo non fuit illa animalia, indito quodam instinctu, ad arcam cogere. Aves nonnullae in frigidis regionibus natae, ad finem vergente autumno, se instinctu in calidas regiones conferunt, eodemque stimulante instinctu, tempore veris revertuntur. An animalia in arca servata, se ita ad illam conferre non potuerunt?

3° Haec difficultas iam a Celso, aliisque paganis antiquis obiecta, et ab Origene, et Augustino (1) soluta, magna haud est; nam longitudo arcae erat 300, latitudo 50, et altitudo 30 cubitorum; ducta proinde latitudine in longitudinem, habentur 15,000 cubitorum; ducta vero altitudine in hosce cubitos, reperiuntur 450,000 cubitorum quadratorum. Ponamus vero cubitum dumtaxat sesquipedalem fuisse, et reperiemus arcam 675,000 pedum quadratorum capacitatem habuisse. An in tanto spatio maximus exercitus cum omni suo apparatu bellico non constitisset?

Noë iussus fuerat ex animalibus et volucribus mundis in arcam inducere septena, id est 4 mares et 3 femellas, et ex immundis et repti-

(1) Orig., l. 4, contra Celsum. Aug. de civitat. Dei, lib. 15, c. 27

libus unum par dumtaxat, sed notandum *iuxta genus suum*, ut Moyses ait (1), et non secundum *speciem*. Iam vero per animalia munda intelliguntur ea, quae Deo in sacrificium offerri licebat, et quinque tantummodo sunt, boves nempe, agni, capellae, columbae ac turtures. Iuxta peritissimos historiae naturalis scriptores primaeva animalium genera sunt circiter octoginta et unum. An ergo animalia servanda in arca cum suis alimentis contineri non potuerunt?

Obi. Sed, aiunt deistae, quomodo Noë cum suis filiis hanc arcam construere, quomodo tot varia alimenta animalibus necessaria congerere potuit? quomodo avis paradisiaca, quae solo rore coeli vescitur, et pedibus carens in perpetuo volatu est, in arca potuit commorari?

Resp. Noë, vir dives, adhibitis operariis facile arcam construere, et sufficientem alimentorum copiam congerere valuit. Tot autem diversa alimenta necessaria haud erant, cum animalia necessitate adstricta fere quaecumque comedant, prout faciunt hiberno tempore. Immo sunt animalia quae diu sine cibo vivere possunt, ut erucae, quando chrysalides sunt. In lacubus septentrionis sub glacie reperti fuerunt ingentes hirundinum acervi sibi mutuo adhaerentium, atque vivarum. In magnis diffissis arboribus ruptisque saxis inventae fuerunt ranae, quae diutissime sine cibo et exterioris aëris respiratione ibi vixerant, et hoc anno 1817 in Anglia repertae sunt tres apes viventes in medio magnae massae graniti (*granito*).

Historia naturalis falsum esse commonstrat, avem paradisiacam rore coeli vesci, pedibusque carere (2).

(1) Gen. VII, 2, etc.
(2) V. Valmont de Bomare, a. Oiseau du paradis.

4º Aër ibi tam rarus esse non debebat, cum per aquas adscendentes condensaretur.

5º Necesse non erat ut pluvia in summos montium vertices decideret; nam per aquas adscendentes, et per fluxum refluxumque maris cooperiri potuerunt.

6º Negat D. de Voltaire in Armenia, ubi arca quievit, oleas crescere, testemque adlegat Tournefortium. Sed Strabo, insignis antiquus geographus, in Cappadocia Armeniae finitima natus, testatur celebres oleas in Armenia reperiri. Mirum autem non esset si hodie ibi non amplius oleae crescerent, cum globus terrestris maximas mutationes subierit. Ager romanus, Sicilia, et Hollandia, quod ad multa longe diversa sunt, ac fuerint tempore I. Caesaris.

7º Non omnes plantae ac arbores diluvio perierunt; constat enim multas in aquis servari, et crescere: quare apud Telliamed (3) legitur, piscatores frequenter e mari Mediterraneo plantas, ramosque arborum cum suis fructibus depromere. Praeterea Noë, de diluvio eiusque sequelis divinitus monitus, sane non in paucos menses alimenta congesserat; quare animalia post diluvium adhuc aliquandiu alere poterat. Caeterum animalia, ut iam monuimus, necessitate premente, quaecumque comedunt. Sufficientia profecto erant cadavera quaecumque, ac reliquiae ex undis emergentis orbis, quae in cibum quemcumque inservire poterant.

8º Hoc argumentum a manichaeis profectum, a s. Augustino (4) refutatum, et a deistis nostri aevi repetitum, ponit Deum numquam permittere debuisse, ut homo sua abuteretur libertate. Homines

(3) Telliamed, 6 Entret.
(4) August. cont. advers. legis et proohet., lib. 1, cap. 16 et 21.

post diluvium scelesti evaserunt, eo quod Deus illis suam libertatem reliquit. Si Deus pravas hominum propensiones mutasset, eosque impeccabiles reddidisset, illis suam libertatem auferre debuisset, tuncque ut vitii, ita et virtutis incapaces fuissent. Caeterum quis contendet, Deum teneri ad hominibus praestanda quae illis sunt utiliora?

En autem bonum e diluvio redundans! Vestigia terrifici huius supplicii, ad finem mundi extitura, probabunt adversus deistas : — existere providentiam et iustitiam divinam, quae quando vult crimina punit; — Deum posse patrare miracula ; — homines, tanta punitione meliores haud factos, esse liberos, eosque, prout bonum aut malum eligere maluerint, praemia aut poenas mereri. Haec agnoscant deistae, suisque erroribus depositis, probabunt diluvium non esse inutile.

9° Mutationem alvei maris constantibus cosmographiae observationibus contrariam, falsamque esse, supra vidimus. Facta quaedam particularia diluvii universalis haud facile explicari posse, mirum non est, cum in tam rapido tantarum aquarum motu, ac in tanta telluris perturbatione, phaenomena maxime extraordinaria contingere debuerint. An in exundationibus particularibus quandoque non occurrunt phaenomena, quorum causa, modusque quo facta sunt, a peritissimis physiologis vix explicari possunt? Plures montes post subsidentiam corporum marinorum primum exortos, lapidesque pisces petrificatos continentes circum pisces efformatos fuisse, non vero pisces emollitis rupibus ac lapidibus insinuatos fuisse, naturae periti fatentur. Recentiorum hypothesis, quae *sex dies creationis*, pro *sex epochis* habet (1), pariter explicat, quomodo tot corpora marina in continentem devenerint.

Caeterum in absona opinione sensim inductae mutationis alvei maris 1° non explicatur, quomodo monstra, etc. Indiarum, Americae in nostram continentem devenerint. Huc nonnisi violento aquarum motu deferri, ac in sinu terrae deponi potuerunt.

2° Incolis regionum maxime orientalium, ut indis, sinensibus, tartaris, etc., quorum antiquitas a deistis tantopere iactitatur, prorsus est inauditum, quod mare eorum continentem invaserit, numquam a suis maioribus audierunt, ipsorum habitationes olim magis orientem versus fuisse, et populi occidentales nullam memoriam habent, quod eorum continens maior evaserit.

3° Mutatio sensim inducta alvei maris non destruxisset totum genus humanum, sed illud dumtaxat transtulisset, nec delevisset omnia monumenta artium, scientiarum, humanaeque industriae, epochae a Moyse diluvio adsignatae anteriora.

§ XXVIII. De plagis Aegypti et de mirabilibus magorum.

123. Pharaone, Aegypti rege, israëlitas libertati restituere renuente, patravit Moyses decem miracula, quae *decem plagae Aegypti* vocantur, ut Deo rebellem regem ad libertatem iudaeis reddendam cogeret. Ante omnia Aaron, Moysis frater, virgam suam in colubrum vertit. Quod magi aegyptii, quorum principes fuerunt Iannes et Mambres (II Tim. III, 8), imitati sunt. Sed serpens Aaronis serpentes magorum devoravit (Exod. VII).

Prima plaga Aegypti fuit mutatio aquarum Nili, lacuum, puteorum, etc., in sanguinem, pisciumque in-

(1) Vide cl. Schnappinger: Doctrina dogmatum ecclesiae. V. I, § 122, n. I. August. Vindel., 1816.

teritus (Exod. VII). Quod magi Pharaonis pariter imitati sunt (ib.)

Secunda est immensa ranarum productio. Quod et magi sunt imitati (Exod. VIII).

Tertia est innumerabilis sciniphum multitudo (Exod. VIII). Quod cum magi imitari haud potuissent, Pharaoni de Moyse dixerunt: *Digitus Dei est hic.*

Quarta est immensa muscarum copia (ib.), quae *blattae* orientales fuisse putantur.

Quinta est pestis in iumentis (Exod. IX).

Sexta ulcera in hominibus et iumentis (ib.).

Septima grando terribilis (ib.).

Octava ingens locustarum multitudo (Exod. X).

Nona tenebrae densissimae, quae tribus diebus Aegyptum operuerunt (ib.).

Decima mors subitanea omnium primogenitorum tam hominum quam animalium, solis israëlitis ab illa exceptis (Exod. XII). Quae ultima plaga Pharaonem ad dimittendos hebraeos induxit *.

24. *Obi.* Thomas Morgan, aliique naturalistae, hasce plagas miracula fuisse negant, easque causis naturalibus attribuunt.

I. Aiunt: magi aegyptii virgas suas in serpentes, et aquam in sanguinem pariter verterunt, ranasque produxerunt; haec autem vera miracula non fuerunt; proinde nec illa Moysis.

125. II. Quae miracula Moyses patrasse legitur, ita naturaliter explicantur:

Pestilentia quaedam primum corripuit pisces fluxu sanguinis, quo sanguine aquae Nili infectae, aut etiam iniecta materia coloratae, 1° naturaliter occiderunt pisces; 2° ranas, quae copiose in Nilo reperiebantur, in terram expulerunt.

3° et 4° Sciniphum et muscarum multitudo orta est ex aëris calore, qui ova horum insectorum in pulvere deposita fovit, et maiori copia excludit.

5° Subsecuta pestis, in calidis regionibus haud infrequens ob putrefactionem aquarum Nili, piscium et ranarum facile naturaliter potuit evenire.

6° Multitudo pulveris, in calida regione, ut in Aegypto, ulcera facile gignere potuit.

7° Grandinem, tonitrua, ac fulgura effectus naturales esse, nemo in dubium revocabit.

8° Locustarum nubes vento in Aegyptum propelli, et vento contrario abigi facile potuit. « Locustas, ait » Plinius, quandoque gregatim sublatas vento, in stagna et maria decidere.» (Hist. nat. l. 11, c. 26).

9° Tenebrae quae contigerunt, nonnisi densae nebulae fuerunt, quae naturaliter oriuntur.

10° Interitus primogenitorum aut fuit effectus pestis aut conspirationis iudaeorum. Moysen aiunt naturalistae sat peritum fuisse ad hosce effectus naturales pro miraculis venditandos, iudaeosque, ignaros et vanos, inducendos ad credendum, Deum haec ut vera miracula pro ipsis fecisse.

Resp. I. Naturalistis facile adsentimur, mirabilia magorum Aegypti non vera miracula fuisse; cum Deus in favorem erroris miracula facere nequeat. Moyses ait magos fecisse similiter, id est, ipsos conatos esse artibus secretis Moysis vera mi-

* Veteres has plagas memoriae iuvandae causa sequentibus rudibus versibus exprimebant:

Prima rubens unda est, ranarum plaga secunda:
Inde culex terris, post musca nocentior istis.
Quinta pecus stravit, anthraces sexta creavit.
Post sequitur grando, post bruchus dente nefando:
Nona tegit solem; primam necat ultima prolem.

racula imitari, ad probandum Pharaoni, quae faciebat Moyses non esse nisi naturalia; quare cum tertiam plagam imitari non potuissent, exclamarunt de Moyse: *Digitus Dei est hic* (1).

Ss. Augustinus, Thomas aliique arbitrati quidem sunt mirabilia magorum Pharaonis vires humanas superare, et ope daemonis peracta fuisse; at Moyses illa *magiae diabolicae* non attribuit, et nihil in eis occurrit quod daemonis operam arguat, artesque humanas excedat (2). Moyses scribit (Exod. VII, 11) magos istos a Pharaone accersitos fuisse, eosque *per incantationes aegyptiacas et arcana quaedam similiter fecisse*, illos proinde media adhibuisse; haec vero media naturalia, et effectus eorum naturales esse potuerunt.

1° Enim sat notum est non solum in Aegypto, Indiis et America, sed etiam in regionibus Europae, ubi viperarum commercium exercetur, in promptu esse arcanum quoddam artificium mediis naturalibus serpentes incantandi, ut ita facultate nocendi illis ablata, pro libitu tractentur. Ope huius arcani magi Pharaonis facile exhibere poterant loco baculorum serpentes incantatos, qui obriguerant, eosque humi proiiciendo de somno suo magnetico excitare. Immo potuissent baculis suis serpentes dextere sufficere. Serpentem Moysis vero non huiusmodi sopitum serpentem fuisse, sat inde liquet, quod serpentes magorum devoravit.

2° Magis profecto difficile haud fuit parvam aquae copiam in vase quopiam, aut in fossa cavata (aquae enim fluviorum, lacuum, puteorum, etc. a Moyse in sanguinem versae fuerant), ope materiae colorantis eidem solerter iniectae, rubram ut sanguinem exhibere. Verum solo ictu virgae aquas Nili coram Pharaone eiusque aula in sanguinem vertere ac corrumpere, ut Moyses fecit, minime artis opus esse potuit.

3° Aeque facile poterant magi escarum ope ranas nonnullas allicere, aut illas filis vix visibilibus attrahere. Verum sola extensione manus tantam ranarum copiam educere, ut totam Aegyptum infestarent, illasque per preces interimere, ut fecit Moyses, nulla humana arte effici potuit. Agnoverunt ipsi magi Moysis vera miracula, seque ea per suas artes exaequare haud posse; quare cum tanti non essent, ut sciniphes producerent, ullumque Moysis miraculum destruerent, de Moyse Pharaoni dixerunt: *Digitus Dei est hic;* ideo etiam Pharao, ut liberationem a ranis obtineret, se non ad magos, sed ad Moysen vertit.

II. Moysis singula miracula, separatim spectata, neglectis eorum adiunctis, modo quo facta, et fine ob quem facta sunt, forte alicui naturalia videri possent. Verum simul sumta, cum suis adiunctis, modo et fine, nemini nisi ultro erranti naturalia videri possunt. Quomodo enim alicui naturale videri potest, ut tot tantaque mala, inter se minime connexa, spatio 4 aut 6 hebdomadum in regionem aliquam ruerint, utque israëlitae tantum ab eis in terra Gessen fuerint exempti? Quomodo Moyses istas plagas praescire, praedicere, ope suae virgae producere, ad libitum extendere, et oratione tollere, naturaliter potuisset? Miracula illa facta sunt ob finem Deo dignissimum, ut Moyses nempe, obtenta a Pharaone iudaeorum libertate, illos in natio-

(1) Vide Rosenmüller Scholia in V. T. Lipsiae 1788, p. 1, pag. 446.

(2) Vide cl. Heumanni dissert. de pseudothaumaturgis Pharaonis. Confer. Guénée: Lettres de quelques Juifs etc., à M. de Voltaire, t. 1, p. 274 Paris. 1817

nem constitueret, vero Deo iustisque legibus subiiceret; per hanc iudaeorum ex Aegypto liberationem via ad christianismum munita est. Ita divinum consilium a lapsu protoparentum enuntiatum, genus humanum redimendi per formationem iudaeorum in corpus nationis firmiter promotum, et tandem per adventum Messiae completum fuit.

Hinc patet, etiamsi singulae plagae Aegypti separatim sumptae naturaliter possibiles fuissent, coniunctim tamen virtute supernaturali a Deo immissas fuisse.

1° At enim, quomodo probaret D. Morgan pisces Nili ob pestilentiam fluxu sanguinis laborasse? Quomodo pisces isti tantam copiam sanguinis ad omnes aquas Aegypti tingendas habere potuissent? Quomodo in hac ridenda hypothesi aquae puteorum, etc., in sanguinem verti potuissent? Quomodo, si per iniectam materiam omnes aquae Aegypti in sanguinem versae visae fuissent, haec materia non solummodo Nilo, sed et aliis fluviis, torrentibus, paludibus, puteis, etc., iniici potuisset, aegyptiorum nemine, nullo in loco, id animadvertente? Quomodo ad unum virgae tactum in sanguinem, aut sanguineum colorem conversae, et iussu Moysis pristinam naturam aut speciem induissent?

Pocockius, Maillet (1) aliique scribunt quidem, Nili aquas quotannis mense iulio crescentes, et mense octobri decrescentes, naturaliter rubedinem aliquam induere. Ast haec cum Moysis miraculo minime quadrant, cum mutatio aquarum Nili mense circiter februario contigerit ad nutum Moysis atque ad eius iussum cessaverit.

2° Quemadmodum mors piscium Nili naturaliter evenire nequivit, ita neque tanta multitudo ranarum, quae omnem regionem, omniaque habitacula, et ipsa Pharaonis cubicula infestabant, ex Nilo ad solam porrectionem virgae Moysis naturaliter exoriri, et orante Moyse naturaliter perire potuisset. Immo naturale haud fuit, ut ranae quae semper loca humida quaerunt, penetralia domuum invaserint.

3° et 4° Plagae sciniphum et muscarum pariter phaenomena naturalia non fuisse, patet ex eo quod tempore praedicto, nulloque adhibito medio innumerabili multitudine exortae sunt, et ad orationem Moysis perierunt.

5° Pestis ista animalium pariter naturaliter orta non est, cum ad certum tempus praedicta fuerit, neque ut solet pestis naturalis, gradatim, et in unam animalium speciem grassata sit, sed eodem die in omne animalium genus serpserit, et quidem solis israëlitarum pecoribus salvis perstantibus.

6° Ulcera ista a pulvere regionis naturaliter provenire nequiverunt, cum sparso camini pulvere repente orta sint, et in omnes ad quos pulvis ille neque simul eodem tempore neque deinceps pervenire potuisset, grassata sint, israëlitis exceptis.

7° Grandinem, tonitrua et fulgura septimae plagae non fuisse naturalia, inde patet, quod a Moyse adcurate fuerunt praedicta, insolito tempore, et maximo impetu eruperunt, ad porrectionem manus Moysis cessarunt, et quod terra Gessen ab israëlitis inhabitata ab eis immunis fuit.

8° Etiamsi locustae vento in Aegyptum delatae fuissent, id tamen, spectatis adiunctis, sine miraculo contingere haud potuisset, tum quod Moyses illas praedixit, tum quod multitudine innumerabili advenerunt, neque solum omnem herbam devoraverunt, sed et in aedes pe-

(1) Pocock: Descript. Orientis, p. I. Maillet: Lettres sur l'Egypte, p. I

netrarunt, cum naturaliter in campis manere debuissent, tum quod terram Gessen non infestarunt, tum quod Moyses oratione illas abegit.

9° Etiamsi istae tenebrae densis nebulis constiterint, miraculum tamen intervenisse ex eo constat, quod israëlitae, qui in eodem loco cum aegyptiis versabantur, claram lucem viderunt.

10° Opinio D. Morgan (1), israëlitas conspiratione facta primogenitos aegyptiorum occidisse, est absurda. Quomodo enim israëlitae omnes primogenitos hominum et pecorum in tota Aegypto, in omnibus familiis, in ipso regis palatio, una nocte interimere potuissent? Quomodo primogenitos ab aliis distinguere potuissent? Necem hanc prodigiosam fuisse, neque effectum naturalem conspirationis aut pestis, inde liquet, quod fuit a Moyse praedicta, unaque nocte primogenitis tantum illata, non aliis, israëlitis exemtis.

126. *Obi.* Sed aiunt deistae 1°, iuxta Exod. VII, 19 et 25 omnes aquae Aegypti in sanguinem versae fuerunt septem diebus. Quomodo ergo omnes aegyptii prae inopia aquae mortui non sunt? Unde magi Pharaonis hauserunt aquam puram, quam ibidem v. 22 perinde ac Moses mutasse dicuntur?

Resp. Aquae terrae Gessen in sanguinem mutatae non fuerunt. Dein Moyses ait Exod. VII, 24, aegyptios fodisse puteos prope Nilum; quare inde aquam puram hauserunt.

2° *Obi.* Dicunt, iuxta Exod. IX, 3-6, per quintam plagam peste mortua sunt *omnia animantia* aegyptiorum, equi nempe, asini, boves, etc.; versu 10 autem legitur, per sextam plagam facta *esse ulcera vescicarum turgentium in hominibus et iumentis*. Unde ista iumenta, cum versu 6 omnia peste periisse dicantur? Unde, addunt, illa iumenta, quae versibus 19-25 per septimam plagam grandine perculsa esse leguntur? Unde venerunt illa *primogenita iumentorum* aegyptiorum, quae per decimam plagam c. XII, 29 in tota Aegypto eadem nocte occisa esse dicuntur? Unde venit *equitatus* quocum Pharao iuxta Exod. XIV, 9 israëlitas persecutus est?

Resp. Exodi IX, 6 voces *omnia animantia* significant omnia animalia, quae erant in agris, ut liquet ex versu 3. Igitur quae in agris non erant a peste exempta fuerunt. Inde patet *ulcera*, iuxta versum 10, per sextam plagam exorta esse in iis iumentis, quae a quinta plaga immunia fuerant. Haec autem ulcera animalia cruciasse, non vero occidisse legitur. Inde etiam patet haec ipsa animalia fuisse, quae per septimam plagam grandine percussa sunt. Per septimam vero plagam sola animalia, quae in agris erant, interempta fuerunt. Per decimam plagam sola iumenta primogenita enecata fuerunt; quare Pharaoni equitatus fuit ad persequendos iudaeos.

127. Deistis incredibile videtur Pharaonem, iam multas gravissimas plagas expertum, quae aegyptios omnes afflixerant, israëlitas tamen in Aegypto retinere voluisse.

Verum perpendant deistae, hebraeos homines et mulieres, numero 2,000,000 fuisse; proinde Pharaonem omnia passum fuisse, ne tanto mancipiorum numero cum sui imperii detrimento maximo privaretur. Caeterum Moyses diserte scribit, Deum stultam Pharaonis obstinationem hebraeos retinendi, consulto permisisse, ut in hac caeca eius obstinatione omnipotentia divina manifestaretur. Quare eo ipso quod Pharao vicies centena servorum millia liberos dimisit, colligant deistae,

(1) Moral. philos. V. III.

maxima miracula intervenire debuisse, quae Pharaonem ad hoc sacrificium adegerint.

§ XXIX. De transitu maris Rubri.

128. Hebraeis Aegypto egressis dextrorsum erat series montium, a sinistris philistaei et amalecitae, post tergum aegyptii eos insequentes, ex adverso mare Rubrum. Israëlitae, viso Pharaonis exercitu, mortemque suam certam existimantes, in Moysen insurrexerunt, eique dixerunt: « Forsitan non erant sepulcra » in Aegypto, ideo tulisti nos ut » moreremur in solitudine (Exod. » XIV, 11)? » Deus vero populum israëliticum multiplicibus miraculis ex Aegypto liberatum, praesenti periculo erepturus, Moysi praecepit: « Eleva virgam tuam, et extende » manum tuam super mare, et di» vide illud ut gradiantur filii Israël » in medio mari per siccum (ibid. » V, 16). » Immisit Deus castra hebraeorum inter et aegyptiorum nubem extraordinariam, iudaeis fulgidam, aegyptiis vero tenebrosam (ibid. v. 20), ita ut hebraei luce fruerentur, aegyptii vero caligarent. Moyses cum ad mare Rubrum venisset, extensa manu illud divisit, ventusque vehemens et calidus, a Deo immissus, ac tota nocte perflans, mare exsiccavit (ibid. v. 21). Ad lucem luminosae nubis: « In» gressi sunt filii Israël, ait Moy» ses, per medium sicci maris: erat » enim aqua quasi murus a dextra » eorum et laeva (ibid. v. 22). » Summo mane aegyptii pariter mare Rubrum ingressi sunt: sed cum israëlitae in oppositum littus pervenissent, Moyses manum suam super mare extendit, et aquae in priorem locum dilapsae, totum Pharaonis exercitum submerserunt, *nec unus superfuit ex illis* (ibid. 23-28).

Moyses ac israëlitae ob tantum miraculum Deo gratias agentes, inter alia cecinerunt: « Cantemus Domino: » gloriose enim magnificatus est, e» quum et ascensorem deiecit in ma» re . . . In spiritu furoris tui con» gregatae sunt aquae: stetit unda » fluens, congregatae sunt abyssi in » medio mari, etc. (Exod. XV).

129. *Obi.* Naturalistae ingens hoc miraculum denegaturi, aiunt:

1° Israëlitas mare Rubrum transiisse ad extremitatem sinus suesensis (*golfo di Suez*), quem antiqui sinum hieropolitanum dixerunt. Fluxus ac refluxus maris, inquiunt, ibi est ingens, temporeque refluxus dimidia saltem leuca littoris sicca relinquitur. Moyses, cui haec nota erant, tempore refluxus israëlitas per siccum littus maris deduxit. Pharao aliquot horis postea idem iter imprudenter ingressus, tempore fluxus conterritus, ac quid ageret prae perturbatione ignarus, cum suo exercitu refluentibus undis submersus fuit.

2° Aiunt Fl. Iosephum (Antiq. l. 2, c. 16) transitum maris Rubri comparare cum transitu maris Pamphyliae, ab Alexandri magni exercitu facto, eumque addere: « De his quis» que, ut libuerit, sentiat. »

3° Adiiciunt, antiquos aegyptios, teste Artapano (apud Eus. Praep. Evang. l. 9, c. 27), tradidisse, hebraeos ita mare Rubrum traiecisse.

4° Inquiunt, si transitus maris Rubri prodigiosus fuisset, populi vicini de hoc eventu celeberrimo testimonia reliquissent, quod factum non est.

Ineptam hanc opinionem tuentur Toland, Collins, Edelmann, aliique naturalistae.

5° Thom. Morgan ait (1), stupidos israëlitas per nebulam dumtaxat transiisse, existimantes, per aquas maris Rubri se transire.

(1) Moral. philosoph. V. II, p. 59

Resp. 1° Israëlitas mare Rubrum ad extremitatem sinus suesensis tempore refluxus transiisse falsissimum est. Naturalistas autem in hac sua hypothesi ignorantiae arguemus: nam tempore refluxus, quod sex horis durat, aquae sensim a littore recedunt, et in medio maris alveo remanent aquae. Aquae per refluxum sex horarum spatio a littore remotae, post quadrantem quietis sensim denuo ad littus revolvuntur. His accedit, quod paulo post recessum aquarum a littore in arena lutosa littoris nemo ambulare queat. Iam vero tempore recessus aquarum a littore israëlitae numero 2,000,000 hominum littus traiicere non potuissent; totus exercitus Pharaonis tempore fluxus aquarum submergi nequivisset, cum, aquis gradatim redeuntibus, ilii qui ad sinistram erant, praesertim equites, tempus se fluxui subtrahendi habuissent.

Haec etiam hypothesis aperte falsa est: Moyses enim non ait israëlitas recedentibus a littore aquis mare traiecisse, sed disertis verbis scribit, illos per alveum maris transiisse, aquis divisis, et utrinque ut muris stantibus: « Filii Israel, inquit » (Exod. XIV, 29), perrexerunt per » medium sicci maris, et aquae eis » erant quasi pro muro a dextris et » a sinistris.»

2° Comparatio Fl. Iosephi de transitu maris Rubri cum transitu macedonum per mare Pamphiliae ad rem non est: Strabo enim scribit (1): Macedones umbilico tenus aquis immersos fuisse, et Arrianus refert (2), partem dumtaxat exercitus Alexandri magni, vento aquas a littore removente, mare Pamphiliae traiecisse. Fl. Iosephus pluribus saeculis post Moysen vixit, et non semel a Moysis historia recedit: miraculum tamen huius transitus, quod naturalistae negant, agnoscit (Antiquitatum l. 2, c. 7).

3° Testimonium antiquorum aegyptiorum, populi israëlitici acerrimorum hostium suspectum et falsum est. Idem enim Artapanus scribit, sacerdotes heliopolitanos, qui aegyptiorum sapientissimi fuerunt, docuisse: « Moysen aquam virga tetigisse, ac, discedentibus illico fluctibus, copias sicco tramite deduxisse (3), » nulla fluxus ac refluxus maris facta mentione.

4° Falsum pariter est antiquos populos vicinos de miraculoso hoc transitu nihil testatum reliquisse; Achior enim ammonitarum dux, de illo ut ammonitis notissimo verba fecit Holoferni (Iudic. V, 12). Diodorus Siculus scribit (lib. 3, c. 3), iuxta traditionem ichthyophagorum, littus occidentale maris Rubri incolentium, hoc mare refluxu violento divisum et apertum fuisse, ita ut eius alveus siccus adpareret. postea vero fluxu impetuoso denuo coniunctum fuisse. Iustinus refert iuxta Trogum Pompeium (l. 36), aegyptios Moysen insecutos, tempestatibus domum reverti coactos fuisse. Artapanus quidem ait (apud Euseb. loc cit.) sacerdotes Memphis de miraculoso hoc transitu non convenisse, sed scribit sacerdotes Heliopolis fassos esse, Moysen per miraculum sibi transitum per mare aperuisse.

5° Ex dictis sat liquet, quid de D. Morgan opinione sentiendum sit. Stulti profecto esse debuissent israëlitae, ut ignorarent utrum terra an mari incederent. Dein quomodo exercitus Pharaonis, qui sane etiam per nebulas incessisset, in terra aquis suffocatus fuisset? Ridenda itaque potius, quam serio refutanda est haec D. Morgan opinio.

(1) Geograph. lib. 14.
(2) De expedit. Alex. Magni. l. 1.
(3) Apud Euseb. loc. cit., c. 27.

§ XXX. De vitulo aureo.

130. Exodi XXXII legitur Aaronem ex inauribus mulierum vitulum aureum conflari curasse, Moysen vero combusti contritique vituli pulverem aquae iniectum israëlitis, qui illum adoraverant, potandum dedisse, atque ex his levitarum ope occidisse, iuxta vulgatam, 23,000. D. de Voltaire vero, Collins, Tindal, Bolingbrock aliique deistae aiunt:

Obi. 1° Pauperes mulieres hebraeas tantum auri habere non potuisse ad hunc vitulum conflandum;

2° Incredibile esse iudaeos ad radices montis Sinai inter fulgura, et fulmina, clangentemque tubam coelestem constitutos, de formando idolo cogitasse;

3° Impossibile esse aurum potabile reddere;

4° Vix tribus mensibus huiusmodi vitulum opere fusorio conflari posse, tantum abest, ut una die, ut in Exodo insinuatur, confici potuerit.

5° Credi non posse quod 23,000 hominum se a Levitis caedi permiserint, et

6° Tantam caedem esse barbaram.

Resp. 1° Si inter vicies centena hebraeorum millia, spoliis aegyptiorum onusta, tantum 150,000 feminarum fuissent, singulaeque unam dumtaxat auri drachmam (octavam partem unciae) dedissent, 15,000 drachmarum auri idolo haud magno conflando profecto suffecissent.

2° Moyses nullibi dicit terrorem ad radices montis Sinai per plures hebdomades durasse. Terribile hoc spectaculum dudum cessaverat. Sed cum Moyses, brevi mora a monte redire solitus, mense integro absens esset, israëlitis se derelictos putantibus, et ad idololatriam tum late dominantem propensissimis, sat causae videbatur, sibi idolum, cuiusmodi apud aegyptios viderant, conficiendi, ut ipsis tamquam dux in deserto esset.

3° Aurum per sal tartaro ac sulphuri mixtum dissolvi et potabile reddi, pluribus experimentis probavit cl. chymicus Stahl. Celeber Senac pariter aurum potabile reddidit. Alii chymici aurum potabile reddiderunt ope natri (*carbonato di soda*), quod prope Nilum in magna copia reperitur. Moyses israëlitarum idololatriam melius punire non poterat, quam ipsis hoc aurum dissolutum potui dando, cum huiusmodi aurum gustum amarissimum habeat (1). Caeterum Moyses aurum ita dissolvere didicerat in Aegypto, ubi Diodorus Siculus, Agatharchides aliique testantur, artem dissolvendi, fricandique metalla longo tempore ante Moysen cognitam fuisse.

4° Idolum illud parvum fuit, cum israëlitae sibi illud in deserto praeferri vellent. Artifices nostrae aetatis ipsum tribus diebus, ad summum conflarent. Falsum est in Exodo innui illud unico die conflatum fuisse. Quanto tempore conflatum sit ignoratur.

5° Minime id incredibile est; nam iudaei inter solemnitatem choreas adhuc ducentes, videntes iustam indignationem Moysis, tabulas legis frangentis, stimulis conscientiae pungebantur, conterritique pavebant; quare mirum non est, istos iudaeos, se a numerosissima tribu Levi, Moysique ex illa oriundo addictissima, caedi permisisse. Textus autem hebraeus, interpretes LXX, chaldaei, syri, arabes, versio italica et s. Hieronymus legunt, occisa fuisse 3,000 loco 23,000, ut in vulgata habetur.

6° Haec caedes minime barbara est, cum Moyses illam ediderit iussu Dei ad iudaeos ab idololatria absterrendos.

(1) Vide Nouveau cours de chimie.

§ XXXI. De manna.

131. Israëlitis in deserto Sinai fame laborantibus, hacque de causa murmurantibus, Deus manna prodigiosum largiri dignatus est per 40 annos (Exod. XVI). Moyses ait, « Manna seu Man fuisse quasi se» men coriandri album, gustumque » eius quasi similae cum melle (ibid. XXXI).»

Obi. Deistae aiunt hoc manna prodigiosum minime fuisse, eo quod adhuc modo manna decidit in deserto Sinai, in aliis Palaestinae regionibus, in Persia, Arabia, etc. Ipsum speciem mellis fuisse, inquiunt, quod vim suam catharticam in stomachis ei adsuetis amittere potuit.

Resp. Licet manna aliquod in deserto Sinai, etc. adhuc decidat, illud tamen israëlitarum prodigiosum fuisse certum est; nam manna commune nonnisi certis anni temporibus decidit, illud autem hebraeorum quotidie, die sabbati excepto, pluebat, quod phaenomenon per 40 annos duravit, usque dum israëlitae regione Chanaan potiti essent. Manna commune exigua delabitur quantitate, diu adservari potest, potiusque remedium est quam cibus; illud vero iudaeorum tam abundanter depluebat, ut 2,000,000 hominum nutriendis sufficeret, ad solis radios, et tempore 24 horarum corrumperetur, excepto die sabbati: quae adiuncta probant, illud minime naturale fuisse.

Sapientiae XVI, 20 dicitur, hoc manna « omne delectamentum in se » habuisse, et omnis saporis suavita» tem.» At ex sequentibus colligitur, sensum esse quod manna varie medicatum omnigenam saporis varietatem inducere potuisse. Conf. Num. XI, 1-8.

§ XXXII. De serpente aeneo.

132. Numeror. XXI legitur Deum, israëlitarum murmura puniturum, iis immisisse *serpentes ignitos*, iuxta textum hebraeum, *urentes*, seu quorum morsus ut ignis urebant; Moysen vero erexisse serpentem aeneum, ad cuius adspectum a serpentibus laesi sanabantur.

Obi. Deistae aiunt 1° sanationem istam fuisse effectum fervidae aegrotorum imaginationis; 2° spem ad adspectum serpentis aenei recuperandae sanitatis fuisse cultum superstitiosum ac idololatricum; 3° Ezechiam regem id ipsum iudicasse, dum 800 annis postea hunc serpentem adhuc exstantem cum aliis rebus idololatricis destrui iussit; 4° cultum huius serpentis inter catholicos perseverare.

Resp. In Africa hodieque reperiuntur serpentes, quorum morsus, praesertim calidis anni tempestatibus, sunt maxime venenosi, et nedum fieri queat ut quacumque imaginationis vi sanentur, nullum immo noscitur remedium, quo laesis medela aut solatium afferatur. Quomodo ergo israëlitae sola imaginatione venenosos serpentium morsus, a Deo in punitionem consulto immissorum, emendare potuissent?

2° Adspectum huius serpentis cum fiducia recuperandae sanitatis superstitiosum fuisse, a veritate alienissimum est; israëlitae a Moyse edocti fuerant istum serpentem vim sanandi non habere, sed Deum ad illius adspectum sanitatem reddere.

3° Sub Ezechia rege autem iudaei serpentem istum ut idolum habebant; quare Ezechias merito illum destrui iussit.

4° Christus (Ioan. III, 14) dixerat: « Sicut Moysen exaltavit ser» pentem in deserto: ita exaltari o» portet filium hominis, ut omnis » qui credit in eum non pereat sed » habeat vitam aeternam. » Serpens igitur aeneus symbolum fuit Christi crucifixi. Quare cum medio aevo my-

steria passionis in ecclesia repraesentabantur, exponebatur serpens aeneus alludendo ad dicta verba Christi. Quod profecto non est cultum aliquem isti serpenti exhibere. Huiusmodi serpens aeneus adservatus fuit in ecclesia mediolanensi in monumentum pristini usus, non vero in obiectum cultus, prout perperam existimavit cl. Prideaux (Hist. des juifs, t. 1, l. 1).

Absolutis quaestionibus, quae hac nostra aetate nobis tractandae visae sunt, ad caeteros libros sacros veteris foederis gradum facimus.

SECTIO II.

DE LIBRO IOSUE

§ XXXIII. Lingua et auctor libri Iosue.

133. Liber Iosue scriptus fuit idiomate hebraico, a chaldaicis et recentioribus verbis immuni.

134. « Docti non conveniunt, » ait cum aliis cl. Lamy, « de aucto- » re libri Iosue. Nonnulli credunt, » ipsum nonnisi post regnum Salo- » monis fuisse exaratum (1)».

Alii librum hunc ipsi Iosuae adscribunt; sed fatentur nonnulla illi ab alio hagiographo addita esse, puta mortem Iosuae etc. In rei probationem adlegant:

1° Sanitatem linguae hebraicae, a verbis exoticis immunis, qua liber scriptus fuit.

2° Qnod c. XXIV, 26 dicatur Iosue, quae ibi narrantur, libro legis mosaicae adiecisse; ut adeo liber Iosue sit continuatio Deuteronomii. Verum ibidem non de libro Iosue, sed de sola restauratione foederis sermo est.

3° Quod c. XXIV, 29-30, ubi mors et sepultura Iosuae narrantur, stylus a superioribus diversus sit; quod et observatur in narratione mortis et sepulturae Moysis (Deut. XXXIV); quod Iosue ibi vocetur *servus Dei*, ut Moyses (Deut. XXXIV, 5); quare si superiora *Iosue* sunt, haec postrema ab alio adiecta sunt, eadem ratione qua narratio mortis Moysis est alterius auctoris, alia vero ipsius Moysis.

4° Quod liber ubique legem Moysis spiret, quod scribendi genus nemini magis quam Iosuae, individuo Moysis ministro, convenit.

135. Alii autem contendunt, librum Iosuae aetate Iosuae esse recentiorem, sed documenta, ex quibus confectus est, esse rebus gestis coaeva; librum autem Iosue inscriptum esse, eo quod gesta huius ducis referat. Et

1° Quidem aiunt, auctorem adhibere locutiones, quae indicent, magnum temporis intervallum fuisse inter rerum eventus, earumque narrationem. Sic (c. IV, 9) narrat, Iosuam ut monumentum de transitu Iordanis relinqueret duodecim lapides in alveo Iordanis poni iussisse, atque addit, lapides istos ibi adhuc suo tempore fuisse: « Et sunt ibi, ait, *usque in praesentem diem.* »

C. V, 9 refert, locum, in quo israëlitae circumcisi fuerant, vocatum fuisse *Galgala*, hoc est *revolutionem:* « Vocatumque est, inquit, nomen » loci illius Galgala *usque in prae-* » *sentem diem.* » Eadem locutio occurrit c. VI, 25; c. VII, 26, c. VIII, 29; c. IX, 27; c. XIII, 13; c. XV, 63; c. XVI, 10.

2° C. X, 13 confirmatur clades, chanaanitis australibus illata, testimonio ex libro iustorum: *Nonne hoc scriptum est*, ibi dicitur, *in libro iustorum?* Hanc vero cladem, Iosuae aetate notissimam, Iosue profecto tali testimonio non confirmasset, opportune vero scriptor recentior.

3° Auctor, de longa die locutus,

(1) Lamy: Apparat de la bible, p. 383, Paris, 1697.

quae tempore praelii adversus chananaitas illuxerat (c. X, 14), ait: *Non fuit antea, nec postea tam longa dies.* Quae loquendi ratio maius tempus effluxisse denotat usque dum liber sit confectus, quam est illud, quod inter longam istam diem et ultima Iosuae tempora elapsum est: comparatio enim plurium saeculorum, quae diem illam antecesserant cum aliquot annis post ipsam elapsis, ad portentum hoc confirmandum parum ad rem foret.

4° C. IX, 27 legitur, Iosuam constituisse gabaonitas « in ministerio » cuncti populi, et altaris Domini... » usque in praesens tempus, in loco » quem Dominus elegisset. » Verba autem: *Locus quem Dominus elegit*, et *domus Domini*, quae occurrunt v. 23, usitata non fuerunt, nisi post constructionem templi hierosolymitani.

5° Ea quae leguntur c. XV, 13-20 et expugnatio civitatis Lesem per filios Dan, quae cap. XIX, 47 refertur, nonnisi post Iosuae mortem contigisse, constat ex lib. Reg. Mors Iosuae ab ipso scripta non fuit.

136. Prioris sententiae defensores respondent:

1° Iosuam ipsum huiusmodi locutionem adhibere potuisse, quemadmodum eam adhibuit Matthaeus (XXVII, 8; XXVIII, 15).

2° Auctores contemporaneos hodieque adlegare acta publica et authentica sui temporis, praesertim ad res extraordinarias confirmandas; librum iustorum, seu canticorum, videri fuisse canticum ad tale portentum et victoriam celebranda; apostrophem cap. X, 12 ad solem et lunam poëticam esse; II Reg. I, 18 adhuc occurrere librum iustorum, occasione cantici de morte Saulis et Ionathae; in hisce duobus dumtaxat locis mentionem fieri libri iustorum, et utrobique agi de cantico.

3° Aiunt, Iosuam ipsum haec aliquibus annis post eventum scribere potuisse, aut alium auctorem haec adiicere.

4° Verba *domus Dei*, et *locus quem Dominus elegit* designare tabernaculum, aut arcam Domini.

5° Dicunt, haec ab alio hagiographo postea esse addita, cum a Iosue mortuo scribi nequiverint.

§ XXXIV. Liber Iosue saltem ex documentis coaevis constat.

137. Verum si hic liber, prout nunc est, ab ipso Iosue non descendit, ex documentis tamen rebus gestis coaevis constat; nam

1° Cap. XVIII legitur, Iosuam geographicam descriptionem regionis Chanaan curasse, et c. XXIV, 25 refertur, ipsum restaurationem foederis scripsisse. Quidni et reliqua, tum temporis scripto mandata non fuerint?

2° Auctor, nisi ipse Iosuas sit, sine documentis coaevis et authenticis referre non potuisset minutas descriptiones limitum cuiusque tribus, nec sermones Calebi (c. XIV, 6-12), nec verba Phinees (c. XXII, 16-20), nec verba Iosuae ipsius (c. XXIII et XXIV), neque scripsisset (c. VI, 25) « Rahab usque ad hodiernam diem » habitare inter israëlitas, » praetermisso eius coniugio cum Salmone, Naassonis filio, nisi illa in documentis ita reperisset.

3° Cum Moyses res gestas populi electi promissionesque patriarchis factas, scripto consignaverit, nullum dubium, quin ille, qui ei in ducem israëlitarum successit, eius exemplum secutus, res gravissimas, cuiusmodi implementum harum promissionum, per occupationem Chanaan factam, illico vel ipse scripto exceperit, vel saltem conscribi curarit, eo magis, quod limites, cuivis tribui adsignati, documentum scriptum postularent, ne postea lites nascerentur.

Cum vero omnia in hoc libro legem mosaicam spirent, saltem haec documenta ipsius Iosuae fuerunt, utpote qui Moysis individuus comes ac minister ad eius mentem ac voluntatem se conformaverat.

§ XXXV. Aetas libri Iosue.

138. Si liber iste non ab ipso Iosue, saltem ante septimum annum regni Davidis compositus fuit. Patet hoc

1° Quod (c. XV, 63) narratur, iebusaeos non potuisse Ierusalem expelli a tribu Iuda, eosque in hac urbe cum iudaeis habitasse, nulla mentione facta expugnationis arcis Sion ibi septimo anno regni Davidis factae (II Reg. V).

Nomina montium Iuda et Israël (c. XI, 16, 21) recentiorem aetatem non produnt, cum haec nominum oppositio diu ante Davidem obtinuerit, atque orta sit ex praerogativa primogeniturae Iudae, illi (Gen. XLIX, 3-10) a patre Iacobo impertita.

2° Locutio: *usque in hanc diem*, quae frequentissime in hoc libro occurrit, aperte ostendit, librum pluribus post Iosuam saeculis non fuisse exaratum; plura enim adhuc recentia dicuntur extitisse, usque ad tempus, quo eorum historia scripta fuit (conf. n. 135).

3° Liber Iudicum scriptus fuit ante septimum annum regni Davidis (n. 154) et librum Iosue iam scriptum ponit; nam nonnulla in eo e libro Iosue ad verbum repetuntur (ut Iud. II, 6-9 ex Ios. XXIV, 28-31; ac Iud. I, 29 ex Ios. XVI, 10), atque liber Iudicum incipit (c. I, 1, etc.) ab obitu Iosuae, quocum liber Iosue desinit. Si liber Iosue tum non extitisset, auctor libri Iudicum exorsus fuisset ab occupatione et partitione regionis Chanaan, quae eius scopo conveniebant.

§ XXXVI. Fides libro Iosue debita.

139. Auctor vel iuxta ea quae ipse certo sciebat, vel iuxta documenta coaeva omnia religiose narravit: constat hoc: 1° ex sermonibus Calebi, Phinees et Iosuae, ad verbum relatis vel descriptis (n. 137); 2° Ex usu eorundem verborum, ut c. VI, 25, quod habitaret *Rahab inter israëlitas usque in hanc diem* (n. 137): 3° Tribus non recensentur ordine geographico, sed illo, quo partem Chanaan sorte adeptae erant, et in documentis relatae erant; 4° Iosue ante obitum honorifice non compellatur, quod argumento est, saltem illa documenta coaeva a Iosua esse scripta; 5° Omnia, quae in hoc libro narrantur, antiquo illi aevo accurate conveniunt; 6° Iudaei hunc librum ut sacrum receperunt ea aetate, qua auctoris fidem expendere potuissent; et 7° Multa in hoc libro narrata, ab aliis scriptoribus sacris eodem modo referuntur (conf. n. 34-36 et 417-422).

§ XXXVII. Argumentum et scopus libri Iosue.

140. Auctor libri Iosue narrat, quae post Moysis obitum usque ad Iosuae mortem inter hebraeos gesta sunt. Liber generatim in tres partes dispesci potest: prima continet capp. I-XI historiam occupationis regionis Chanaan; secunda complectitur capp. XII-XXII descriptionem Chanaan, divisionemque eius inter tribus factam; tertia comprehendit capp. XXIII-XXIV restaurationem foederis, mortemque Iosuae anno 110 aetatis defuncti. Concluditur porro istis 24 capitibus spatium 17 annorum.

Speciatim vero exponuntur transitus Iordanis (c. III), circumcisio israëlitarum, qui in Arabia Petraea circumcisi non fuerant (c. V), celebratio primi paschatis in regione

Chanaan in Galgalis (ibid.) et expugnatio Ierichuntis. Sex diebus israëlitae semel per diem civitatem circumierant, et die septimo sacerdotibus buccina canentibus, muri eius corruerunt. Iosue Ierichuntem anathemati subiecit, vitam nemini concessit nisi Rahab, quae exploratores hospitio exceperat, eiusque familiae *, et maledixit restauratori urbis (c. VI. Conf. III Reg. XVI, 34). Israëlitis ad civitatem Hai cladem passis, sorte deprehensum est Achanem quidpiam de rebus anathemati ierichuntino subiectis surripuisse; eo lapidato, capta et combusta est civitas Hai, incolae interfecti, et rex eius suspensus fuit (capp. VII-VIII).

Gabaonitae, cum per dolum foedus ab israëlitis impetrassent, perpetuo famulitio subiecti fuerunt, c. IX. Quinque reges Chanaan australis, quos inter rex Iebus, seu Hierosolymae, ob hoc foedus sibi veriti, urbem Gabaon obsederunt. Iosue gabaonitis sociis suppetias tulit, et memorabili praelio, cuius tempore sol et luna cursum suum stitisse leguntur, hos quinque reges devicit, e speluncis extractos suspendit, atque omnem fere Chanaan australem sibi subiecit (c. X).

Reges chanaanitarum borealium tum metuentes, ne a Iosua particulatim debellarentur, viribus cum Iabino rege Azor sociatis, obviam Iosuae processerunt prope Merom. Sed Iosue eos ingenti clade prostravit, et totam ferme Chanaan aquilonarem sibi submisit (c. XI).

Circa annum septimum post ingressum in Chanaan, regio isthaec geographice descripta fuit, et sorte inter tribus divisa, urbes asyli fuerunt constitutae (c. XX), et levitis traditae 48 civitates (c. XXI). Tandem restauratum fuit foedus in Sichem, et Iosue mortuus, ac sepultus fuit in Thamnathsare.

141. Ex hisce liquet scopum auctoris in loc libro fuisse, edocere lectores, quomodo promissiones patriarchis factae opere completae fuerint.

DIFFICULTATES LIBRI IOSUE

§ XXXVIII. Transitus Iordanis. Collapsio murorum Ierichuntis, et pluvia lapidum.

142. Inter difficultates, quas deistae urgent, venit

1° *Transitus Iordanis*. Aquae superiores huius fluvii divisae ex una parte versus Sarthan instar montis conglomeratae fuerunt, et aquae inferiores ex altera parte in mare Mortuum dilapsae sunt, donec sacerdotes arcam ferentes, populusque hebraeus per alveum eius transiissent (c. III).

Hoc per miraculum contigisse in dubium revocari non potest, ipsiusque praedictio a Iosua facta id satis evincit. Monumentum vero, in huius miraculi memoriam in castris hebraeorum erectum, id sequentibus aetatibus testatum fecit. Fuit autem hoc miraculum Deo dignum, atque ad finem maxime momentosum, ad conservationem nempe verae religionis, atque ad israëlitarum, iuniorum praesertim, fidem in unum Deum, creatorem universi, rectorem providentissimum omnium, ac protectorem peculiarem gentis iudaeae, confirmandam.

143. 2° *Collapsio moeniorum Ierichuntis* eo temporis momento, quo

* Textus hebraeus mulierem Rahab vocat Zonah, quam vocem s. Hieronymus pluresque alii per meretricem reddiderunt. Alii vero contendunt vocem Zonah significare copam, hospitam. Aiunt insuper, exploratores Iosue apud publicam meretricem hospitaturos non fuisse, cum huiusmodi mulieri consilia sua tuto concredere haud potuissent, et Salmonem, principem de tribu Iuda, meretricem, et quidem paganam, in coniugem ducturum non fuisse, cum tamen ipsam, iuxta Matth. 1, 5, reapse duxit. Vide Calmet: Dict. bibl. art. Rahab, et Guénée: Lettres de quelques juifs, etc. t. 1, p. 145, Paris, 1817.

hebraei hanc urbem circumibant, ac vociferabantur (c. VI).

Et hoc miraculum fuit, Deo dignum, et ad eumdem gravissimum finem cum priori conspirans. Potuerunt autem illa moenia illico corruere per terrae motum, illo temporis puncto divina dispositione exortum. Prodigiosa fuit illius praescientia Iosuae, utpote quae omnem cognitionem humanam superat.

144. 3° *Pluvia lapidum in chananaeos* (c. X, 11). Verum in posteriori parte huius versus undecimi legitur, hosce lapides fuisse *lapides grandinis:* « Mortui sunt, ibi dici» tur, multo plures lapidibus gran» dinis, quam quos gladio percus» serant filii Israël.» Auctor Ecclesiastici XLVI, 6, LXX interpretes, versio arabica, et Fl. Iosephus Antiq. (l. 5, c. 1), pariter referunt istam pluviam fuisse ingentis grandinis. Prodigiosa tamen fuit cum plurimos chananaeos occiderit, iudaeos vero non laeserit.

§ XXXIX. Statio solis sub Iosua.

145. Ios. X, 12-14, legitur, Iosuam tempore praelii prope Gabaon dixisse: « Sol contra Gabaon ne mo» vearis, et luna contra vallem Aia» lon. Steteruntque sol et luna, do» nec ulcisceretur se gens de ini» micis suis. Nonne scriptum est » hoc in libro iustorum? Stetit ita» que sol in medio coeli, et non » festinavit occumbere spatio unius » diei. Non fuit antea nec postea » tam longa dies, obediente Domi» no voci hominis. »

146. Prima sententia. Omnes veteres interpretes, omnesque antiqui patres, iuxta suae philosophiae placita existimantes, terram esse centrum systematis planetarii, solemque iuxta illam circum ire, Iosuae textum per veram stationem solis et lunae explicarunt, ut Iustinus (Dial. cum Tryphone), Tertullianus (lib. de ieiuniis c. 10), Hieronymus (lib. 2 contra Iovinian.), Chrysostomus (Hom. 27 in Ep. ad hebr.), Augustinus (de civit. Dei l. 2, c. 8), Theodoretus (Quaest. 14 in Ios. etc).

Verum cum dudum constet, solem esse centrum systematis planetarii, terramque circa illum volvi, laudata textus Iosuae explicatio cum systemate Ptolomaei iamdiu obsolevit.

147. Secunda sententia. Communis itaque facta est sententia, Iosuam locutum esse de apparenti solis, et de vera terrae ac lunae statione, eo quod sol nobis videatur loco moveri, licet reipsa moveatur tellus; quemadmodum in navi existenti videntur littora, etc., recedere, quamvis reapse moveatur navis:

Deserimus portus, sylvaeque urbesque recedunt.

Atque ita astronomi in suis ephemeridibus, nosque in sermone quotidiano dicimus: *Sol oritur, occidit, etc.*, licet persuasum nobis sit tellurem, neutiquam solem loco moveri. At magnae huic explicationi opponuntur difficultates tum a deistis, tum ab interpretibus alias sententias sequentibus.

Obi. 1° Aiunt, iuxta theoriam d. Newton corpora coelestia in systemate planetario motu suo adeo sibi colligata sunt, ut unum ad quietem adigi non possit, quin caetera omnia perturbentur, totumque systema planetarium destruatur.

2° Si tellus, quae quovis minuto 400 leucas conficit, rapidum suum cursum subito stitisset, omnia aedificia telluris concuti, ac destrui debuissent.

3° Cum sol esset prope Gabaon et luna prope vallem Aialon, erant ambo sub eodem circulo meridiano. Luna proinde erat invisibilis ob lucem solis. Ad quid igitur iussisset

Iosue lunam cursum suum sistere, quod nullo ipsi futurum erat usui?

4° Si luna tamdiu in eodem loco stitisset, tantum fluxum maris civisset, ut omnia aquis submersa fuissent.

5° Si dies geminatus fuisset, incolae calidae Palaestinae aestu fere perire debuissent, militesque Iosuae praeliando viribus defecissent.

6° Si terrae cursus inhibitus, diesque geminatus fuisset, id in toto orbe notum fuisset, scriptoresque antiqui de hoc phaenomeno tam extraordinario locuti fuissent, quod factum non est.

7° Si tantum miraculum contigisset, Iosue miraculorum virtute superasset Moysen, quod contradiceret Deut. XXXIV, 10.

8° Si textus libri Iosue litteraliter sumendus esset, sequeretur falsum esse, quod experimento constat, in regionibus polaribus dies multo longiores esse, quam illa Iosuae.

148. Responderi vero potest, ad primam, secundam et quartam, Deo perinde esse maius aut minus miraculum patrare; qui systema planetarium creavit, planetis suum motum, et lunae vim attrahendi aquas maris indidit, facile inhibere potuisse cursum unius planetae, quin alii perturbarentur, et quidem eo modo ut tellus non concuteretur, neque maximus ille maris fluxus existeret.

Ad tertiam et quintam, luna cursum suum sistere debuit, eo ipso quod tellus suum cursum sistebat. Difficile Deo haud fuit calorem solis temperare. Omnes vero milites Iosuae sine intermissione pugnasse, nullibi legitur.

Ad sextam, antiqui scriptores profani, quorum opera aut fragmenta extant, sunt Iosua multis saeculis posteriores (conf. n. 99), ut ita hoc factum aut ignoraverint, aut ipsum falsum existimantes referre noluerint. Ex libris sacris iudaeorum illud non deprompserunt, eo quod illis, ut pagani, nullam fidem habebant. In annalibus sinensibus dicitur, solem sub Yao, septimo sinensium imperatore, decem diebus continuis supra horizontem mansisse, quae exaggeratio facile ex statione solis sub Iosua oriri potuit (1).

Ad septimam, sensus Deut. XXXIV, 10 est, neminem usque ad illud tempus tam familiariter cum Deo conversatum fuisse quam Moysen: « Non » surrexit ultra, ibi dicitur, prophe- » ta in Israël sicut Moyses, quem » nosset Dominus facie ad faciem; » proinde ibi de miraculis quaestio non est.

Ad octavam, auctor libri Iosue loquitur de Palaestina, in qua scribebat, non vero de aliis regionibus.

149. Tertia sententia, quam sequitur cl. Bergier (2), aliquantulum proxima est primae explicationi patrum (n. 146), statuitque, Deum per miraculum produxisse crepusculum solis, ut ita radii solares lineam curvam descripserint, et 12 horis horizontem illustraverint. Hac in sententia motus consuetus planetis servatur, et difficultates n. 147, 1°, 2°, 4° et 5° recensitae, evanescunt. Difficultates septima et octava superiori animadversione tolluntur, difficultates vero tertia et sexta permanent; nisi tertiae difficultati reponatur Iosuam poëtice, aut emphatice locutum fuisse, et ad sextam idem respondeatur atque in priori sententia.

150. Quarta. Tandem plures recentiores, quos inter cl. Iahn et de Brentanno (3), contendunt, locum Iosue (X, 12-14) poëticum esse,

(1) Vide Martinum Martinium, hist. Sinens. l. 1.
(2) Dict. de théol. art. soleil.

(3) Iahn: introduct. in L. S. V. F. Viennae, 1804, Brentanno Ios. 10. 12-14. Franc. 1801.

eumque significare, Iosuam emphatice exoptasse, ut dies ad internecionem hostium produceretur, ipsumque tantam hostium stragem edidisse, ac si dies geminatus fuisset. Ratio eorum est, quod versus 12-14 ex libro Iustorum seu Carminum, qui adlegatur, desumpti, aut versus 12, et dimidius versus 13 usque ad, *In libro Iustorum*, ex cantico victoriae Iosuae, et reliqua versuum 13 et 14 ex laudato libro Iustorum deprompta esse videntur. Librum autem Iustorum poëticum fuisse censent, tum ob locum adlegatum, tum ob II Reg. I, 18, ubi adhuc citatur liber Iustorum, etiamque de cantico, seu de poësi quaestio est (conf. n. 136).

Provocant dein 1° ad Iud. V, 20, ubi stellae poëtice dicuntur *pugnasse adversus Sisaram*: « De coelo dimicatum est contra eos (ibi dicitur); stellae manentes in ordine et cursu suo adversus Sisaram pugnaverunt; »

2° Ad Isaiae XXX, 26 ubi legitur: « Erit lux lunae sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui. »

Haec sententia omnes allatas difficultates resecat. Verum cum non constet, locum c. X, 12-14 ex libro Iustorum seu Carminum, aut partim ex illo, et partim ex cantico triumphali desumptum esse, dicendum est hac in hypothesi, illum vel ex his fontibus descendere, vel ab auctore libri poëtice esse scriptum. Cum vero Ecclesiastici XLVI, 5 de die Iosue dicatur: « Impeditus est sol, et una dies facta est quasi duo; » atque Habacuc III, 11: « Sol et luna steterunt in habitaculo suo, » pariter in hac hypothesi dicendum est haec duo loca esse poëtica.

« Maimonides et hebraei, quos citat Masius, ait Grotius.... agnoscunt.... phrasin poëticam quasi sol expectasset donec occisio hostium peracta foret (1).»

Verum haec ultima sententia incerto fundamento nititur; litterali et obvio scripturae sacrae sensui est contraria, et miraculum prorsus tollit, quod a iudaeis, patribus, et christianis semper admissum fuit.

NB. Menda nonnulla minoris momenti in textum hebraicum libri Iosue irrepsisse, minime mirabitur quicumque illius antiquitatem, omniumque apographorum sortem perpenderit. Locus c. IV, 9 cl. Iahn mendo vel interpolatione laborare videtur.

DE LIBRO IUDICUM HEBR. SOPHETIM

§ XL. Lingua et auctor libri Iudicum.

151. Liber *Iudicum* exaratus fuit lingua hebraica.

152. Quis vero illius auctor sit haud constat: alii eum sacerdoti Phinees, alii Ezechiae, alii Esdrae, et alii cum thalmudistis illum attribuerunt Samueli, cuius monita spirat. Ipsum vero non esse ab auctore libri Iosue confectum, ex eius diversa narrandi ratione, et ex diversa elocutione patet.

§ XLI. Liber Iudicum ex antiquissimis documentis depromptus est.

153. Hoc palam fit 1° ex historia Samsonis duobus documentis constante, quae (c. XV, 20 et c. XVI, 31) ambo iisdem verbis concluduntur: « Iudicavitque Israël viginti annis; »

2° Ex cantico Debborae, quod in testimonium victoriae Barac, c. V, adfertur;

3° Ex verbis parabolae Ioatham, c. IX;

4° Quod nonnulla ex libro Iosue deprompta sunt, ut c. II, 6-9, coll.

(1) Grotius: Annot. in Ios.

cem Ios. XXIV, 28, 31, et Iud. I, 29 coll. cum Ios. XVI, 10;

5° Diversitas styli diversa documenta arguit;

6° Produnt se varia documentorum fragmentta c. III de Samgar, c. X de Tola et Iair, c. XII de Abesan, Ahialon et Abdon, quorum tantum anni regiminis recensentur, nulla mentione facta de rerum ab iis gestarum, utpote quae in illis fragmentis inventa non fuerant.

7° Diversa documenta, et historiae a superioribus prorsus distinctae occurrunt c. XVII et XVIII atque c. XIX, XX et XXI.

§ XLII. Aetas libri Iudicum.

154. Aetas primae potiorisque partis libri Iudicum referenda est ad tempus, quod septimum annum regni Davidis antecedit; nam, 1° (c. I, 21) dicuntur iebusaei habitasse adhuc illo tempore Hierosolymis, nulla mentione facta expugnationis arcis Sion, quae locum habuit anno septimo regni Davidis, qui iebusaeos tum inde expulit (II Reg. 5); 2° Desideratur in hoc libro historia Samuelis, immo et Heli. Quod probat libria uctorem Heli aut antiquiorem, aut coaevum fuisse, qui hosce eventus utpote nullosdum, aut saltem notos recentesque omisit. Oportet igitur hunc librum scriptum fuisse saltem primis annis regni Saulis, forte ab ipso Samuele.

§ XLIII. Fides libro Iudicum debita.

155. Auctor librum suum summa cum religione e documentis antiquis composuit; 1° enim verba illorum frequenter servavit, ut styli diversitas innuit, et ipsam duplicem clausulam documentorum historiae Samsonis (c. XV, 20 et c. XVI, XXXI) (n. 153).

2° Omnia prae se ferunt veritatis indicia: nam auctor narrat, hebraeos, antea pauperes, in fertili regione Chanaan molles factos esse, taedio bellorum intestinorum captos, contentosque quod chananaeos tributarios reddidissent, hisce idololatris pepercisse, et ob commercium cum illis lapsos esse in idololatriam, quae voluptates ac mollitiem in religionis partem numerabat: quare effoeminati iudaei suis hostibus succubuerunt, atque a chananaeis et aliis gentibus in servitutem saepius redacti inde a viris praecellentis plane virtutis a Deo missis, populumque ad arma concitantibus, liberati sunt. Tales viri, ut Aod, Iephte, Samson, et Gedeon ut illustres quidem exhibentur, at eorum naevi minime silentur.

3° Omnia, quae in hoc libro narrantur antiquo illi aevo apprime conveniunt, quaeque pro illorum temporum conditione duriora gesta sunt, minime excusantur.

4° Multa in hoc libro relata in aliis libris sacris eodem modo referuntur. Tandem

5° Hebraei hunc librum ut sacrum receperunt, quando illius documenta adhuc extabant, et quando veracitatem auctoris potuissent expendere (conf. n. 34-36 et 417-422).

§ XLIV. Argumentum et scopus libri Iudicum.

156. *Iudices*, quorum nomen fert hic liber, erant gubernatores supremi iudaeorum, qui eos a morte Iosuae, usque ad Saulem primum illorum regem spatio, quatuor circiter saeculorum, gubernarunt. Hi iudices, a fastu regum alieni, militiae praepositi, bella indicebant et componebant, atque hebraeos iuxta legem Moysis regebant.

Constat hic liber tribus partibus, quarum prima complectitur XVI prima capita: secunda continet cap. XVII et XVIII, et tertia comprehen-

dit cap. XIX, XX et XXI. Duae ultimae partes, quae ut appendices libri haberi possunt, continent historias a se invicem, et ab historiis primae partis distinctas, quae tempore iudicum contigerunt.

Prima parte narratur (c. I-II), quasdam tribus chananaeos exterminasse, alias eosdem tributarios tantummodo reddidisse; quare legatum divinum annuntiasse, chananaeos postea praevalituros, atque iudaeos in idololatriam abducturos. Adnotat auctor, israëlitas, quamdiu Deo fideles fuerunt hostium victores extitisse; cum vero chanaanitis pepercerunt, seque matrimonio illis iunxerunt, in idolorum cultum ab ipsis fuisse pertractos, necnon ab aliis gentibus subactos; ad Deum autem denuo conversos, nactos esse viros praecellentis virtutis, qui illos in libertatem vindicarunt. Haec confirmantur historiis Aod (c. III), Debborae et Barac (c. IV), Gedeonis (c. VI-VIII), Iephte (c. XI-XII), et Samsonis (c. XIII-XVI).

157. Ex hisce liquet scopum auctoris fuisse, iudaeos monere, quod felices esse haud possent, nisi observarent accurate legem Dei a Moyse traditam.

158. Parte secunda seu appendice prima exponitur, quomodo Michas idolum et sacerdotem levitam in domo sua constituerit, et quomodo danitae furati idolum Michae, illiusque sacerdote abducto, idololatrae facti sint, atque capta civitate Lais, seu Lesem, eam sibi in possessionem vindicaverint. Haec appendix fuse explicat, quae Ios. XIX, 47 breviter indicantur.

Aetas huius appendicis refertur ad tempus, quo monarchia apud iudaeos iam stabilita erat; nam auctor (c. XVII, 6; c. XVIII, 1 et 31) ait, quae scripsit contigisse, *quando non erat rex in Israël*, quod ostendit, regem fuisse in Israël, quando illa scripsit.

Appendix isthaec ex documento antiquissimo, et quidem non integro, deprompta sit oportet, cum auctor in media fere re historiam suam ordiatur.

Fides ei debita vel inde probatur, quod omnia veritatem prae se ferant, et antiquae illi aetati apprime conveniant, ut exigua merces sacerdotis Michae, decem nempe argentei, duplex vestis et victus per annum (c. XVII, 10).

159. Parte tertia seu appendice secunda, narratur concubinam alicuius levitae in civitate Gabaa, tribus Beniamin, ad mortem usque fuisse constupratam: quare levita, secto concubinae corpore in duodecim partes, singulas ad singulas tribus misit. Undecim tribus propterea congregatae, auctores tanti flagitii, morte puniendos a beniamitis postularunt; beniamitas id praestare renuentes bello petierunt, ab illis bis fusae, tertio tamen victrices, totam tribum Beniamin deleverunt, 600 viris exceptis, qui se in rupem Remnon receperant. Israëlitae autem postea tribum Beniamin instaurarunt 400 puellis, in caede incolarum Iabes Galaad servatis; raptisque Siluate choros ducentibus.

Appendicem hanc scriptam esse tempore monarchiae iudaeorum liquet inde, quod (c. XXI, 24) legatur res narratas evenisse, *quando non erat rex in Israël* (conf. n. 158). Auctorem usum esse documento antiquo, satis patet ex minutis adiunctis, quae recenset.

Fides huic appendici debita sat inde colligitur, quod nemo iudaeorum induci potuerit ad confingendam hanc historiam nationi iudaicae probrosam. Caeterum notissima ponitur Oseae IX, 9.

DIFFICULTATES LIBRI IUDICUM

§ XLV. Eglon et Aod. Sisara et Iahel.

160. Deistae obiiciunt imprimis tyrannicidiun Eglon et Sisarae.

C. III. Narratur, Eglonem moabitarum regem, adiunctis sibi ammonitis et amalecitis, et capta urbe Palmarum seu Iericho, israëlitas in servitutem redegisse. Annis 18 elapsis, Aod, vir fortissimus de tribu Beniamin, ab israëlitis missus ad regi munera vel tributa deferenda, consilium init regem occidendi, atque ita israëlitas in libertatem vindicandi. Gladio igitur ancipiti sub vestibus abdito , oblatis regi muneribus, sociisque dimissis, regem praetextu arcani aperiendi solum prehendens interemit. Tum vocatis israëlitis, moabitas, inopinata regis nece conterritos, improvise adortus, eorum circiter 10,000 occidit, atque ita israëlitas libertati restituit.

161. C. IV refertur, israëlitas post mortem Aodi in idololatriam lapsos, 20 annis a Iabino rege Asor in terra Chanaan oppressos fuisse. Poenitentibus israëlitis Debbora, iudex in Israel, excitavit Barac de tribu Nephthali, ut collecto de tribubus Nephthali ac Zabulon 10,000 bellatorum exercitu, Sisaram, Iabin regis belli ducem, aggrederetur, populumque Israël liberaret. Erant Sisarae 900 currus falcati, et ingens exercitus. Barac cum suis tanto cum impetu de monte Thabor in chananaeos irruit, ut illos profligaverit. Sisara hac inopinata clade conterritus, vitae melius consulturus, relicto curru, pedibus aufugit. Iahel uxor Habri Cinaei, qui pacem cum chananaeis stipularat, eventuum verisimiliter inscia, fugitivum ducem prope domum suam transeuntem, ad se invitat. Precanti, ut, si quis hostium illum inquireret, negaret quemquam adesse, annuit illa. Sitibundo aquam petenti in potum dedit lac, verisimiliter acidum, seu spissatum lac camelinum quod inebriat, eumque pallio cooperuit. Iahel paulo post rerum certior facta, perpendens se furorem Barac experturam esse, ubi Sisaram apud se inveniret, somno sopitum ducem interemit, clavum per eius tempora agendo, eiusque cadaver mox Baraco fugientem insecuto ostendit.

Deistae haec Aodi et Iahelis gesta laudibus extollerent si apud romanos aut graecos contigissent, sed cum apud iudaeos evenerint, detestantur. Aiunt a scriptura sacra approbari tyrannicidium, eo quod Aod et Iahel inibi laudentur. Verum nisi caeco in libros sacros odio laborarent, intelligerent, Aodum et Iahelem laudari ob fortitudinem et pietatem in patriam, non vero propter vitae sanctitatem, gestorumque honestatem.

Quod vero Barac cum 10,000 hominum ingentem Sisarae exercitum profligaverit, minime incredibile est; nam orta tempestate, ut cap. V, 4-5 habetur, de summitate montis Thabor in Sisarae exercitum irruit (c. IV, 12-14), qua improvisa ac vehementi aggressione currus Sisarae turbati, et collisi (c. V, 11), concurrentibusque equis fracti, vias obstruxerunt, ita ut milites Sisarae nec facile pugnare, nec fugere potuerint, ipseque Sisara de curru suo desiliit, ut pedester facilius se in tutum reciperet.

§ XLVI. Samgar et Gedeon.

162. C. III, 31 legitur, Samgar, uno vomere armatum, 600 *Philisthaeos percussisse.*

Ast non dicitur quod fuerit solus; Samgar philisthaeis, in hebraeos agros arantes irruentibus, primus restiterit, seque aliis iudaeis ducem

praebuerit; ut ita hoc factum illi uni ut duci tribuatur, quemadmodum victoria praelii tribuitur duci exercitus. Ceterum vox *percutere* significat *profligare*.

163. Miracula, quae in historia Gedeonis (c. VI) leguntur de angelo, qui cibos lapidi impositos admota virga accendit, et de rore, qui in vellere, et circum vellus repertus fuit, arcte connexa sunt cum historia (c. VII, 1-8), qua refertur Deum ad debellandos madianitas totum exercitum a Gedeone dimitti iussisse, 300 dumtaxat bellatoribus retentis; dimissio vero isthaec cohaeret arctissimo nexu cum victoria (c. VII, 16-25), quam Gedeon ope 300 istorum militum de ingenti madianitarum exercitu retulit. Quare sine illis miraculis victoria explicari haud posset. Stratagema vero, quod Gedeon ad victoriam referendam adhibuit, dando militibus tubas ac lucernas in hydriis absconditas, atque ita dormientes madianitas media nocte improvise adoriendo, panicum timorem hostibus incussit, quare semetipsos mutuo trucidarunt. Gedeon vero suum exercitum non dimisisset, hocque stratagema non adhibuisset, nisi de eius felici eventu a Deo certior redditus fuisset. Extant in historia profana exempla similium stratagematum, quibus pauci viri innumeris hostibus huiusmodi panicum timorem incusserunt. Diotas simili stratagemate usus est in urbe Heraea (1), et falisci per timorem panicum totum romanorum exercitum in fugam egerunt (2).

Iephten filiam suam (de qua c. IX) in sacrificium cruentum Deo non obtulisse, sed eam Dei servitio consecrasse, probavimus n. 64.

(1) Polyaenus, l. 2, c. 37.
(2) Vide Frontinum, l. 2. Stratag., c. 4.

§ XLVII. Samson. Num sanctus sistitur? Eius robur. Leo occisus, et mel in eius ore.

Obi. 164. Deistae plures difficultates opponunt veritati historiae Samsonis c. XIII-XVI relatae.

1° Aiunt, virum illum crudelitate inaudita in philisthaeos (XIV, 19), et fornicationibus infamem (c. XVI), minime meruisse, ut eius nativitas ab angelo praediceretur (c. XIII), illum vindictae exercendae causa semetipsum interemisse (c. XVI); legi tamen (XIV, 19) *spiritum Domini in illum irruisse* antequam 30 philisthaeos occideret, et s. Paulum (Hebr. XI, 33) de illo dicere quod « per fidem vicerit, operatus sit iu» stitiam, et adeptus sit repromis» sionem. »

Resp. Verum quae Deus Samsoni praestitit, non in remunerationem eiusdem virtutis, sed in protectionem et defensionem populi sui fecit. Ut Deus Samsone ad suos fines uteretur, illum sanctum efficere haud tenebatur.

Verba illa: « Irruit in Samsonem spiritus Domini » hic non significant *inspirationem divinam*, aut *amorem virtutis*, ut iam observavit cl. Bergier (3). *Spiritus* in scriptura crebro sumitur pro *impetu fortitudinis*, pro *ira*, et vox *Dei* aut *Domini* frequenter designat superlativum (4); atque ita apud hebraeos significant saepe: *Timor Dei* summum timorem, *somnus Dei* somnum profundissimum, *montes Dei* montes altissimos, *cedri Dei* cedros praealtas, *spiritus Domini*, summum impetum, iram maximam; atque adeo I Reg. XI, 6 dicitur, *Saulem a spiritu Domini correptum* et in furorem versum fuisse: « Insilivit, ibi dicitur, » spiritus Domini in Saul, cum au» disset verba haec, et iratus est » furor eius nimis. »

(3) Bergier, Dict. de théologie, art. Samson.
(4) Glassii philolog. S. p. 592, 1452.

Quod spectat ad allatum textum d. Pauli (Hebr. XI, 33) vox *fides* in sensu s. Pauli significat *fiduciam in Deum,* negari autem haud potest, Samsonem hanc fiduciam habuisse; vox *iustitia* significat *cultum veri Dei,* Samson sane verum Deum coluit; Samson *adeptus est repromissionem,* quia expertus est *effectus promissionum,* quibus Deus repromiserat se protecturum veros suos cultores.

165. *Obi.* 2° Vis, inquiunt deistae, quae Samsoni in libro Iudicum attribuitur, incredibilis est. Quomodo credi potest Deum huiusmodi viro vires supernaturales dedisse?

Resp. Ast vires Samsonis minime fidem superant. Scriptura sacra non dicit vires Samsonis supernaturales fuisse. In historia profana reperiuntur viri, qui aequales aut etiam maiores vires habuerunt (Conf. n. 172). Sed etiam si Deus Samsoni vires supernaturales concessisset, illas ei non in remunerationem virtutis, sed in protectionem populi sui dedisset.

166. *Obi.* 3° C. XIV, 5-8 legitur, aiunt, Samsonem cum parentibus in Thamnatha euntem, quaesiturum sponsam philisthaeam, occidisse iuniorem leonem, et *post aliquot dies* invenisse in ore istius leonis examen apum ac mel. Aristoteles autem (Hist. animal. l. 4, c. 8), Varro (De re rustica l. 3, c. 16), et Plinius (Hist. Nat. l. 11, c. 18) testantur apes putredinem fugere.

Resp. Verum insolitum haud est leonem occisum fuisse a viro non armato: praestiterunt id etiam David et Banaias (I Reg. XVII, 34; II Reg. XXIII, 20). Polydamas pariter in monte Olympo magnum leonem sine armis superavit (1). Plinius vero scribit (2), in theatris romanis leones saepius suffocatos fuisse, vestibus eorum capiti iniectis.

Falsum autem est, Samsonem hasce apes in putrido ore leonis invenisse; reperit enim illas in *calvario* exsiccato *post annum.* Cadavera in aestuosa Palaestina intra annum facile exsiccantur, et ab insectis corroduntur. Vulgata equidem habet, Samsonem hasce apes invenisse *post aliquot dies,* sed textus habet, *post dies,* sponsaliorum nempe cum muliere in Thamnatha contractorum, quae apud hebraeos anno integro durabant (conf. n. 63). Cum textu consentiunt LXX interpretes. In capite Onesili, ab amatusiis super portam suae civitatis collocato, etiam inventum fuit examen apum (3).

§ XLVIII. Continuatio de Samsone. 300 vulpes.

167. (C. XV, 4-5) dicitur, Samsonem 300 vulpes cepisse, earumque caudis colligatis faces adligasse, et vulpes ita dimisisse, quae ignem intulerunt segetibus, vineis ac olivetis philisthaeorum.

Nonnulli, quos inter cl. Contant de la Mollette (4), contendunt vocem hebraicam, quam vulgata reddidit per *vulpes,* significare *vulpes* et *manipulos* (5), ita ut iuxta illos Samson 300 *manipulos* binos colligaverit; faces medio eorum adligaverit, eosque ita proiecerit in philisthaeorum segetes, quae conceptum ignem vineis ac olivetis communicassent. Versio arabica (c. XV, 4-5) reapse habet: « Et ivit Samson, et arripuit » trecentos manipulos, convertendo » extremitates duorum in sese, et » imposuit titionem inter duos, etc. »

Quidquid sit, etiam si vox hebraica vulpes significet, minime legitur, Samsonem solum illas cepisse; cum enim iudex nationis iudaicae esset,

(1) Pausanias, l. 6, c. 5. (2) Plin., l. 8, c. 21.
(3) Herodot. l. 3, c. 114.
(4) Contant de la Mollette: Nouvelle méthode pour entrer dans le vrai sens de l'ecriture sainte, Paris, 1777.
(5) Vide Bergier, dict. de théol., art. Samson.

suos sane habuit, qui opem praestiterunt. Captura autem vulpium illi uni attribuitur, quemadmodum expugnatio alicuius civitatis attribuitur belli duci.

Vulpes autem istae fuerunt sciakal seu *canes aurei*, qui hebraeis nomine vulpium veniunt, et medii quid sunt inter vulpes, canes et lupos, sunt longitudinis 3 1/2 pedum, et pilos flavos habent. In Palaestina gregales sunt, hominum societatem quaerunt ac facile capiuntur. Vulpes proprie dictae consilio Samsonis minime respondissent, tum quia astutissimae difficillime capiuntur, tum quia cum adligatis ad caudas facibus accensis per campos divagatae non essent, sed cavernas suas subterraneas petiissent (1).

Caeterum Samson etiam 300 veras vulpes, quibus Palaestina satis abundat, cum suis facile capere potuisset, ita ut in hac ipsa hypothesi deistae quid rideant non habeant. I. Caesar quidem 400 et Pompeius 600 leones theatro romano suppeditarunt (2), et sub imp. Probo simul in arena fuerunt 100 struthiones, 1000 cervi, 1000 apri, 1000 anseres, 1000 ibes, 1000 oves sylvestres, 100 leopardi libyci, 100 leopardi syrii, 100 leones, 100 leaenae, et 300 ursi (3). An mirum igitur Samsonem 300 vulpes habere potuisse?

Adhuc modo orientales segetes inimicorum, quibuscum bellum gerunt, comburunt, eorumque arbores succidunt (4).

§ XLIX. Samson 30 philisthaeos occidit, novos funes ac recentes nervos rumpit, et 1000 percutit philistaeos.

168. C. XIV, 19 refertur, Samsonem 30 philisthaeos occidisse in Ascalon, ut eorum vestes daret philisthaeis, qui solverant eius problema de melle in ore leonis reperto.

At Samson, viribus extraordinariis praeditus, facile potuit istos 30 philisthaeos singillatim occidere dum eorum alios post alios obviam habebat.

169. C. XV, 13-14 et XVI 7-12 dicitur, Samsonem novos funes, et recentes nervos, quibus vinctus erat, disrupisse.

Ast id mirum haud est, cum viribus extraordinariis polleret.

170. C. XV, 16-17 Samson dicitur 1000 philisthaeos maxilla asini percussisse.

Verum vox hebraica *percutere* non significat omnes 1000 philisthaeos *interemtos* fuisse, sed indicat Samsonem, arrepta asini maxilla, qua ut gladio homines percuti possunt, parte eorum interempta, caeteros profligasse, seu in fugam egisse. Victoria illa quidem uni Samsoni tribuitur, sed dubitandum non est, quin hebraei cum illo profecti in philisthaeos, qui iam paventes ad illum venerant, et ad confractionem eius vinculorum timore perculsi fuerant, irruerint, ac Samsonem iuverint, ut ita profligatio istorum 1000 philisthaeorum illi uni attribuatur, quemadmodum victoria alicuius praelii adscribitur belli duci.

§ L. Fons in maxilla.

171. Legitur c. XV, 19 e dente maxillae ad preces sitibundi Samsonis scaturiisse fontem, cuius aqua Samson post victoriam de 1000 philisthaeis relatam refocillatus fuit.

Ast fons iste non scaturiit e dente illius maxillae, qua Samson armatus istos philisthaeos percusserat, nec e terra exoriens per dentem

(1) Vide Hasselquist Reis., p. 271 et 550; Chardin, Voyage en Perse, t. 1, p. 25. Belon, Observations de plusieurs singularités, l. 2, p. 562. Morison, Voyage du mont Sinaï, l. 2, c. 51.

(2) Plin., Hist. nat., l. 8, c. 16.
(3) Fl. Vopiscus in Probo.
(4) Egmont. and Heyman Travels v. I, p. 50

istius maxillae effluxit, ut nonnulli perperam accepta versu 19 significatione, existimarunt, sed scaturiit e *rupe* seu loco illo, in quem Samson maxillam asini post philisthaeorum cladem proiecerat, et qui *Maxilla* seu *Lechi* vocabatur. Maxillam seu Lechi fuisse locum elevatum, patet ex c. XV, 9 et 14 collatis cum versu 19. Profecto fons per exiguum dentis foramen scaturiens, aut defluens, Samsonem, prae extrema siti fere emortuum, refocillare haud valuisset. Orientalibus frequens est denominatio a maxilla, et in libris sacris occurrit *Maxilla Moab*. Hebraei vero nomine dentium nonnumquam compellabant rupes, ut I Reg. VII, 12: *Inter Masphat, et inter Scen* (dentem), et I Reg. XIV, 4: *Quasi in modum dentium scopuli hinc inde praerupti*, etc. Quare fons Samsonis per miraculum scaturiit e rupe, Maxilla seu Lechi nuncupata. Patet id praeterea ex eo quod auctor libri Iudicum ait, fontem istum suo tempore adhuc extare. Quare in paraphrasi chaldaica legitur: « Rupit Deus rupem, quae in maxilla, » et exierunt ex ea aquae.... propterea vocatum est nomen eius » fons, qui datus est in oratione » Simson. Ecce ipse constans in » Lechi usque ad diem hanc; » quapropter LXX interpretes locum fontis Samsonis *maxillam* vocant non vero *maxillam asini*: Καὶ, aiunt, ἤνοιξεν ὁ Θεὸς τὸ τραῦμα τῆς Σιαγόνος, καὶ ἐξῆλθεν ἐξ αὐτοῦ ὕδατα. Διὰ τοῦτο ἐκλήθη τὸ ὄνομα αὐτῆς Πηγὴ ἐπικαλουμένου ἥ ἐστι ἐν Σιαγόνι ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης: « Et aperuit Deus vulnus » Maxillae, et egressae sunt ex eo » aquae.... idcirco adpellatum est » nomen fons invocantis, qui est in » Maxilla, usque ad diem hanc. »

Quare Fl. Iosephus (Antiq. l. 5. c. 10), Arias Montanus, Clericus, Schmidt, Calmet, Iahn, Brentanno, etc., per *maxillam*. e qua fons Samsonis scaturiit, locum Lechi intelligunt.

§ LI. Asportatio forium civitatis Gazae. Amissio virium Samsonis. Destructio templi Dagonis in Gaza. Mors Samsonis.

172. C. XVI, 1-3 narratur Samsonem, cum in civitate Gaza ad meretricem divertisset, et a philisthaeis, ut caperetur, urbi inclusus esset, abstulisse *fores* civitatis *cum postibus et sera, et in verticem montis Hebron respicientis* detulisse.

Verum hoc vires eius naturales minime excessit: profecto fores istius civitatis foribus nostrarum urbium munitarum similes haud fuerunt; iis tantum utebantur ad aditum in urbem intercipiendum. Historia autem profana nobis sistit viros, qui aequalia, aut etiam maiora pondera tulerunt: sic Plinius narrat, Athenatum quemdam lorica plumbea 500 librarum, et cothurnis eiusdem ponderis indutum in theatro obambulasse. Scheuchzer vero in sua physica sacra refert, germanum aliquem tormentum bellicum 1900 librarum in altum sustulisse, et anglum quemdam 2019 libras plumbi tulisse (1). Milo, famosus athleta crotonensis, taurum vivum humeris impositum in ludis olympicis per 120 passus portavit, ac dein uno pugni ictu occidit. Imp. C. J. V. Maximinus solus currum onustum trahebat, et arbores suis manibus findebat.

173. C. XVI, 16-20 refertur, Samsonem abscissa caesarie vires suas amisisse, quod deistae derident.

Cl. Iahn hoc de phaenomeno ait: « Nexus virium cum caesarie mera » erat opinatio Samsonis; quare abscissis capillis animo concidit, nec » vires suas experiri ausus est; quum » vero caesaries rursus accrevisset, » animos resumpsit, et eodem polluit robore. Id ipsi quoque phili-

(1) Scheuchzer Phys. S. t. 4.

» sthaei observarunt; nam non contenti caesariem Samsonis rasisse, virum caro quoque oculorum lumine privarunt, atque catenis aeneis vinxerunt, de caesarie autem rursus crescente minime solliciti (1). »

Verum huic opinioni obstat, non solum Samsonem, sed etiam auctorem libri Iudicum credidisse, vires Samsonis ab intonsa caesarie repetendas; nam c. XVI, 17 dicit auctor: « Tunc Samson aperiens veritatem rei dixit ad Dalilam...: Si rasum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea; » et versu 20: « Statim, ait, ab eo fortitudo discessit... nesciens Samson quod recessisset ab eo Dominus.»

Propterea dicimus fortitudinem Samsonis physice quidem in firmis eius musculis, solidisque ossibus, non vero in illius caesarie ponendam, sed eam a Deo ei ablatam fuisse tonsa caesarie, eo quod Samson votum nazaraeorum, cuius indicium externum potissimum erat caesaries, haud observaverat.

174. C. XVI, 26-30 narratur, Samsonem effossionem suorum oculorum ulturum, templum Dagonis in urbe Gaza 3000 philisthaeorum refertum, concussis duabus columnis diruisse.

At templum hoc nostris minime simile fuit. Duas, aut forte plures columnas habebat; sed cum tectum duabus columnis niteretur, hisce submotis, tectum in philisthaeos ruere debebat. Samsonem autem hasce columnas concutere potuisse, sat patet ex iis, quae antea fecerat. Quod spectat ad mortem Samsonis, illam directe intendisse non videtur, bene vero ultionem philisthaeorum, bonumque suae patriae; quare cum fortes magnanimique milites, qui se morti inevitabili pro bono patriae obiecerunt, ut maiorem quem possent hostium numerum interficerent, tamquam sui interemtores non habentur, nec Samson, qui idem praestitit, sui interemtor dicendus est.

Samson varias philisthaeorum strages edidit iure belli a quo ius clarigationis pendet. In republica, qualis tum illa hebraeorum erat, poterat Samson bellum adversus hostes et oppressores suae patriae inchoare, simul ac satis virium experiebatur ad iudaeos a iugo philisthaeorum liberandos. Populi pagani Palaestinae, praesertim philisthaei, eodem iure adversus hebraeos utebantur.

Observandum autem est, historiam Samsonis in libro Iudicum non plene referri: quae enim ut hebraeorum iudex egit, aut leviter attinguntur, aut silentio praetereuntur. Forte auctori documenta certa de hisce ad manum non erant, vel erant illius aetate notissima.

(1) Iahn Introd. in L. S. V. F. lib. Iud. § 57.

DE LIBRO RUTH

§ LII. Lingua, auctor et aetas libri Ruth.

175. Liber *Ruth* scriptus fuit idiomate hebraico, vocibus chaldaicis intermixtis.

Alii crediderunt Samuelem, alii Esdram et alii Ezechielem illius auctorem esse; alii existimarunt, eum ab auctore librorum Samuelis confectum esse.

Hic liber post Davidis tempora compositus est; auctor enim (c. I, 1) scribit, historiam, quam relaturus est, contigisse *in diebus unius iudicis, quando iudices* praeerant, quod probat tempore auctoris iudices non amplius rexisse hebraeos; et IV, 18-22 texitur genealogia usque ad Davidem.

§ LIII. Fides libro Ruth debita.

176. 1° Nomen cognati propinquioris, cui Ruth ducendae ius erat (c. III et c. IV) haud occurrit, quod

innuit, illud in documento antiquo, quo auctor usus est, defuisse, auctorisque fidelitatem probat. 2° Auctor ingenue fatetur, regiam Davidis familiam descendere a Ruth, muliere moabitide ad extremam pauperiem redacta. 3° Adiuncta, quae referuntur, antiquo illi aevo ad amussim conveniunt, uti simplex et candida agendi ratio Ruth et Booz, paupertas haud contempta, iudicia in portis civitatis peracta, confirmatio contractus per sandaliorum traditionem (c. IV, 7-8) (Conf. n. 34-36 et 417-422).

§ LIV. Argumentum et scopus libri Ruth.

177. Historia, quae in hoc libro refertur, contigit sub iudicibus; sub quo autem iudice non constat. Antiqui hebraei librum hunc ut partem libri iudicum habebant (n. 7). Deistae aiunt, historiam Ruth offensioni locum praebere; verum si eorum animus castus esset, sique ad simplicitatem agendi, bonosque mores illius aevi attenderent, ipsis talis non videretur. En paucis argumentum libri, obiectaque offensionis occasio!

Elimelech de tribu Iuda, orta fame, cum uxore Noëmi et duobus filiis Mahalon et Chelion, Bethlehemo in regionem moabitarum emigravit, ubi paulo post mortuus est. Mahalon et Chelion sibi matrimonio iunxerunt Orpham et Ruth, mulieres moabitides et paganas. Elapsis decem annis ambo mortui sunt; quare Noëmi, eorum mater, cum duabus suis nuribus Bethlehemum repetens, Orpham in itinere domum remisit, et Ruth nonnisi aegre secum Bethlehemum duxit (c. I).

Ruth, liberis destituta, ibi sublevandae paupertatis causa iure mosaico, in agro Booz viri divitis de tribu Iuda ipsius cognati sed ei incogniti, spicas collegit. A Booz bene habita, et frumento ciborumque reliquiis donata fuit (c. II).

Haec cum Ruth ad Noëmi detulisset, Noëmi illi aperit Booz esse eius propinquum, consiliumque ei dat ut, cum Booz nocturno tempore in area ad dormiendum procubuerit, cultioribus vestibus induta, se ad eius pedes prosternat. Consilium peregrinum quidem et a nostris moribus alienum; at pro casta Ruth, et sene Booz haud periculosum. Ab uno insuper consensu Booz pendebat, Ruth sibi illico matrimonio iungere, cum alii ritus tum ad validitatem coniugii haud requirerentur; eventus vero rei probavit, consilium Noëmi fuisse sapientissimum; Ruth enim consilium hoc secuta Booz evigilanti et exterrito dixit, se esse eius propinquam, ita modeste, iure leviratus (n. 60), matrimonium ab eo expetens. Booz respondit, alium quidem se propinquiorem ei esse, verum, si ille propinquitatis iuri cedere vellet, se ipsam in coniugem ducturum (c. III).

Cessit propinquior cognatus solemniter in porta civitatis iuri suo; quare Booz in uxorem duxit Ruth quae ei peperit Obed, avum Davidis (c. IV).

178. Scopus auctoris fuit ostendere, quomodo David per Booz et Ruth descenderet de tribu Iuda, quomodo prophetia Iacobi de sceptro in tribu Iuda completa sit, et quomodo divina providentia proborum curam gerat.

§ LV. Difficultas libri Ruth.

179. Auctor libri Ruth occasionem praebuit nonnullis difficultatibus chronologicis. C. IV, 20-21 legitur Salmonem, Naassonis filium, genuisse Booz patrem Obedi; s. Matthaeus I, 5 idem ait, et addit, Salmonem Booz progenuisse ex Rahab. Naasson vixit cum Moyse (Num. I, 7;

II, 3), et Salmonem inter ac Davidem 400 anni elapsi sunt (III Reg. VI, 1). Auctor vero libri Ruth. a Salmone usque ad Davidem nonnisi quatuor generationes recenset. Quaeritur itaque utrum Rahab Salmonis uxor, sit illa Rahab Ierichuntis, de qua Iosue (II et VI) (Conf. n. 140 notam) et quomodo quatuor generationes 400 annis sufficere possint?

Qui negant Rahab Ierichuntis esse Salmonis uxorem difficultatem minime tollunt; certe eius tempore vixit, et iuxta communissimam sententiam Salmonis coniux fuit.

Alii statuunt tres fuisse Booz, primum filium Salmonis, secundum eius nepotem, et tertium illius pronepotem maritum Ruth, et patrem Obedi.

Quidquid sit, quatuor generationes a Salmone usque ad Davidem non sufficiunt, sed nec sat erunt si Rahab Salmonis alia sit atque Rahab Ierichuntis. Quare omnino verisimile est, auctorem libri Ruth more orientalium non recensuisse omnes generationes usque ad Davidem, sed solummodo eas, quae necessariae erant ad ostendendum Davidem a Naassone per Salmonem e tribu Iuda descendere. S. Matthaeus (I, 5) idem fecisse creditur. Conf. Matth. I, 8.

DE LIBRIS SAMUELIS ET REGUM SEU DE QUATUOR LIBRIS REGUM

§ LVI. Lingua et auctor librorum Samuelis et Regum.

180. I et II liber Regum ab hebraeis *Sepher Scemuel, Liber Samuelis* nuncupantur, quod ab eius natalibus ordiuntur eiusque gesta inter alia recensent. III et IV liber Regum antiquioribus iudaeis dicebantur liber *Melachim, Regum,* quod regum Iudae et Israëlis gesta in iis referuntur (Conf. num. 7). Modo hebraei duos priores libros Regum dividunt in I et II Samuelis, et duos posteros in I et II Regum. LXX interpretes appellant omnes hos quatuor libros, ut vulgata, *libros Regum.*

Scripti fuerunt hi libri lingua hebraica, sed vocibus chaldaicis intermixtis.

181. Cum I et II liber Regum ab hebraeis liber Samuelis vocentur, Samuel ut eorum auctor olim communiter habitus fuit. Verum cum nonnisi XXIV priora capita primi libri Samuelem respiciant, c. XXV eius mors narretur, in reliquis capitibus istius libri, et in toto libro secundo referantur res Samuelis morti posteriores, putarunt aliqui, XXIV prima capita primi libri esse Samuelis, reliqua vero prophetarum Gad et Nathan. Hanc sententiam, quondam satis communem, sequuntur thalmudistae. Eius fundamentum in eo esse videtur, quod I Paralip. XXIX, 29 legitur: « Gesta David regis prio» ra, et novissima, scripta sunt in » *libro* Samuelis videntis, et in *libro* » Nathan prophetae, atque in *volu*» *mine* Gad videntis. »

Verum hic textus sulummodo significat Samuelem scripsisse librum de gestis Davidis, et prophetas Nathan et Gad pariter libros de iis conscripsisse; non enim constat, primum et secundum librum Regum esse illos libros a Samuele, Nathan et Gad compositos; immo potius ex libris horum prophetarum ab auctore posteriore confecti sunt.

182. Quod auctor primi et secundi Regum non fuerit gestis coaevus probatur:

1° I Reg. VII, 15 legitur: « Iudi» cabat Samuel Israëlem cunctis die» bus vitae suae. » Quae profecto Samuel non scripsit.

2° I Reg. IX, refertur, Saulem consultum ivisse Samuelem; versu 9 notatur, quod qui olim prophetam

consulturus erat, diceret: *Eamus ad videntem;* additur autem: *Qui propheta dicitur hodie, vocabatur olim videns.* Iam vero tempore Samuelis propheta vocabatur videns, et auctor animadvertit, suo tempore nomen videntis obsolevisse ac eius vice nomen prophetae usurpatum. Samuel proinde haec non scripsit. Dici non potest, Esdram haec per parenthesin libro Samuelis adiecisse; si enim hoc esset, in libro non adhiberetur tam frequenter vox prophetae, ut III, 20, X, 5, etc.

3° I Reg. XXVII, 6 dicitur, quod rex Achis dederit Davidi, fugienti Saulem, urbem Siceleg, et adnotatur : « Propter quam causam facta » est Siceleg regum Iuda *usque in* » *diem hanc.* » Haec scribi non potuerunt nisi, mortuis prophetis Nathan et Gad, post schisma 10 tribuum, quando nomen regum Iuda incoepit (n. 80).

183. Nec auctor tertii et quarti libri Regum rebus omnibus, quas narrat, est coaevus; nam

1° IV Reg c. XXV memoratur captivitas babylonica, quae pluribus saeculis posterior est gestis Davidis, schismati 10 tribuum, et multis aliis factis, quae in III et IV Regum narrantur.

2° Auctor lectores crebro allegat ad libros antiquiores quibus ipse usus est, et quibus se multo recentiorem ostendit.

3° Quamplurima verba chaldaica occurrunt in hisce libris, uti et in duobus antecedentibus, quae iudaei nonnisi tempore captivitatis babylonicae adoptarunt.

Quatuor libros Regum ab uno eodemque auctore ex documentis antiquis compositos esse, eadem quod ad omnia in quatuor libris dispositio, et eadem pressa ubique et compendiosa, praesertim si de bellis sermo sit, narrandi ratio, evincere videntur. Num vero Ieremias, vel Esdras vel Ezechiel eorum sit auctor, definiri non potest.

§ LVII. Quatuor libri Regum ex antiquis documentis confecti sunt.

184. In I et II Regum non allegantur quidem documenta antiqua, verum extitisse fastos publicos illius aevi ex I Paral. XXVII, 23-24 et XXIX, 29 liquet, Samuelque, Nathan et Gad horum documentorum auctores nominantur. Auctorem vero I et II Regum adhibuisse documenta antiqua, patet inde quod servaverit varias locutiones antiquas, quas in documentis illis receperat, ut ex. c. *usque in hodiernam diem.* Sic I Reg. V, 5 ait sacerdotes Dagonis ingredientes templum huius idoli, « non calcare limen Dagonis in Azoto *usque in hodiernam diem.* » Et I Reg. XXVII, 6 refert, civitatem « Siceleg pertinere ad reges Iuda *usque ad diem hanc* » (Conf. n. 182).

185. III et IV Regum primum narratur historia Salomonis, et dein continuo citantur fasti publici regum Iuda et Israël, *libri verborum dierum regum Iuda et Israël.* Auctor III et IV Regum pariter ex documentis istis antiquis, quibus usus est, varias locutiones antiquas servavit: III Reg. IX, 21 ait Salomonem varios populos chananaeos fecisse *tributarios usque in diem hanc.* Hanc locutionem non esse auctoris librorum inde patet, quod, quando haec scripsit nulli populi amplius iudaeis tributarii essent, eoquod regna Iudae et Israëlis tum destructa erant. III Reg. XII, 19 dicit : « Recessit « Israël a domo David *usque in prae-* » *sentem diem.* » IV Reg. VIII, 22: « Recessit, inquit, Edom, ne esset » sub Iuda *usque ad diem hanc.* » IV Reg. XIII, 23: «Noluit Deus, ait, » disperdere iudaeos.... *usque in* » *praesens tempus*» (Conf. n. 183).

Capita XIX et XX IV Regum desumpta sunt ex Isaiae c. XXXVII, c. XXXVIII, et c. XXXIX.

Cum vero antiquo isto aevo extiterint varia scripta prophetarum, quae postea perierunt (conf. n. 23), videtur auctor III et IV Reg. hisce scriptis usus esse, eo magis, quod in hisce libris occurrit mos prophetarum omnia Deo immediate adscribendi (conf. n. 216).

§ LVIII. Aetas quatuor librorum Regum.

186. Si quatuor hi libri ab uno eodemque auctore conscripti fuerunt, ante captivitatem babylonicam, quae IV Reg. XXV narratur, non fuerunt absoluti. Cum vero auctor IV Reg. XXV, 27-30 referat, ab Evilmerodach, babyloniorum rege, Ioachimo regi Iudae, 37 anno captivitatis babylonicae libertatem esse restitutam, de morte autem Ioachimi nihil dicat, videtur opus suum ante mortem huius regis absolvisse.

§ LIX. Fides quatuor libris Regum debita.

187. Libros hos fide dignos esse patet: 1° quod scrupulose, et quasi de verbo ad verbum excerpti sint ex coaevis documentis authenticis, servatis vario stylo, et locutionibus antiquis eorum propriis (conf. n. 184 et 185); 2° quod ut sacri suscepti fuerint ab hebraeis dum eorum documenta adhuc exstabant, quae temporum iniuria superaverant (conf. n. 23); 3° quod in eis ingenue narrentur multa nationi iudaeae iniuriosa; et 4° quod quamplurima, quae in iis libris occurrunt, eodem modo referantur ab auctore Paralipomenon, a psalmista, a prophetis, etc. (conf. n. 34-36 et 417-422).

§ LX. Argumentum quatuor librorum Regum.

188. I et II Regum, qui inter se arcte cohaerent, ideoque antiquis hebraeis nomine unius libri veniebant (n. 180), complectuntur conceptionem, infantiam, munus propheticum ac politicum Samuelis, cuius nomen apud iudaeos gerunt. Narratur dein in illis, quod, facta regiminis mutatione, Saul primus iudaeorum rex fuerit constitutus. Recensentur res gestae Saulis, cui, mandatis Dei haud obtemperanti, annuntiatum est, regnum eius ad alium transferendum esse. David, cui per unctionem Samuelis regnum promissum fuerat, in aulam accersitus, Saulem de amittendo regno sollicitum adeoque insanientem musica recreat. David devicto Goliath, gigante philisthaeo, ob acclamationes mulierum relatam ab illo victoriam gratulantium eidem Sauli in suspicionem venit, quod ipse esset, qui sibi in solium sufficiendus foret: quare Saul Davidem de medio tollere molitur, David autem sese in Philisthaeam recipit. Saul dein de bello adversus philisthaeos consulturus Samuelem defunctum, pythonissam in Endor hunc prophetam suscitare iubet; suum autem suorumque proximum interitum didicit. Sauli post infelicem exitum praelii adversus philisthaeos occiso, David e tribu Iuda ab eadem rex suffectus fuit; undecim vero aliae tribus Isboseth, Saulis filio ut regi adhaeserunt. Isboseth autem iam secundo anno a suis interfecto, istae tribus sine rege manserunt usque ad annum septimum a morte Saulis, quo se Davidi subiecerunt. David tunc, capta Sion arce Hierosolymae, sedem regiam Hebrone Sionem transtulit, arcamque foederis illuc transferri iussit. Referuntur dein paucis alia gesta Davidis.

189. III et IV Regum narrant, Davidem senio confectum 40 et dimidio anno sui regiminis Salomoni filio regnum cessisse. Salomone post

40 annos perillustris imperii defuncto, sub eius filio ac successore Roboam decem tribus, schismate facto, Ieroboam sibi regem constituerunt; atque ita populus hebraeus in duo regna Iudae et Israëlis distractus est (n. 80). Historia regnorum Iuda et Israël dein recensetur usque ad captivitatem babylonicam, quacum IV liber Regum desinit.

DIFFICULTATES QUATUOR LIBRORUM REGUM

§ LXI. De Bethsamitarum morte ac de Saulis exercitu.

190. I Reg. VI, 19 legitur in Vulgata quod cum arca foederis, a philisthaeis ablegata, ad Bethsames, civitatem tribus Iuda, venisset, Deus « percusserit de populo septuaginta » viros, et quinquaginta millia ple- » bis, » eo quod arcam Domini viderant.

Obi. Deistae aiunt hoc fieri nequivisse, tum quod civitas Bethsames tot incolas non continebat, tum quod ratio tantae severitatis non perspicitur.

Resp. Verum 1° non legitur omnes istos homines eodem die a Deo esse punitos; cum arca diu in campo Iosuae fuerit, ut ex v. 18 constat; populus undique ad illam accurrere, perindeque ob irreverentem nimisque curiosum intuitum puniri potuit.

2° Textus hebraicus habet: « Per- » cussit in populo septuaginta vi- » ros quinquaginta millia virorum, » quod nullum sensum exhibet: quare Liranus, Kennicott, Bullet, Bergier, Guénée aliique tenent, septuaginta solummodo viros occisos esse. E textu hebraeo verisimiliter excidit particula *ex* vel *de*, ut ita eius sensus sit : « Percussit in populo septua- » ginta viros ex quinquaginta milli- » bus virorum. »

Hoc verisimilius adhuc fit e duobus manuscriptis hebraicis D. Kennicott, quae locum ita referunt, et ex Fl. Iosepho, qui (Antiq. l. 6, c. 2) pariter septuaginta viros occisos esse scribit. Cl. Iahn existimat voces 50,000 virorum ab amanuensi aliquo textui fuisse insertas *.

Ratio vero tantae severitatis in eo est, quod bethsamitae irreverenti, nimis curioso, ac temerario intuitu arcam aspexerant. Fl. Iosephus refert (loc. cit.), quod arcam de curru deponere attentaverint, licet sacerdotes non essent. Multi interpretes existimant, bethsamitas arcam aperire voluisse. Prohibitum autem erat sub mortis poena ipsis levitis, qui arcam ferre solebant, eam detectam videre, ut ex Num. IV, 15 et 20 constat. Quare Deus puniendo bethsamitas iudaeos monere voluit, quanta reverentia cum arca foederis agere, ipsumque colere deberent.

191. I Reg. XI, 8 refertur, Saulem exercitum 300,000 hominum in Besech recensuisse. Tantus autem exercitus in parvo regno Saulis d. De Voltaire aliisque deistis incredibilis visus fuit.

At priscis illis temporibus homines ad bellum non eligebantur, aut conducebantur, ut postea fieri consuevit, sed proclamato bello omnes homines ad arma ferenda idonei ex omnibus Palaestinae finibus ad exercitum concurrebant, ut ex historia sacra patet. Si urbs Thebarum in Aegypto quae 100 portis ornata erat, per singulas portas 10,000 armatorum, ac proinde 1,000,000, ut Pomponius Mela refert, emittere potuit; si urbs Roma sub imp. Claudio cum suis suburbiis 6,844,000 incolarum continebat, ut historia romana testatur; si tempore excidii hierosolymitani plura iudaeorum millia decies centena in Palaestina fue-

* Versiones Syriacae et Arabicae in numero occisorum differunt, leguntque 5000 et 70 viros.

runt, et si in sola urbe Hierosolyma tempore ultimae obsidionis ultra decies centena hominum millia perierunt, an mirum est, Saulem exercitum 300,000 hominum, qui ex omnibus Palaestinae finibus convolarant, habuisse? Exemplum aliquod huiusmodi antiquorum bellorum vidimus anno 1813, ubi quotquot fere arma tractare poterant in Germania, Italia et Gallia ad bellum adactis, plusquam vicies centena hominum millia sub armis fuerunt.

192. I Reg. XIII, 19-22 narratur, hebraeos adversus philisthaeos pugnaturos, lanceis ac ensibus caruisse, Saule et Ionatha exceptis, eo quod faber ferrarius inter eos haud erat, et nihilominus c. XIV refertur, philisthaeos ab israëlitis fusos fuisse. Quod deistae incredibile dicunt.

Verum hebraei suis arcubus, fundis, vomeribus, ligonibus, securibus, sarculis, etc., quos c. XIII, 20 parasse leguntur, philisthaeos, praesertim ob timorem illis a Ionatha inopinante incussum, facile vincere potuerunt.

Caeterum (c. XIII, 15) solummodo dicitur, 600 istos viros, qui cum Saule fuerant, lanceis et ensibus caruisse. Iudaei qui prius cum philisthaeis fuerant, et qui (c. XIV, 21) se Saulis exercitui iunxisse leguntur, uti et israëlitae, qui in monte Ephraim latuerant, ad pugnamque confluxerant (ibid.) profecto arma consueta habuerunt.

§ LXII. Saulis malus spiritus.

193. I Reg. XVI, 12-14 dicitur, Davide a Samuele in regem uncto: « Spiritus Domini recessit a Saul, » et exagitabat eum spiritus nequam » a Domino. »

Plerique veteres existimarunt, istum malum spiritum Saulis fuisse daemonem: verum recentiores plerique eum pro melancholia habent (1): Saul scilicet, audito a Samuele se ob inobedientiam in Deum regno spoliandum fore, in tetram melancholiam, quae illum quandoque usque ad insaniam deduxit, delapsus est. *Spiritus Domini bonus*, qui a Saule recessit, *angelus bonus* non fuit, sed animi rectitudo; quare et *spiritus nequam a Domino*, est animi perversitas, et tetra melancholia, qua quandoque insanivit. Hinc (c. XVIII, 10) legitur quod Saul prophetam insanientem imitatus sit, et insanierit: *Desipiebat*, ait textus hebraeus, quod interpres chaldaicus reddidit per *insanivit intra domum.*

Hinc etiam aulici Saulis non sacerdotem, sed Davidem accersiri curarunt (c. XVI, 16), ut David modulamine suae citharae Saulem recrearet, eiusque melancholiam abigeret, quod David et praestitit (ib. v. 23). Nemo ignorat quanta sit vis musicae in melancholicos.

§ LXIII. Pythonissa in Endor.

194. I Reg. XXVIII refertur, Saulem, a philisthaeis bello petitum, Deo de hac re consulto, sed nullo responso accepto, pythonissam in Endor, quae mortuos evocare dicebatur, defunctum Samuelem evocare iussisse, ut ipsum de bello adversus philisthaeos consuleret, Samuelem apparuisse, Sauli vero ipsius, eiusque filiorum proximam mortem, Israëlis cladem, Davidisque evectionem ad solium praedixisse.

Existimavit R. Levi-Ben-Gerson, Saulem minis, a Samuele vivente auditis, imminentique periculo perterritum, sibi visum esse Samuelem audire.

Alii dixerunt, daemonem, Samue-

(1) Vide Tirinum, I Reg. 16, 14. Calmet, ibid., Bergier, dict. de théologie. art. Saul. Brentanno H. Schrifft I, Sam. 16, 14. Iahn archaeol bibl. § 191.

lis assumpta forma, apparuisse, Saulique esse locutum. Quae duae opiniones historiae sacrae et verae Samuelis visioni repugnant. S. Iustinus martyr, Origenes aliique (1) crediderant, daemones ante Christi in inferos descensum potestatem aliquam in defunctorum animas habuisse. S. Augustinus haud improbat sententiam asserentem, daemonem Samuelis animam apparere fecisse (2).

Alii asseruerunt pythonissam suis incantationibus Samuelis animam reapse evocasse, quod cum priori sententia consentit; falsum tamen est, eo quod sagae et daemones nullam potestatem in animas sanctorum habeant.

Alii adfirmarunt pythonissam finxisse, se Samuelem videre, eius nomine fuisse locutam, Saulemque ita decepisse: quod a vero alienum esse mox patebit.

Tandem alii uti scripturae congruentius contendunt, Samuelem vere apparuisse non vi incantationum pythonissae, sed Deo Samuelem in Saulis punitionem comparere iubente. Rem ita se habere liquet:

1° Quod sacer scriptor (c. XXVIII, 12 dicit: « Cum autem *vidisset* Samuelem. » V. 15: « Dixit autem » Samuel ad Saul: Quare inquietasti me, ut suscitarer? » V. 16-19: « Et ait Samuel: Quid interrogas me, » cum Dominus recesserit a te, et » transierit ad aemulum tuum.... » cras autem tu et filii tui mecum » eritis » (in regno mortuorum). Quae reapse verum Samuelem apparuisse indicant.

2° Iesus Sirach (Ecclesiastici XLVI, 23) Samuelem vere apparuisse innuit, cum scribit: « Post hoc dor- « mivit Samuel et notum fecit regi, » et ostendit illi finem vitae suae. » Samuel igitur vere apparuit; sed nec pythonissa, nec diabolus ullam in eum habebat potestatem; sequitur igitur Dei iussu comparuisse.

3° Quae Samuel Sauli praedixit nimis clara, nimis determinata, et cum eventu nimis convenientia sunt, quam ut a pythonissa fingi aut coniici potuissent.

4° Si sybilla in Endor etiam coniicere potuisset infortunia, quae Sauli eventura erant, ea tamen illi tanta cum libertate dicere ausa haud esset. Saul paulo ante pythonissas, aliosque id genus sycophantas proscripserat, ideoque ne pythonissa in Endor, mortis poenam verita, eius votis abnueret, mutatis regiis vestibus, illam adierat, ipsamque regem adesse suspicantem iureiurando salvam fore promiserat. Cum autem pythonissa apparentem « vi- » disset Samuelem; exclamavit voce » magna, » ait sacer scriptor c. XXVIII, 12; « et dixit ad Saul: Qua- » re imposuisti mihi? Tu es enim » Saul. » Noverat ergo pythonissa Saulem. Sciebat profecto illa, Saulem morte plecti iussisse summum sacerdotem, eo quod illum Davidi adhaerere credebat: quare iuramento Saulis non obstante illi dicere ausa non esset: « Dominus scindet re- » gnum tuum de manu tua, et da- » bit illud proximo tuo David: quia » non obedivisti voci Domini, ne- » que fecisti iram furoris eius in » Amalec. Idcirco quod pateris, fe- » cit tibi Dominus hodie. Et dabit » Dominus etiam Israël tecum in » manus Philisthiim: cras autem tu » et filii tui mecum eritis, etc. » (XXVIII, 17-19).

§ LXIV. Difficultates adversus veram Samuelis visionem.

195. *Obi.* 1° Aiunt adversarii, Samuelem non dicturum fuisse Sauli:

(1) Iust. Dialog. cum Tryphone. Origen. In I Reg. 28, et tract. 27, in Ioan.

(2) August., lib. 2, de Divers. Q. 4, ad Dulcitium, q. 6, de doct. christ., l. 2, c. 32.

« Quare inquietasti me, ut suscitarer ? » cum iusti defuncti a viventibus inquietari haud possint, neque conqueri, quod a Deo iubeantur viventibus aliquid manifestare.

2° Si Samuel vere apparuisset, Deus facto insigni confirmasset erroneam fidem iudaeorum in magos, quam tamen, lege mosaica mortem in magos statuente, eradicare intenderet.

3° Si Deus Sauli responsum dare voluisset, illi respondisset quando ipsum modo legitimo per prophetas et sacerdotes consuluerat, non vero quando illum modo illicito consulebat.

4° Deo sanctissimo indignum est, ut mittat tantum prophetam, quantus Samuel erat, in domum impiae fallacisque pythonissae, et quidem eo tempore, quo illa impias suas incantationes peragebat.

5° Samuel non appariturus fuisset modo pagano, adscendens e terra, pallio coopertus, etc.

6° Visio Samuelis miraculum foret omnino extraordinarium, cuius finis Deo dignus non perspicitur.

Verum respondemus:

1° Samuel locutus est iuxta opinionem illius aevi; tum enim credebatur animas defunctorum per incantationes ex quieta sua commoratione in terram evocari posse.

2° Si Samuel apparuisset vi incantationum pythonissae, fides in magos hoc facto confirmata fuisset; sed apparuit iussu Dei antequam pythonissa incantationes institueret, cum nullibi legatur, eam incantationes peregisse, bene vero mulierem perterritam Samuelem vidisse; proinde Samuelem contra pythonissae expectationem venisse. Num forte quis Deo abnegabit facultatem animas defunctorum sub forma visibili ad viventes mittendi, ut ipsis suum consilium manifestent?

3° Si Saul iuxta voluntatem Domini egisset, illi Deus per prophetas et sacerdotes respondisset. In Endor ei aliud responsum dedit, quam postulabat; nam illi tragicum suum finem manifestavit. Num Deo integrum non est quando, ubi et quo demum modo voluerit hominibus respondere?

4° Coniecturae de convenientia vel disconvenientia alicuius rei factum aliquod, ab auctore fide digno relatum, infirmare haud possunt. Iam praenotavimus, Samuelem apparuisse antequam pythonissa incantationes institueret.

5° Modus, quo Samuel apparuit, non magis paganus est quam iudaicus. Factum hoc est omnino extraordinarium. Deo integrum est defuncto concedere ut quam velit speciem assumat; conveniens autem erat, ut Samuel appareret sub specie, quam vivus habuerat.

6° Finis visionis Samuelis erat Sauli ultimum dare monitum, quo se, suos filios, populumque israëliticum salvare posset, si vellet. Si Saul, audito Samuele, illico regnum suum cessisset Davidi, qui cum philisthaeis erat, voluntatique Dei se subiecisset, infortunia, quae illi, suis filiis et israëlitis imminebant, avertisset (1).

§ LXV. Corona Melchom, regis Rabbath. Capilli Absalonis. Dos Davidis pro Michol. Pestis sub Davide.

196. II Reg. XII, 30 et I Paral. XX, 2 legitur, Davidem devicti Melchom, regis ammonitarum in Rabbath, coronam auream ponderis talenti, hoc est plurium librarum, capiti suo imposuisse.

Verum corona isthaec capiti proprie imposita non fuit, sed super

(1) Lege Nat. Alex., t. III, hist. eccles., dissert. 23, edit Bingens. Le Brun. hist. critique des pratiq. superst. Calmet, dissert. sur l'apparit. de Samuel

illud ornatus causa in throno regio suspensa, prout antiqui saepe facere solebant (1).

II Reg. XIV, 26 de capillis Absalonis haec habentur: « Quando tondebat capillum (semel autem in » anno tondebatur , quia gravabat » eum caesaries) ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico. »

Nonnulli existimant hebraicam litteram *Resc,* quae valet 200, ab amanuensi substitutam fuisse litterae *Caph,* quae valet 20, ita ut capilli Absalonis 20 dumtaxat siclis ponderassent.

Tirinus, Weitenauer (2) ac nonnulli alii cum rabbinis quibusdam autumant, 200 istos siclos esse valorem capillorum Absalonis, non pondus; ita ut aulici Absalonis hosce capillos, quos coloris flavi, apud iudaeos rari, fuisse existimant, vendidissent mulieribus hierosolymitanis 200 siclis ad capillos fictitios inde conficiendos.

Verisimilius est quod tenent Pelletier et Calmet (3), siclos istos non fuisse pondus hebraicum, sed babylonicum, iuxta quod auctor librorum Regum, qui tempore captivitatis babylonicae scripsit, capillos Absalonis aestimavit, ut adeo tota Absalonis caesaries simul ponderarit 30 circiter uncias gallicas. Quod minime incredibile est, cum reperiantur mulieres, praesertim in Helvetia, quae caesariem multo graviorem gestant. Dicimus *totam Absalonis caesariem simul* ponderasse 30 circiter uncias, quia scriptor sacer non ait, abscissos Absalonis capillos tantum ponderasse, sed *capillos capitis sui;* capilli vero, qui non resecabantur, e pondere abscissorum proxime aestimabantur.

(1) Vide Iuven., Sat. 10 et Athenaeum Dipnosoph., l. 5, c. 8.
(2) Tirinus ac Weitenauer in II Reg. 14, 26.

Absalonem armorum pondere gravatum solis *capillis suis* quercui inhaesisse, ut deistae nonnulli obiiciunt, figmentum est pictorum; II enim Reg. XVIII, 9 expresse dicitur: *Adhaesit caput eius quercui* (vide Calmet in II Reg. XVIII, 9). Verisimiliter caput et capilli simul ramis implicati fuerunt.

198. I Regum XVIII, 25-27 narratur Davidem 200 *praeputiis* totidem occisorum philisthaeorum Michol Saulis filiam, in uxorem obtinuisse.

Hoc quidem a nostris moribus alienum est, verum quemadmodum turcae capita victis amputata ad supremum ducem modo mittunt, ita etiam nonnulli antiqui populi caesis hostibus abscissa verenda ad duces aut principes deferebant, ut gallani, populi superioris Aethiopiae (4). Saul Davidem per philisthaeos de medio sublatum iri crediderat, cum eum 100 occisorum philisthaeorum praeputia pro dote Michol adferre iusserat; per praecisionem vero praeputiorum , utpote ignominiosissimam, Davidem, si etiam philisthaeorum victor maneret , philisthaeis summe odiosum reddere volebat.

199. II Reg. XXIV, et I Paral. XXVII, 23-24 legitur, Davidem populum suum a Ioab praefecto militum recenseri iussisse, Deum vero per prophetam Gad ob peccatum per hanc recensionem commissum Davidi optionem dedisse aut famis 7 annorum, aut fugae 3 mensium coram hostibus, aut pestis 3 dierum, Davidem vero pestem elegisse, qua 70,000 virorum perierunt.

Verum criminosum aliquid in hac recensione latuisse, patet exinde , quod Ioab, vir caeteroquin minime religiosus, hanc recensionem im-

(3) Pelletier, epist. ad relig. amicum, ann. 1702. Calmet, comment. in II reg. 14, 26.
(4) Iob Ludolph, hist. Aethyop. l. 1 c. 16.

probarit. Verisimiliter David meditabatur bella longinqua extra limites a Moyse praescriptos, quibus remotos populos sibi submitteret. Cum iudaei ita dispersi, et proximo periculo idololatriae obnoxii fuissent, David in suis subditis peste punitus fuit.

§ LXVI. Miracula Eliae et Elisei.

200. 1° Elias Thesbites a Deo potissimum adhibitus fuit: ad idololatriam in regno Israël extirpandam, et ad destruendum cultum Baal, quem Iezabel et Achab in hoc regnum induxerant; ideo Deus per Eliam varia miracula patravit: sic

III Reg. XVII, 1 et XVIII 1 collat. cum Luc. IV, 25 et Iac. V, 17 praedicit Elias regi Achab, triennio cum dimidio pluviam de coelo haud lapsuram, quod et contigit.

Finis huius miraculi quo verus Deus suam omnipotentiam ostendit, erat, idololatriam Israëlis punire. De siccitate praedicta, et pluvia dein Eliae precibus obtenta, loquitur quos quoque Menander apud Fl. Iosephum Antiq. l. 8, c. 7, quàmvis, siccitate ad unum annum restricta, pluviam supplicationibus publicis Ithobali regis Tyri adscribat.

201. III Reg. XVII, 2-6 legitur, *corvos* Eliae mane et vespere panem ac carnes attulisse.

Nonnulli (1) vocem hebraicam *orebim*, quam auctor Vulgatae hic *corvos* reddidit, *Arabes* reddiderunt, ut vulgata illam reddit II Paral. XXI, 6 et II Esdr. IV, 7; alii eandem *mercatores*, et alii incolas civitatis *Arabo* significari putarunt; deinde ratio eorum potissima est, quod corvi natura sua voracissimi, et lege mosaica impuri habiti, ad officium hoc inepti, et a Deo haud adhibiti esse videantur. Verum iuxta communem sententiam, voce *orebim* corvos intelligentem, responderi potest, Deo difficile non fuisse corvos ad hoc ministerium aptos reddere, et impuritatem legalem corvorum non respexisse nisi eorum cadavera, esumque illorum carnium.

202. III Reg. XVII, 10-24 narrantur miracula multiplicationis farinae et olei apud viduam in Sarepta, et resuscitatio eiusdem filii.

Finis horum miraculorum fuisse videtur remuneratio fidei illius viduae, quae Eliae dederat, quo ipsa suam suique filii vitam sustentare debebat.

203. III Reg. XVIII, 19-40 refertur, ignem de coelo lapsum consummasse sacrificium Eliae, Eliamque 450 prophetas Baal ad torrentem Cison occidi iussisse.

Miraculum hoc evenisse ad falsitatem cultus Baal, veritatemque religionis mosaicae comprobandas, per se liquet.

204. IV Reg. I, 1-12 legitur, Ochoziam regem Israëlis misisse bis ad Eliam, qui illius mortem praedixerat, ducem cum 50 militibus, in quos Elias ignem de coelo accersivit.

Haec miracula facta esse videntur, eo quod duces illi ac milites Eliam ut prophetam contempserant, proinde Deo ipsi iniuriam intulerant.

205. IV Reg. II, 8-11 Elias aquas Iordanis pallio dividit, cum Eliseo siccis pedibus per eum transit, ac in curru igneo ab equis igneis tracto in aërem elevatur.

Haec miracula ingentia omnino sunt; licet vero finem illorum non satis perspectum habeamus, ex aliis tamen Eliae miraculis, quorum finis sat patet, plenam fidem nanciscuntur.

206. II, IV Reg. II, 14-25 legitur, Eliseum, divisis pallio Eliae aquis Iordanis, per alveum illius transiisse, aquas Iericho potabiles reddi-

(1) Vide Calmet in hunc locum.

disse, et maledixisse pueris civitatis Bethel eum subsannantibus, quorum 42 a duobus ursis lacerati fuerunt.

Cum Eliseus spiritum Eliae accepisset, ipsum, ut Eliam, miracula maxime extraordinaria operatum esse mirum non est. Pueri vero idololatrae civitatis Bethel, ab ursis devorati, non tam personam Elisei quam eius ministerium, proinde Deum ipsum subsannaverant.

207. IV Reg. III Eliseus exercitum regum Ioram, Iosaphat, et Edom a Moab liberat, suppeditando illis aquam.

Ibidem c. IV Eliseus multiplicat oleum pauperis viduae, eique medium suis creditoribus satisfaciendi ita procurat. Mulieri sunamitidi a Deo obtinet infantem, quem dein mortuum resuscitat. Amaritudinem ex olla aufert, et 100 homines paucis panibus satiat.

Ibidem c. V Naaman a lepra sanat. C. VI ferrum in aquis adscendere facit, et milites syri, ad Eliseum capiendum missi, caecitate percutiuntur.

C. VII magnam abundantiam in Samaria praedicit. C. VIII praedicit mortem Benadad, regis Syriae. C. XIII praedicit Ioas, regi Israëlis, tres victorias; et mortuus in sepulcrum Elisei defuncti proiectus ad vitam rediisse dicitur.

Cum Eliseus a Deo missus fuerit in confirmationem verae religionis, facile intelligitur, finem eius miraculorum esse confirmationem illius missionis, ac verae religionis. Quod si in quibusdam Eliae ac Elisei miraculis finis ille insignis miraculorum haud conspicuus est, perpendendum est multa miraculorum adiuncta in Eliae ac Elisei historia desiderari, quae ad finem miraculorum perspiciendum necessaria sunt. Portentosa, quae in illorum historia occurrunt meros eventus naturales, diuturniori traditione propagatos, et adiunctis prodigiosis vestitos fuisse, ex hoc uno refellitur, quod auctor librorum Regum documentis coaevis usus sit (n. 184 et 185).

§ LXVII. Horologium Achaz. Iehu, Iezabel et Athalia.

208. IV Reg. XX, 10-11 legitur, *umbram solis decem gradibus* in horologio solari Achaz retrogressam esse, in signum futurae sanationis regis Ezechiae.

Fuerunt quidem, qui solem, vel terram, retrogressa esse existimarunt; at cum id loco citato non legatur, sed solummodo dicatur, *umbram solis retrogressam esse*, sequitur id factum esse per solam inflectionem radiorum solarium in stylum horologii cadentium, qua mediante umbra styli retrorsum cecidit.

209. (IV Reg. c. IX, c. X) Iehu nomine Dei iubetur exterminare familiam Achab; idcirco interimit Ioram regem Israëlis, et Ochoziam regem Iudae. Iezabel regis Ioram matrem e fenestra praecipitem agi, ac 70 filios Achab; et 42 fratres Ochoziae regis trucidari iubet. Propheta Osee autem de necibus a Iehu in Iezrahel editis c. I, 4-5, Deum ita loquentem inducit: « Adhuc modicum, ait, et visitabo sanguinem » Iezrahel super domum Iehu, et » quiescere faciam regnum domus » Israël. Et in illa die conteram ar» cum Israël in valle Iezrahel. »

Verum rex Ioram, Achabi regis Israël filius, vir impius erat, cultumque nefarium vitulis aureis exhibebat. Iezabel, eius mater, Ethbaal regis Sidonis filia, mulier flagitiosa, cultum idolorum Baal, Astarte, etc., in regnum Israëlis, seu Samariae, invexerat, ac 400 pseudoprophetas Astarte nutriebat; Achab vero eius maritus 450 pseudoprophetas Baal sustentabat (III

Reg. XVIII, 19). Cum Iezabel nomine regis Achab occidi iussisset Naboth Iezraëlitam, quia vineam suam Achab vendere noluerat, Achabque hanc vineam occupasset, propheta Elias nomine Dei Achabo: « Occidi- » sti, inquit, insuper et possedisti : » in loco hoc, in quo linxerunt ca- » nes sanguinem Naboth, lambent » quoque sanguinem tuum.... Ecce » ego inducam super te malum, et » demetam posteriora tua, et inter- » ficiam de Achab mingentem ad » parietem, et clausum, et ultimum » in Israël, et dabo domum tuam » sicut domum Ieroboam.... sed et » Iezabel locutus est Dominus, di- » cens : Canes comedent Iezabel in » agro Iezrahel » (iuxta textum hebraeum: *Canes comedent Iizebel intra antemurale Iizrehel*). Cum autem Achab poenitentiam egisset, Dominus Eliae : « Quia Achab, inquit, » humiliatus est mei causa, non in- » ducam malum in diebus eius, sed » in diebus filii sui inferam malum » domui eius (III Reg. XXI). »

Ochozias rex Iudaee Ioram filio regis Iosaphat, ac Athalia, Achabi regis filia, natus, impiam familiae Achab vivendi rationem secutus fuerat.

Iam vero Deus, quem israëlitae in suum regem elegerant, voluit hanc impiam Achabi familiam de numero viventium delere, aliamque illi in thronum sufficere. Ad hanc suam voluntatem exequendam elegit Iehu, ducem Ioram regis Israel. Eliae prophetae igitur praecepit, ut Iehu regem Israëlis inungeret (III Reg. XIX, 16). Elias hoc negotium Eliseo commisit, qui misit aliquem e filiis prophetarum, qui Iehu regem inunxit, eique nomine Dei dixit, illum domum Achab exterminaturum, eius crimina ulturum, canesque Iezabel devoraturos.

Obsidebat Iehu arcem urbis Ramoth Galaad, inunctus rex, profectus est versus urbem Iezrahel, quo Ioram, vulnus aliquod in obsidione urbis Ramoth acceptum curaturus, secesserat. Ioram sibi obvium occidit, Ochozias vero, qui Ioram invisurus venerat, eius iussu lethaliter vulneratus fuit. Cum in Iezrahel venisset, Iezabelem in illum iniurias proferentem e fenestra praecipitem agi iussit, canesque illam, relictis tantum ossibus devorarunt (IV Reg. IX). Scripsit tum Iehu ad samaritas, ut ex 70 filiis Achabi quem vellent in regem sibi eligerent. Respondentibus illis, se Iehu servos esse, praecepit, ut omnes Achabi filios interimerent, quod ipsi fecerunt. Tunc Iehu occidi iussit omnes propinquos Achabi, eius amicos, aulicos, ac sacerdotes, qui erant in Iezrahel. Quum in Samariam venisset, 42 fratres, seu propinquos, Ochoziae regis, qui Ochoziae filios salutaturi venerant, interimi iussit. Dein residuos de domo Achab de medio tolli, omnes pseudoprophetas Baal in simulato festo trucidari, statuam idoli Baal comburi, templum eius destrui, locumque illius in latrinas converti praecepit (IV Reg. X).

Iam vero quis non videt Deum rege Iehu ut instrumento suae vindictae usum esse? Praedixerat enim Deus per Eliam prophetam regi Achab, se in diebus filii eius Ioram ulturum esse eius flagitia. Num forte Deo, supremo vitae omnium domino, criminumque iusto vindici, ius non est in hac vita scelera puniendi?

Verum Iehu, licet instrumentum divinae vindictae fuisset, a cultu vitulorum aureorum, et a peccatis Ieroboam non recessit, et puniendo crimina, adversus Deum patrata, potius ferocem suam indolem, quam voluntatem Domini, secutus fuerat; quare Deus apud Oseam I, 4-5 ait, se ulturum esse sanguinem, quem in Iezrahel effuderat

210. IV Reg. XI regina Athalia iussu Ioiadae summi sacerdotis enecatur.

Ast Athalia, Achabi regis Israëlis seu Samariae, et Iezabelis filia, ac Ioram regis Iudae coniux, mulier impia erat. Audito Ochoziam suum filium, et 42 eius propinquos a Iehu occisos esse, omnes filios Ochoziae exterminari iussit, ut ipsa thronum Iudae conscenderet. Iosaba autem, regis Ochoziae soror, Ioas, Ochoziae filium, caedi subtraxit. Quum Ioas cum sua nutrice sex annis in templo absconditus fuisset, Ioiadas, summus sacerdos, eum septimo illius aetatis anno, congregatis sacerdotibus ac levitis, regem declaravit, Athaliamque, ad laetabundos clamores ad templum adcurrentem, interimi iussit.

Quis non perspicit, Athaliam editis nefariis necibus thronum Iudae contra voluntatem Domini occupasse? An mirum igitur, summum sacerdotem Ioiadam, qui legem Dei voluntatemque Domini populo explicabat, illam de medio tolli, et Ioas eius loco collocari, iussisse? Mirandum prorsus deistas, qui iura regnantium a contractu sociali repetunt, necem Athaliae Ioiadae crimini vertere.

§ LXVIII. Salomonis imperium, equilia et sapientia.

211. III Reg. IV, 21 legitur: « Salomon erat in ditione sua habens » omnia regna a flumine terrae Philisthiim (Euphrate) usque ad terminum Aegypti : offerentium sibi » munera, et servientium ei cunctis » diebus vitae eius. »

Ast haec de proprio Salomonis regno nequaquam intelligenda sunt; proprium eius regnum comprehendebat Palaestinam, regna vero ab Euphrate usque ad confinia Aegypti, regna nempe Syriae, Damasci, Moab et Ammon ipsi tributaria erant (conf. II Reg. VIII et II Paralip. VIII).

212. III. Reg. IV, 26 dicitur: « Habebat Salomon quadraginta millia praesepia equorum currilium, » et duodecim millia equestrium. »

II autem Paral. I, 14 refertur: Salomoni « facti sunt mille quadringenti currus, et duodecim millia » equitum: et fecit eos esse in urbibus quadrigarum, et cum rege » in Ierusalem. »

II Paral. IX, 25 narratur: « Habuit Salomon quadraginta millia » equorum in stabulis, et curruum » equitumque duodecim millia. »

In textum hebraicum (III Reg. IV, 26), et in vulgatam versionem (II Paral. IX, 25), mendum amanuensium irrepsisse patet ex textu hebraico, qui (II Paral. IX, 25) habet: « Salomon habebat quatuor millia » equilia equorum, et curruum, et » duodecim millia equitum.» In istis 4000 equilium, iuxta II Paralip. I, 14 in variis Palaestinae urbibus positis, facile collocari poterant 1400 currus, et 12000 equorum pro equitibus; quae (II Paral. I, 14) Salomon habuisse legitur.

Quare (III Reg. IV, 26) legendum est 4,000 *praesepia*, (praesepia pro equilibus) et in Vulgata (II Paral. IX, 25) 4,000 ut in textu hebraico. Habebat autem Salomon hosce equos ex Aegypto et Coa, ut II Paral. I, 16 legitur.

213. III Reg. III, 12 Deus Salomoni: « Dedi tibi, inquit, cor sapiens et intelligens, in tantum ut » nullus ante te similis tui fuerit, » nec post te surrecturus sit.»

Haec verba intelligunt alii quod nemo ante et post Salomonem scientia rerum naturalium et politicarum illo fuerit doctior, alii quod nemo sua scientia acquisita similis illi fuerit quod ad eius scientiam infusam, et alii tandem quod nullus rex iudaeorum Salomoni scientia similis fuerit.

214. NB. In libros tantae antiquitatis, quales sunt libri Regum, menda parvi momenti amanuensium oscitantia irrepsisse, mirum non est, cum ea sit sors omnium veterum apographorum.

Sic I Reg. XIII, 5 modo legitur, philisthaeos, qui haud magnum populum constituebant, 30,000 curruum, et 6000 dumtaxat equitum habuisse. Mendum ibi adesse videtur et legendum 3000 curruum, ut interpres syriacus et arabicus habent.

(I Reg. XIII, 1) habet textus hebraicus: « Filius anni erat Saul cum regnare coepisset. » Ibi anni aetatis Saulis excidisse videntur: verba vero sequentia: « Duobus autem annis regnavit super Israel, » connectenda sunt cum versu sequenti, ita ut sensus sit: « Quum duobus annis » regnasset super Israel, elegit sibi » tria millia de Israel. »

DE LIBRIS PARALIPOMENON

§ LXIX. Lingua et auctor librorum Paralipomenon.

215. Libri Paralipomenon lingua hebraica exarati fuerunt; plura autem verba chaldaica in illa occurrunt.

Cum duo ultimi versus cap. ult. II Paralipomenon iidem sint ac tres primi versus I libri Edsrae, nonnulli inde collegerunt Esdram librorum Paralipomenon esse auctorem. Verum diversitas styli et diversa narrandi ratio, quae in his libris occurrunt, evincunt, Esdram eorum auctorem haud esse. Quis vero illorum auctor sit, definiri haud potest.

§ LXX. Libri Paralipomenon ex coaevis documentis excerpti sunt.

216. Patet id

1° Quod in hisce libris, praesertim in secundo, occurrant frequentes allegationes antiquorum documentorum, seu Annalium regum Iuda et Israël.

2° Quod auctor crebro ipsa verba antiquorum documentorum servaverit: sic II Paralip. IV, 42-43 dicitur, 500 viros de filiis Simeon in Seir percussisse reliquias amalecitarum, et ibi habitasse *usque ad diem hanc*. Cum auctor librorum Paralipomenon scripserit post captivitatem babylonicam 70 annorum, qua iudaei e Palaestina abducti fuerunt, liquet auctorem, quae loco adlegato narrat, ex coaevo documento hausisse.

II Paral. V, 9 dicitur, arcam fuisse in templo *usque in praesentem diem;* tempore autem abductionis hebraeorum in captivitatem babylonicam templum destructum erat, proinde quae auctor ibi refert descripsit ex documento coaevo. Idem patet ex II Paral. VIII, 8; XXI, 10, etc.

3° Cum multa in his libris narrata conveniant cum multis quae in libris Regum leguntur, vix dubitari potest quin libri Paralipomenon et libri Regum ex eisdem coaevis documentis, ex annalibus nempe regum Iuda et Israël, excerpti sint (conf. n. 185).

§ LXXI. Aetas librorum Paralipomenon. Fides eis debita.

217. Cum propositum auctoris sit hebraeis e captivitate 70 annorum reducibus sedes et agros suorum maiorum indicare, etc., liquet libros Paralipomenon paulo post reditum ex hac captivitate conscriptos fuisse.

218. Hos autem libros omni fide dignos esse, liquet: — quod auctor documenta coaeva scrupulose adhibuerit, servatis frequenter iisdem verbis (n. 216); — quod iudaei hosce libros ut sacros susceperint, et documenta, ex quibus confecti sunt, neglexerint, adeo ut perierint; — quod auctor non solum referat quae nationi suae sunt gloriosa, sed etiam quae ei sunt ignominiosa; — quod multa, quae in hisce libris leguntur,

eodem modo referantur ab auctore librorum Regum, a psalmista, et a prophetis (conf. n. 34-36 et 417-422).

§ LXXII. Argumentum et scopus librorum Paralipomenon. Eorum cum libris Regum collatio.

219. Duo libri Paralipomenon, quae vox *praetermissa* significat, ab hebraeis tamquam unus liber habentur, et vocantur *Dibré Haijamim,* id est *Annales.* S. Hieronymus eos *Chronica* nuncupavit. Continent autem epitomen historiae hebraeorum ab Adamo usque ad captivitatem 70 annorum apud babylonios. Auctor historiam regni Israëlis non attingit, nisi quando eius nexus cum historia regni Iudae id exigit. Supplet multa quae in libris Regum omissa fuerunt, et omittit multa, quae in libris Regum occurrunt.

220. Scopus autem auctoris fuit iudaeis, e longo exilio 70 annorum reducibus, sedes et agros suorum maiorum indicare, et docere qua ratione cultus divinus sit restituendus; quare etiam genealogias sacerdotum ac levitarum fuse exponit.

221. Cum libri Paralipomenon libros Regum frequenter suppleant et explicent, eamdemque crebro historiam referant, utrique simul conferendi sunt, ut quod in alterutro obscurum vel mendosum est, ex altero explicetur vel corrigatur.

DIFFICULTATES LIBRORUM PARALIPOMENON

§ LXXIII. Divitiae Davidis et Salomonis.

222. (I Paral. XXII, 14) David Salomoni: « Praeparavi, inquit, im-
» pensas domus Domini, auri talen-
» ta centum millia, et argenti mille
» millia talentorum. »

Tanta auri argentique copia, a Davide Salomoni ad construendum templum hierosolymitanum relicta non solummodo deistis, sed etiam nonnullis interpretibus incredibilis visa est; quare alii interpretes existimarunt auctorem Paralipomenon per hyperbolem locutum esse, quod ad curatae talentorum determinationi adversatur; alii autumarunt auctorem talentum minus assumpsisse loco talenti communis iudaeorum; alii hic talentum pro moneta sumpserunt; et alii crediderunt hic mendum in textum irrepsisse.

Verum non perpenderunt vastissimum ac sumptuosissimum templum hierosolymitanum a Salomone extructum, cum ditissima sua supellectili, pretiosisque ornamentis, summam I Paral. XXII, 14 memoratam postulare.

Si talentum aureum hebraeorum statuamus cum cl. Calmet (1) esse 68,133 librarum gallic. 6 sol. et 8 den., talentum vero argenti 4,866 lib. gal., 13 sol. ac 4 den., thesauri a Davide Salomoni relicti summam confecissent 11,918,466,666 libr. gal. et 16 den. Hanc summam a Davide collectam fuisse incredibile non videbitur perpendenti Davidem longo regno 40 annorum plures a se devictos reges spoliasse, varia tributa a populis tributariis accepisse, ab hebraeis vectigalia et census exegisse, commercia ditissima cum aliis populis exercuisse, in regionem Ophir, auri feracissimam, viam ei patuisse, et illum parcimoniae studuisse, ut summam magnificentissimo templo extruendo necessariam colligeret.

Deistae superioris aetatis hasce Davidis divitias ut confictas habuere. Ast quantum sibimetipsis fucum fecerint, liquet, quod in historia profana legantur reges, quorum imperium haud latius patebat quam Davidicum, attentis praesertim regionibus eidem tributariis, qui parcimoniae non studuerant, et qui maiores auri argentique opes congesserunt quam David: sic Ctesias nar-

(1) Dict. de la bible.

rat Sardanapalum, regem Assyriae a Nabonassare seu Belesi, et Arbace(1) in Ninive obsessum (conf. n. 404), se cum suis combusturum « decies » centena millia talentorum auri, » centies centena millia talentorum » argenti, centum quinquaginta le- » ctos aureos, et totidem mensas » aureas, etc.,» in accensum rogum coniici iussisse, filiisque aufugientibus « tria millia talentorum auri dedisse (2). »

Atabalipa, ultimus rex regionis Peruviae, hispanorum duci Pizarro in sui redemptionem tot vasa aurea et argentea obtulit, quot capere poterat aula salutatoria, in qua cum Pizarro erat. Pizarro autem, hisce non contentus, urbem Cusco spoliavit, ex qua multo plus auri et argenti abstulit, quam Atabalipa ei obtulerat (3).

223. II Paral. VIII, 18 legitur, classem Salomoni ex Ophir attulisse 450 talenta auri.

Sed hoc incredibile haud est, cum notum sit regionem Ophir auri fuisse feracissimam. Quaenam autem sit ista regio Ophir, inter eruditos non convenit. Alii dixerunt eam fuisse partem Armeniae, alii regionem Peruviae, alii auream Chersonesum hodie Malaca adpellatam, alii alia opinati sunt (4).

§ LXXIV. Exercitus Abia et Ieroboam, Asa et Zara, Iosaphat. Ochoziae solium conscendentis aetas.

224. II Paral. XIII, 3-4 refertur, Abiam, regem Iuda, cum exercitu 400,000 virorum electorum praelium iniisse adversus Ieroboam, regem Israelis, habentem 800,000 virorum, et v. 17 legitur 500,000 de exercitu Ieroboam corruisse.

Cum ambo isti exercitus ex unis iudaeis Palaestinae conflati summam confecissent 1,200,000 bellatorum, aiunt alii, reges tum temporis omnes suos subditos, ad arma ferenda aptos, ad bellum coëgisse, alii vero adfirmant mendum amanuensium in textum irrepsisse: nonnulli codices manuscripti, et plura biblia typis mandata, ut Veneta an. 1478 et an. 1489, Nuremberg, an. 1521, Basil. Froben an. 1538, Paris. Rob. Steph. an. 1546 et plura alia, v. 3-4, tribuunt Abiae 40,000 et Ieroboamo 80,000 hominum. Versu autem 17 nonnullae editiones latinae legunt 50,000 de israëlitis corruisse.

225. II Paral. XIV, 7, 8, 13 legitur, Asa regem Iudae exercitum habuisse 580,000 hominum, eoque ad internecionem percussisse exercitum 1,000,000 bellatorum Zara, regis Aethiopiae.

II Paralip. XVII, 14-19 dicitur Iosaphat regi Iudae, fuisse exercitum 1,160,000 bellatorum, aliosque praeterea milites in urbibus munitis.

Ad quae duo eadem ac ad exercitus Abia et Ieroboam esto responsio.

226. II Paral. XXII, 2 habetur Ochoziam, regem Iudae, 42 annorum fuisse, quando solium conscendit, et c. XXI, 20 legitur eius patrem Ioram, cui immediate successit, quadragesimo aetatis anno obiisse.

Verum in versum 2 c. XXII irrepsit mendum amanuensium; nam IV Reg. VIII, 26 dicitur Ochoziam 22 annos habuisse quando thronum conscendit. Ita etiam legunt interpres syriacus et arabicus, ac LXX interpretes in edit. Aldina, Basil., Francoford.: Bibl. Reg. Poliglot. Antv. et Paris.

(1) Aera Nabonassaris, inter chronologos celebris, incipit a 1.° anno eius regni Babylone, et anno 747 ante aeram vulgarem.

(2) Ctesias in fragmento.

(3) Vide Chevreau, hist. du monde, tom. 4, lib. 8, cap. 3.

(4) Vide Calmet, de regione Ophir.

DE LIBRIS ESDRAE ET NEHEMIAE

§ LXXV. Lingua, auctor et aetas I libri Esdrae. Fides ei debita.

227. I liber Esdrae scriptus fuit lingua hebraica, sed multis vocibus chaldaicis intermixta, et a lingua Moysis multum distante, immo a c. IV, 8 usque ad c. VII, 26 textus primigenius est chaldaicus, exceptis c. VI, 19-22, et c. VII, 1-11, quae hebraice scripta sunt.

228. Auctor vero illius est Esdras, dux iudaeorum septimo anno regni Artaxerxis ex 70 annorum captivitate Hierosolymam reversorum. Illum auctorem esse secundae partis huius libri, a capite nempe VII, X extra dubium est, Esdrasque ibi scribit *in prima persona,* ut c. VIII, 15-26, IX, 1-5.

Existimarunt autem nonnulli primam partem a capp. I-VI esse auctoris Esdra antiquioris, propterea quod c. V, 4 insinuari videatur auctorem fuisse Hierosolymis sub rege Dario. Fit ibi mentio de responsione iudaeorum ad gubernatores Syriae reaedificationem urbis Hierosolymae impedire conantes, et auctor ait: *Respondimus*, etc. Verum ibi loquitur Esdras nomine iudaeorum, ex eadem quippe gente oriundus; solent enim scriptores loqui nonnumquam nomine suae gentis, et dicere, v. gr. *indiximus bellum, victoriam retulimus,* etc.

Primam partem etiam ab Esdra scriptam esse evincit: 1° nexus capitis VI cum capite VII, diversitas vero elocutionis, quae in prima parte observatur inde oritur, quod Esdras quae ibi refert fere verbotenus ex annalibus antiquis deprompserit; 2° eadem narrandi ratio, quae in utraque parte occurrit.

Videtur autem Esdram librum suum scripsisse sub finem vitae suae, eo quod c. II referat etiam genealogiam et numerum iudaeorum postea sub Nehemia Hierosolymam reversorum.

229. Esdram autem fide dignissimum esse liquet, tum quod fuerit rebus quas scribit coaevus, et reliqua ex antiquis documentis hauserit, tum quod eius liber sit ut sacer a iudaeis receptus quando de illius veritate certiores esse poterant (conf. n. 34-36 et 417-422).

§ LXXVI. Argumentum I libri Esdrae.

230. Hic liber in duas partes dispesci potest, quarum prima, complectens VI priora capita, continet historiam viginti annorum, a primo anno Cyri, regis persarum, usque ad sextum annum Darii Hystaspis. Narratur in ea reditus hebraeorum ex captivitate babylonica Hierosolymam sub Zorobabele, restauratio cultus divini, templique hierosolymitani.

Secunda pars, continens cap. VII-X refert quomodo Esdras septimo Artaxerxis anno alios iudaeos in suam patriam reduxerit, amplamque a rege potestatem nactus sit res iudaeorum ad legis mosaicae amussim restituendi.

231. Historia sacra solummodo commemorat tribus Iuda et Beniamin ex captivitate in Iudaeam reversas esse; verum cum Cyrus et Artaxerxes omnibus iudaeis in patriam suam revertendi facultatem concesserint, procul dubio etiam multi ex aliis tribubus in Palaestinam reversi sunt.

Artaxerxes vero, qui c. septimo Esdrae amplissimam auctoritatem concessit, quique iuxta c. V, 6, VI, 1 post Darium Hystaspis regnavit, videtur esse Xerxes magnus; nomina enim regum persarum olim erant, et adhuc modo sunt, adpellativa, et Artaxerxes persice *strenuus bellator* sonat. Xerxes magnus septimo anno sui imperii ab infausta expeditione in graecos in Persiam reversus, ac

exemplis Cyri et Darii Hystaspis motus, Deum coeli sibi propitium reddere conatus est, iudaeos beneficiis cumulando (conf. n. 256).

§ LXXVII. Difficultates I libri Esdrae.

232. I Esdrae c. IV refertur samaritanos (conf. n. 80) templum hierosolymitanum cum iudaeis, Babylone reversis, reaedificare postulasse, communionemque ecclesiasticam petiisse, Zorobabel vero reliquosque iudaeos id ipsis denegasse.

Verum merito id factum est, quia samaritani non tam communionem templi quaerebant, quam commoda ex Cyri in iudaeos favore redundantia. Multiformes ut Proteus erant samaritani : sub Cyro et Alexandro Magno pro iudaeis haberi volebant, ob commoda, quae ab his principibus in iudaeos sperabant; sub Antiocho Epiphane autem iudaeos esse negabant, templumque Iovi in monte Garizim consecrabant.

233. I Esdrae VII, 6 Esdras *Scriba velox in lege Moysi* fuisse dicitur.

At hoc minime arguit Esdram haec non scripsisse; nam haec honoris compellatio aequivalet nostro titulo professoris theologiae, quem sane Esdras sibi dare potuit.

234. I Esdrae IX et X narratur Esdram a iudaeis removisse uxores alienigenas earumque prolem.

Sed ratio erat quod periculum seductionis in idololatriam, ob quod Moyses coniugia cum chanaanitis prohibuerat, tum aderat, ut II Esdrae XIII, 26 legitur. Matrimonium vero inter ipsos iudaeos solvi poterat (n. 61).

§ LXXVIII. Lingua, auctor et aetas II libri Esdrae. Fides ei debita.

235. Liber hic eadem ac superior lingua scriptus fuit.

Cum I et II liber Esdrae ab hebraeis olim pro unico libro haberentur, ambo nomine Esdrae venerunt, quo nomine in bibliis latinis adhuc compellantur.

236. Verum II liber Esdrae auctorem habet Nehemiam, ducem iudaeorum post Esdram Babylone in Iudaeam reversorum; id evincitur tum ex c. I, 1, tum quod narratio semper fit in persona Nehemiae.

237. Scripsit porro Nehemias hunc librum post secundum suum ad Hierosolymam reditum, qui locum habuit 20 circiter anno post eius primum adventum Hierosolymam. Si Nehemias anno post primum suum adventum rediisset, ut nonnulli existimant, tot abusus inveteratos tum non reperiisset, ut inveteratam profanationem sabbati, diuturnam retentionem decimarum, et nuptias cum alienigenis, e quibus prodierant filii iam adulti c. XIII, 24-25.

238. Nehemiam vero omnem fidem mereri patet, tum quod fuit rebus, quas refert, contemporaneus, tum quod eius liber receptus fuit ut sacer ea aetate, qua certa notitia de illius veritate haberi debebat (conf. n. 34-36 et 417 422).

§ LXXIX. Argumentum II libri Esdrae

239. Nehemias, filius Helciae, Artaxerxis regis persarum pincerna, audita iudaeorum e captivitate residuorum afflictione, ab Artaxerxe vigesimo illius imperii anno impetrat facultatem Hierosolymam revertendi, hancque urbem muniendi; munit autem eam urbem non obstantibus impedimentis a iudaeorum inimicis adpositis. Post duodecim annos iuxta promissa Babylonem reversus est, et post plures annos licentiam nactus est in suam patriam redeundi, ubi tum profanationem sabbati, decimarum retentionem, et coniugia cum alienigenis e sua natione sustulit.

240. Artaxerxem, cuius pincerna Nehemias fuit, esse Artaxerxem Lon-

gimanum, eruitur ex argumento libri, et ex ordine historiae.

DE LIBRO TOBIAE

§ LXXX. Lingua et versiones libri Tobiae.

241. Non constat utrum liber Tobiae scriptus sit lingua hebraica, chaldaica aut graeca. Origenes (Epist. ad Africanum) ait hebraeos hunc librum hebraice legere. S. Hieronymus iuxta exemplar chaldaicum ope interpretis confecit versionem latinam quae in Vulgata habetur. Ast utrum hoc exemplar primigenio sermone conscriptum, sive fuerit versio archetypi hebraici aut graeci incertum est.

S. Hieronymus (Praefat. in hunc librum): « Quia vicina est chaldaeo» rum lingua sermoni hebraeo, in» quit, utriusque linguae peritissi» mum loquacem reperiens, unius » diei laborem arripui, et quidquid » ille mihi hebraicis verbis expres» sit, hoc ego accito notario sermo» nibus latinis exposui. » Cum igitur quae iudaeus ille ex chaldaico sermone interpertabatur hebraice, e vestigio s. Hieronymus notario latine dictaverit, mirum non est frequentem esse dissensum versionis s. Hieronymi a textu graeco.

242. Extant duae versiones hebraicae huius libri, una p. Fagii, quae e textu graeco, et altera Seb. Munsteri, quae ex versione latina proficisci videtur. Versio syriaca aetatis incertae e textu graeco provenit. Existit adhuc versio latina illa s. Hieronymi antiquior e textu graeco descendens, et a Sabathier in *Biblior. Sac. Lat. versionibus antiq.* anno 1751 edita. Omnes autem hae versiones in multis inter se discrepant.

§ LXXXI. Auctor et aetas libri Tobiae.

243. Auctores libri Tobiae a multis creduntur ambo Tobiae, eo quod c. XII, 20, ubi in Vulgata angelus dixisse legitur: *Narrate omnia mirabilia eius*, textus graecus habet: *Scribite omnia quae facta sunt in libro*. Textui graeco consentiunt ambae versiones hebraicae Fagii et Munsteri, antiqua versio latina et versio syriaca; quare in textu graeco et in versione Fagii et syriaca Tobiae in prima persona loquuntur. Cl. Iahn existimat iussionem angeli esse commendationem libri, quae ad stylum et elocutionem pertineat (1).

Contendunt alii Tobias reliquisse documenta, e quibus historia postea confecta sit, propterea quod in illa occurrant animadversiones, et mors utriusque Tobiae, quas Tobiae referre non potuerunt. Si Tobiae auctores essent huius libri, eius aetas septimum saeculum ante aeram vulgarem attingeret. Cl. Iahn existimat illum vix ante annum 200 vel 150 ante Christum confectum esse (2). (Conf. n. 34-36 et 417-422).

§ LXXXII. Argumentum libri Tobiae.

244. Continet hic liber narrationem de Tobia seniore ac iuniore tempore captivitatis assyriacae, in quam Salmanasar decem tribus Israel abduxerat. Tobias senior de tribu Nephthali, eversa per Salmanasarem Samaria, in Assyriam abductus, in Ninive commoratus est, ubi se in alios israëlitas beneficum exhibuit, atque demortuos sepelivit. Gabelo in Rages, civitate medorum, 10 talenta argenti chirographi cautione credidit. Sub Sennacherib omnibus suis bonis spoliatus, fuga suae vitae consulere debuit. Occiso Sennacherib, sub Assaradone Niniven rediit. Quum ibi mortuum israëlitam sepeliisset, dormienti calida hirundinum stercora in oculos inciderunt, eisque maculas albas inducendo, seni

(1) Iahn. Introd. in L. S. V. F. § 241.
(2) Iahn ib. § 240

caecitatem incusserunt. Hanc patienter tulit, et uxoris Annae opera vitam sustentavit. Cum balantem audiisset hircum, quem uxor dono acceperat, eum furto ablatum esse ratus, uxorem ad illius restitutionem hortatus est: illa propterea irata varia illi exprobrat. Tobias in moestitiam ideo delapsus, a Deo finem vitae implorat. Eodem tempore ancilla Sarae Raguelis filiae exprobrat, quod septem suos maritos occidisset; quare et Sara afflicta mortem a Deo petit: angelus autem Raphaël Tobiam et Saram consolatur (c. I-III).

Tobias senior mortem expectans Tobiae filio salutaria monita impertitur, illumque cum Raphaële in civitatem Rages mittit ad Gabelum 10 talenta argenti recuperaturum (c. IV-V).

Cum ingens piscis iuniorem Tobiam in Tigride pedes lavantem aggrederetur, Raphaël eum iubet piscem istum ad oram fluminis trahere et exenterare, monetque eius cor, fel et hepar salutaria esse medicamenta; consulit Tobiae ut Saram, Raguelis filiam, in uxorem ducat, quod Tobias fecit. Fumo accensi cordis et heparis piscis Tobias fugat Asmodaeum, qui septem Sarae maritos prima nuptiarum nocte interemerat, Raphaël vero hunc Asmodaeum in deserto superioris Aegypti religat (c. VI-VIII).

Raphaël Ecbatanis a Tobia missus ad Gabelum in Rages, decem talenta argenti recuperat, et dein cum Tobia et Sara revertitur ad seniorem Tobiam, cui filius felle piscis usum oculorum restituit (c. IX-XI).

Raphaël 5 talenta argenti in mercedem itineris oblata recusat, seque dicit unum de septem spiritibus qui Deo ministrant, eique hominum preces offerunt. Refertur deinde mors utriusque Tobiae (c. XII-XIV).

(1) Iahn. Introd. in L. S. F. V. Sect. IV. § 216.

§ LXXXIII. Difficultates libri Tobiae.

245. Nonnullis libris deuterocanonicis, quos inter liber Tobiae, opponuntur difficultates, quae non adeo commode solvuntur ac illae quae contra libros protocanonicos obiiciuntur. Ob hasce difficultates cl. Iahn (1) cum nonnullis aliis (n. 18), existimat discrimen inter libros proto ac deuterocanonicos adhuc subsistere, pluresque recentiores cum nonnullis antiquioribus (n. 18) librum Tobiae propterea ut *parabolam* habent. Praecipuae difficultates sunt:

1° Strabo refert (2) civitatem Rages, vel Ragiam in Media, a Seleuco Nicatore conditam fuisse, proinde 300 annis ante Christum; iuxta librum Tobiae autem haec urbs 700 annis ante Christum stetisset.

2° Legitur (c. III, 7), Saram, Raguelis filiam, et (c. IV, 21) Gabelum etiam in Rages civitate medorum habitasse: ac (c. VI, 6 et c. IX, 3) Tobias iunior, cum in Rages esset, angelum Raphaëlem ad Gabelum in Rages civitatem medorum misisse dicitur. Quae contradictoria videntur.

3° Tobias senior ab Anna uxore, et Sara, Raguelis filia, ab ancilla eadem die iniuste arguuntur; eodem tempore ambo a Deo mortem exoptant, et eodem tempore ambo a Deo per Raphaëlem consolantur. Tot eventus consimiles et contemporanei, aiunt parabolae defensores, historiam non sapiunt.

4° C. I, 1-2 narratur Tobiam seniorem e tribu et civitate Nephthali in diebus Salmanasaris regis assyriorum captum fuisse, et IV Reg. XV, 29 refertur Teglathphalasarem, Salmanasaris praedecessorem, « universam terram Nephthali cepisse, » et in assyrios transtulisse. » Quae secum haud concordare videntur.

(2) Pag. 524.

5° Angelus Raphaël in hoc libro mentitus esse legitur; nam (c. V, 7) se dicit ex filiis Israel, et (ibid. v. 18) ait: « Ego sum Azarias Ananiae magni filius; » (c. VII, 3) dicit: « Ex tribu Nephthali sumus, ex captivitate Ninive; » (c. V, 8): « Omnia, inquit, itinera Mediae frequenter ambulavi, et mansi apud » Gabelum fratrem nostrum. » Angelus, aiunt parabolae patroni, huiusmodi mendacia proferre nequit.

6° Tobias (c. XIV, 7) praedicit: « Domus Dei, quae incensa est, iterum aedificabitur. » Constat autem templum hierosolymitanum non fuisse incensum nisi longo tempore post mortem Tobiae.

7° Asmodaeus, seu diabolus, amore Sarae captus septem eius maritos propter zelotypiam trucidasse legitur (c. III, 8; VI, 14-15). Quomodo, aiunt, diabolus qui purus spiritus est, zelotypia laborare, ac Saram libidinose adamare potuit?

8° Quomodo fumo cordis hepatisque piscis hic Asmodaeus abigi potuit? ut (c. VI, 8, 19; VIII, 2) dicitur. Quomodo Raphaël hunc Asmodaeum, qui spiritus erat, arripere, et in deserto superioris Aegypti religare potuit (c. VIII, 3)? Quomodo haec concipi possunt?

9° Incredibile videtur hirundinum excrementa in ambos oculos simul Tobiae dormientis incidisse, eum ita caecum factum esse (c. II, 10-12), eiusque filium felle piscis visum eidem restituisse (c. XI, 13-16).

§ LXXXIV. Solutio difficultatum.

246. « Hisce difficultatibus moti » interpretes recentiores plerique, » ait cl. Iahn (1), narrationem cen» sent esse parabolam, qua docea» tur preces proborum calamitati» bus conflictantium a Deo exau» diri, quod et Raphaël (c. XII, 15) » non absque ratione disertis ver» bis edicit. Qui integram narratio» nem veris historiis accensent, o» mnibus difficultatibus unico res» ponso, miracula esse, expedire se » posse arbitrantur. »

Ast nonnullas difficultates ab aliquibus fuisse exaggeratas, et postremam universalem Iahnii affirmationem a veritate alienam esse, patebit ex dicendis, de quibus apud lectores esto iudicium.

1° Urbs iampridem extans, quae a principe ampliata, decorata, ac fere immutata sit, ab isto principe condita quandoque a scriptoribus dicitur: sic Babylonis exstructio attribuitur reginae Semirami, quae illam tantum perfecit, **ampliavit**, ac insigniter immutavit. Et Nabuchodonosor (Dan. IV, 27): « Nonne, ait, » haec est Babylon magna, quam » ego aedificavi? » id est ornavi et ampliavi, licet iam a Nemrodo exstrui coepta, et a Belo antea aucta sit. Virgilius canit (Aen. I. 8):

Tum rex Evandrus Romanae conditor arcis,

et tamen Romae aedificatio Romulo attribuitur. Cur igitur etiam civitas Rages 700 annis ante Christum stare, et 300 ante Christum a Seleuco Nicatore perfecta, ampliata, ornata, etc. atque latiore sensu condita dici a Strabone non potuit?

Caeterum quis Strabonem potius quam auctorem libri Tobiae falli nescium reputabit? praesumptio stat profecto in favorem auctoris libri Tobiae.

2° Non cum versione vulgata legendum est (c. III, 7) Saram Raguelis filiam habitasse in *Rages civitate medorum*, sed *in Ecbatanis Mediae*. Antiquissimus enim textus graecus legit: ἐν Ἐκβατάνοις τῆς Μηδίας, *in Ecbatanis Mediae;* ita legit antiqua versio latina codicis manuscripti s. Germani de Pratis; ita habetur in

(1) Iahn. Introd. in L. S. V. F. Sect. IV, § 258.

versionibus hebraicis Fagii et Munsteri; et ita reperitur in versione syriaca.

C. VI, 6 pariter legendum est *Ecbatanis* quae urbs propterea c. IX, 3 subintelligitur, ita ut iunior Tobias, cum Ecbatanis apud Raguelem esset, Raphaëlem in civitatem Rages miserit ad Gabelum, qui iuxta c. IV, 21 ea in urbe habitabat.

3° Contemporanea haec peculiarem quidem providentiam evincunt, sed si hanc in aliis libris sacris agnoscimus, cur eamdem hic fateri recusaremus? forte quaeres quis finis Deo dignus in hac peculiari providentia reperiatur? Respondemus talem in promtu esse, nempe, ut Deus insignem pietatem ac virtutem eximiam familiarum Tobiae ac Sarae remuneraretur, suamque peculiarem erga pios probosque curam manifestaret.

4° Probandum esset Tobiam cum sua familia tempore primae deportationis sub Teglathphalasare in terra Nephthali fuisse, aut huic se deportationi fuga non subduxisse. Constat post primam deportationem sub Teglathphalasare, immo post secundam sub Salmanasare, atque post destructionem regni Israelis, israëlitas in regno Israël fuisse, cum Iosias, rex Iudae, pecunias ab illis accepisse legatur II Paralip. XXXIV, 9. Cur igitur etiam Tobias se primae deportationi sub Teglathphalasare subtrahere non potuit?

5° Visiones et actiones angelorum sub specie aliena non sunt actiones humanae, proptereaque communibus actionum humanarum legibus subiectae, sed sunt ordinis superioris a Deo bonum in finem iussae. Quare cum angelus Raphaël in Tobiae iunioris bonum personam Azariae, Ananiae magni filii, assumpta eius specie, exterius prae se ferret; se (c. V, 18) Azariam dicere potuit; (c. V, 7) de filiis Israel; (c. VII, 3) de tribu Nephthali, (c. V) se itinera Mediae frequenter ambulasse, et apud Gabelum mansisse, eo quod alias assumpto corpore iussa Dei peragendo per istas vias incesserat, et apud Gabelum pernoctaverat. Se vero ibidem fratrem Gabeli dicere poterat, eo quod eumdem ac Gabelus patrem ac creatorem habebat.

Caeterum angeli, qui aliis in libris sacris nomine Dei locuti atque egisse leguntur, ut Gen. XXXI, 13, ubi angelus vices Dei gerens, *Ego sum*, ait, *Deus Bethel*, mentiti esse minime dicuntur; cur igitur Raphaëlem in similibus adiunctis mentitum diceremus? Profecto qui personam Iulii Caesaris aut Pompei in theatro sustinens, se I. Caesarem aut Pompeium dicit, minime mentiri praesumitur.

6° Nonnulli textum Vulgatae secuti aiunt Tobiam (c. XIV, 7) futuram ruinam templi hierosolymitani more prophetico ut iam peractam praedixisse. Alii aiunt, in numerum annorum vitae Tobiae mendum irrepsisse. Versio vulgata ait Tobiam anno 102 aetatis obiisse, et LXX interpretes dicunt anno 158; iuxta Vulgatam proinde Tobias obiisset 50 anno circiter ante destructionem templi, quae anno 11 Sedeciae regis, et anno 3416 ab orbe condito contigit, et iuxta LXX interpretes mortuus esset aliquot annis post destructum templum. Ast ad haec haud opus est confugere; nam textus graecus, quem primi patres ecclesiae maximi fecerunt, ruinam templi non ut factam, sed ut futuram exhibet.

7° Textus equidem graecus, non vero vulgata, refert Tobiam iuniorem dixisse: « Timeo ne ingressus » moriar... quoniam daemonium a- » mat eam. » At exinde solummodo

sequitur Tobiam iuniorem iuxta praeiudicium vulgi credidisse Asmodaeum septem priores maritos occidisse, eo quod ipse Saram adamaret. Ast auctor libri Tobiae hoc praeiudicium referendo, illud haud approbat.

Ex antiquis fuerunt quidem, qui angelos sive bonos sive malos corporibus praeditos existimarunt, et hinc collegerunt eos in mulierum amorem exardescere posse (conf. n. 121); verum haec opinio dudum neglecta, et ab ecclesiae sensu aliena est. Angeli sunt puri spiritus; quare Asmodaeus Saram libidinose haud potuit adamare. Egit quidem Asmodaeus comparate ad Sarae maritos, illos interimendo, ut invidus amasius egisset; at auctor libri Tobiae refert Deum id permisisse tum in poenam libidinosorum maritorum, tum ut Sara probissimo iuniori Tobiae virgo conservaretur *.

8° Fumus cordis hepatisque piscis directe in spiritum istum agere non potuerit, potuit tamen indirecte, cohibendo nempe cupiditates, quarum occasione spiritus ille alios maritos occiderat. Cor autem et iecur istius piscis incensa virtutem cohibendi cupiditates habuisse nemo mirabitur, qui reputaverit plures plantas hac vi praeditas esse. Cap. autem VIII, 3 solummodo significatur Raphaëlem virtute Dei Asmodaeo nocendi vim ademisse; ac in locum abire iussisse, ubi nemini poterat nocere.

9° « Oculis patentibus dormiunt lepores, multique hominum, » ait Plinius (1); quare si Tobias ita dormivit, ei calida hirundinum stercora e nido, in quo plures hirundines erant, facile in ambos oculos simul incidere potuerunt. Sed etiam si Tobias clausis oculis dormierit, eos casu aperire potuit. Excrementa hirundinum vi acri et maxime caustica praedita sunt, ut naturalistae testantur, ita ut, si valde calida sint, corneam oculorum adurere possint. Stercora vero oculis Tobiae illapsa admodum calida non fuerunt, sed inflammationem in oculis genuerunt, quae manuum frictione, ut evenit, adaucta, glaucoma, seu tenuem pelliculam pupillis superinduxit; quare auctor libri Tobiae ait e Tobiae oculis postea exisse *quasi membranam ovi* (cap. XI, 14). Hinc liquet organum visus Tobiae sanum, sed pellicula solummodo obductum fuisse. Removenda tantummodo erat isthaec pellicula, hoc nostro tempore acu frequenter aufertur. Physiologi autem conveniunt, felli lucii, callionymi et nonnullorum aliorum piscium vim glaucomata abigendi inesse: proinde Tobias iunior felle piscis etiam naturaliter patri visum restituere potuit.

DE LIBRO IUDITH

§ LXXXV. Lingua, auctor, aetas et versiones libri Iudith.

247. Librum hunc lingua hebraica scriptum non fuisse, testatur Origenes (Epist. ad Africanum) scribens nihil umquam de textu aliquo hebraeo huius libri auditum fuisse. S. Hieronymus versionem latinam, in vulgata extantem, iuxta exemplar chaldaicum confecit, existimavitque librum Iudith primitus

* Hugo Grotius arbitratus est, istum Asmodaeum nihil aliud fuisse quam noxiam corporis Sarae affectionem, quae venere irritata, septem eius maritis mortem intulisset, et quae a Tobia fumo cordis iecorisque piscis sanata sit. At perpendenti patet, hanc opinionem omni prorsus fundamento destitui, menti auctoris libri Tobiae, Sarae sanum corporis habitum tribuentis, contrariam esse, ac cum c. VIII, 8, ubi Asmodaeus in Aegypto religatus dicitur, haud posse conciliari.

Fatendum est haud intelligi quomodo quintus, sextus et septimus maritus Saram in uxorem ducere ausi sint, cum scirent priores maritos tam infeliciter, tam cito, et tam inopinate periisse. At plura reapse contingunt, quae opinione falsa videntur.

(1) Plin., lib. 11, c. 37, Varro Prometh.

chaldaico sermone exaratum fuisse. Ast id minime constat. Exemplar s. Hieronymi potuit esse versio textus graeci; imitatio orationum graecarum in hoc libro occurrens, indicare videtur eum primitus graece conscriptum fuisse.

Alii attribuunt hunc librum summo sacerdoti Eliachim, seu Ioachim, et alii Iosuae filio Iosedec.

Alii existimant ipsum ante, alii post captivitatem babylonicam confectum fuisse. Verisimile est auctorem, cuius nomen ignoratur, scripsisse aevo Machabaeorum: huic tempori convenit mos iudaeorum more graecorum perorandi, qui in hoc libro reperitur, et hebraei tum litteris graecis operam navabant.

Praeter versionem vulgatam, extat alia versio latina e textu graeco descendens, ab eodem tamen frequenter dissentiens. Versio vero syriaca aetatis incertae textui graeco magis consona est; et ex illo emanasse videtur.

§ LXXXVI. Argumentum libri Iudith.

248. Nabuchodonosor, rex assyriorum, in Ninive commorans, duodecimo sui imperii anno, devicto Arphaxad medorum rege et Ecbatanorum conditore, aliis vicinis populis imperare cupiens, ad eos misit legatos. Cum hi sine honore remissi essent, istis populis excidium decrevit. Anno igitur tertio decimo sui regni misit ducem Holofernem cum ingenti exercitu, qui maximas strages inter hosce populos edidit, etiam inter eos qui sponte se dederant; idola subvertit, ut Nabuchodonosor solus Deus haberetur, et ad Esdrelon pervenit (c. I-III).

Iudaei, qui paulo ante ex captivitate reduces, cultum Dei restituerant, sub imperio summi sacerdotis Eliachim ac seniorum nationis se ad defensionem parant, et ieiuniis ac orationibus Dei auxilium implorant. Holofernes iudaeorum firmitatem miratus e copiarum auxiliarium ducibus quaenam sit ista gens exquirit. Achior vero ammonitarum dux, illi hebraeorum notitiam tradit, eumque a praelio dissuadet, nisi constet hebraeos se Deo infideles praebuisse. Holofernes vero liberam Achioris orationem aegre ferens, eum Bethuliae incolis tradi iubet, eamdem postea cum illis sortem experturum (c. IV-VI).

Altero die exercitus Holofernis aditus montium Bethuliae occupat, Bethuliam obsidione cingit, aquasque in urbem fluentes intercipit. Triginta et quatuor diebus postea bethulienses ad angustias redacti, se Holoferni dedere meditantur, nisi intra quinque dies suppetiae illis ferantur. Iudith nobilis, dives, ac formosa Manassis vidua, praefecto ac senatoribus bethuliensibus diffidentiam in Deum, deditionisque consilium exprobrat, atque vestibus ornamentisque pretiosissimis amicta, eorum consensu vespere urbe egreditur, ab ancilla (*abra*), commeatum portante, comitata, Holofernem adit, transfugam se simulans, eique ait Deum hebraeos illi traditurum esse, se Deum coeli colere, mansuramque apud illum in castris, dummodo sibi noctu egredi liceat, ad preces suas Deo offerendas: tandem promittit se Holofernem Hierosolymam usque ducturam esse (c. VII-XI).

Holofernes his sermonibus ac pulcritudine Iudithae captus, eam bene habuit. Illa vero quarta die post convivium sola cum Holoferne penitus ebrio noctu relicta, dormienti amputat caput, quod abrae in pera portandum tradit, atque dein more solito Deum precatura castris egressa, bethuliensibus caput Holofernis ostendit. Mane facto bethulienses in

hostes, nece sui ducis conterritos, irruunt, eosque dispergunt (c. XII-XVI).

§ LXXXVII. Difficultates libri Iudith.

249. « Magnae fiunt obiectiones, » ait cl. Lamy (1), adversus histo- » rias Tobiae, Iudith et Susannae, » de quibus ne verbum quidem oc- » currit in libris Regum, et in Fl. » Iosepho. Caeterum quocumque » tempore contigisse ponantur, dif- » ficillime conciliantur cum illis, » quae reperiuntur in libris proto- » canonicis. Aliqui libros Iobi, To- » biae, et Iudith pro parabolis ha- » buerunt. »

» Difficultates inextricabiles geo- » graphicae et historicae per totum » librum (Iudith) dispersae sunt, » ait cl. Iahn (2); brevitatis causa » solummodo historicas et chrono- » logicas exponemus, atque in eo, » quod summum est, sistemus, nem- » pe non esse temporis spatium, » quo haec omnia contingere po- » tuissent. » Recenset dein difficultates systematis hanc historiam collocantis ante captivitatem babylonicam, et difficultates systematis eam post exilium babylonicum referentis. »

« Maxima difficultas, quae adver- » sus librum Iudith movetur, ait » cl. Calmet (3), consistit in assi- » gnando tempore quo historia, » quam liber exponit, contigerit. » Textus graecus et syriacus pro- » bare videntur illam evenisse post » captivitatem babylonicam, textus » latinus vulgatae explicari potest » de tempore quod captivitatem prae- » cessit. Uterque textus summas pa- » titur difficultates, quocumque mo- » do intelligatur, et quocumque » tempore historia isthaec colloce- » tur... qualecumque systema ad- » mittatur, et quaecumque senten- » tia eligatur, impossibile videtur » omnes difficultates tollere, et o- » mnibus obiectionibus, quae con- » tra hanc historiam fieri possunt, » perfecte satisfacere. »

Ut difficultatibus huius libri aliquo modo satisfieri posset, constare imprimis oporteret num textus graecus, ex quo versio latina descendit, primigenius sit, et utrum textus graecus, aut latina versio sit accuratior, nam iuxta textum graecum historia Iudith post captivitatem babylonicam, et iuxta latinam versionem ante hanc captivitatem evenisse videri posset. Textus graecus est vetustissimus, et iam saeculo primo a s. Clemente Romano in epistola ad corinthios citatus fuit; versio syriaca et italica quae, antequam versio s. Hieronymi adoptata esset, in occidente adhibita fuit, iuxta illum factae sunt.

Textus latinus vulgatae descendit e textu chaldaico, quem s. Hieronymus ad preces Paulae et Eustochii latine reddidit, et archetypum libri Iudith autumavit. Verum multis disputationibus difficultatibusque originem dedit, cum in praefatione ad librum Iudith dicat: « Magis sensum e sensu quam ex ver- » bo verbum transferens, multorum » codicum varietatem vitiosissimam » amputavi, sola ea, quae intelli- » gentia integra ex verbis chaldaeis » invenire potui, latinis expressi. »

Ex quo liquet s. Hieronymum varietates vitiosissimas multorum codicum latinorum amputasse, et in sua versione solummodo posuisse, quae in eius exemplari chaldaico *intelligibilia* erant. Optandum fuisset ut s. Hieronymus hunc librum ad litteram vertisset, ut alios libros

(1) Lamy, apparat de la bible, l. 2, c. 2, Paris 1697.

(2) Iahn. Introd. in L. S. V. F., c. 5, § 244, Viennae 1804.

(3) Calmet, dict. de la bible, art. Iudith.

sacros vertit: in libera enim huiusmodi versione, ubi solummodo sensus redditur, quandoque quaedam supprimuntur, quae si extarent, difficultates complanarent, et quaedam adduntur, quae difficultates parere possunt. Cum autem s. Hieronymus non edicat quantum haec libertas sensum simpliciter e sensu reddendi pateat, textusque chaldaicus, quo saeculo quinto ecclesiae usus est, ad nos non pervenerit, de *congruentia litterali* eius versionis cum textu chaldaico iudicare nequimus.

De cetero minime constat, textum chaldaicum fuisse archetypum libri Iudith: si enim hoc certum esset, etiam certum foret hunc librum scriptum esse post captivitatem babylonicam, cum hebraei antea chaldaice non scriberent, et verisimiliter historia Iudith post hanc captivitatem evenisset, cum haec captivitas 70 annis duraverit, et historia isthaec tot annis relicta non fuisset, quin scripto mandaretur. In sententia autem, quae hanc historiam post captivitatem babylonicam collocat, difficultates inexplicabiles occurrunt. Caeterum cardo difficultatum huius libri in eo vertitur, quod auctores librorum Regum et Paralipomenon, ac Fl. Iosephus de hac historia tam extraordinaria prorsus sileant, et in eis nulla temporum adiuncta occurrere videantur, quibus historia isthaec convenire posse videatur.

Interea duae sunt praecipuae sententiae, quarum prima historiam hanc collocat post captivitatem babylonicam, sed patroni huius sententiae in determinando rege sub quo historia contigit, inter se haud consentiunt. Secunda sententia hanc historiam collocat ante exilium babylonicum, sed eius defensores in statuendo rege sub quo evenit, inter se discordant. Graviores difficultates primae sententiae recensebimus.

§ LXXXVIII. Difficultates sententiae historiam libri Iudith post captivitatem babylonicam collocantis.

250. 1° Post exilium babylonicum in historia profana non occurrit ullus Arphaxad, rex Mediae, aut ullus Nabuchodonosor commorans in Ninive, de quibus cap. I libri Iudith sermo est.

2° Ninive post captivitatem babylonicam haud amplius stare potuit, cum a Nabopolassare Nabuchodonosoris magni patre 626 circiter anno ante aeram vulgarem eversa, et numquam restaurata sit, ut Eusebius, Strabo et Herodotus testantur (conf. n. 253, 2° et 404) (1).

2° Hebraei post exilium babylonicum spatio duorum saeculorum persis, dein Alexandro magno macedonum imperatori, Ptolemaeis Aegypti regibus, et demum regibus Syriae subditi fuerunt, donec libertatem suam recuperarunt. Si huic epochae historiae isthaec adsignanda esset, tempore Antiochi Epiphanis, anno 164 circiter ante aeram vulgarem defuncti, contingere debuisset, quod repugnat. Caeterum in libro Iudith iudaei dicuntur paulo antea ex captivitate rediisse, et templum cultumque Dei Hierosolymis habuisse (c. V, 22-23). Quando iudaei e captivitate babylonica reversi sunt templum hierosolymitanum destructum erat.

§ LXXXIX. Sententia historiam Iudithae ante captivitatem babylonicam collocans.

251. Minores occurrunt difficultates in sententia collocante hanc historiam ante exilium babylonicum sub Manasse rege Iudae tum in Assyria captivo, ad annum mundi 3348, et 656 ante Christum natum. Sententiae huic favere videntur criteria libri; in eo enim refertur:

(1) Euseb. in chron. Strab. p. 757. Herod. l. 1.

1° Bethuliam obsessam fuisse ab Holoferne altero anno a devicto per Nabuchodonosorem assyriorum regem in Ninive regnantem, Arphaxad medorum rege, et Ecbatanorum conditore (c. I, 1-6):

2° Iudaeos tunc ex captivitate quadam reduces fuisse (c. V, 22), et templum hierosolymitanum stetisse (c. IV, 2, XVI, 22):

3° Eliachim summum sacerdotem tum regis vices obivisse (c. IV, 5):

4° Iudaeos post liberatam Bethuliam diuturna pace fruitos esse (c. XVI, 30).

Historia autem profana, sacrae coniuncta testatur, Sennacheribo, assyriorum regi, ingentem cladem in Iudaea perpesso, et a duobus natu maioribus filiis dein occiso, successisse Assaradonem, seu Nabuchodonosorem (IV Reg. XIX, 35); etc. Assaradon parricidas fratres, in Armeniam profugos insecutus, Armeniam primum sibi subiecit. Fortior atque audacior adeo factus, imperium assyriacum restauraturus, eiusque fines prolaturus, babylonios rebelles, medos, mesopotamienses, susianos et elymaeos subiugavit, cum bactrianis autem difficilior illi res fuit. Thartanes, eius belli dux, Sennacheribi cladem ulturus, Iudaeam et Aegyptum vastavit, et Manassen regem Iudae Babylonem deduxit (II Paral. XXXIII, 11).

Interea Phra, rex medorum, Deiocis, primi Mediae regis, filius, finitimis Mediae provinciis sibi subiectis, vires suas restituere coepit. Herodotus nuncupat Phra Phraortem seu Phraartem quod Phra magnus sonat. Phra erat nomen proprium regis, et *ortes*, seu *artes*, persice *magnum* significat. Phra iste in libro Iudith Arphaxad nuncupatur: hebraei *Phra* pronuntiabant *Arpha;* nomen *Xad* significat *clementem,* et huic regi attributum fuit, eo quod se erga iudaeos clementem exhibuerit, quos in occupatis provinciis deportatos invenerat, remittendo in patriam; qua ratione novos hostes Assaradoni, seu Nabuchodonosori, erat excitaturus. De hoc reditu iudaeorum e captivitate Achior c. V loqui censetur.

Assaradon seu Nabuchodonosor Mediam sibi denuo subiecturus Phra seu Arphaxad adortus est, eumque praelio vicit, et occidit, ac Mediam iterum sibi subiecit. Altero vero anno Holofernem cum ingenti exercitu misit ad vicinos populos subiugandos, quod c. I et II narratur.

Nonnulli cum cl. Calmet per Nabuchodonosorem libri Iudith non Assaradonem, sed Saosduchin, Assaradonis successorem, intelligunt. Auctor libri Iudith Assaradonem, vel Saosduchin, Nabuchodonosorem appellat, nomine regibus Assyriae communi.

Diuturna pax, qua hebraei post occisum Holofernem, cum Iuditha superstite, tum illa defuncta, fruiti esse leguntur (c. XVI, 30), et ob quam potissimum nonnulli Iudithae historiam post captivitatem babylonicam collocant, hoc modo explicatur: Bethulia obsessa et liberata ponitur anno 3348 ab orbe condito, 13 annis, quibus Manasses post liberatam Bethuliam adhuc vixit; 2 annis regni Ammon, et 31 primis annis regis Iosiae, seu usque ad annum 3394, nullum bellum in Iudaea legitur, adeoque Iudaea 46 annis pace gavisa est. Iudith quidem (c. XVI, 28) legitur 105 annis vixisse; at non dicitur quam aetatem habuerit quando Bethuliam liberavit; potuit tunc habere 65 annos, atque ita iudaei adhuc sex annis post eius mortem pace fruiti fuissent. Immo pax illa ad captivitatem babylonicam, in quam Nabuchodonosor iudaeos anno mundi 3398 abduxit, potuit perdurare, si per verba illa: « Non fuit qui

» perturbaret Israël, et post mortem Iudithae annis multis (c. XVI, » 30), » intelligantur israëlitae, qui destructo regno Israëlis, in montibus Galilaeae, ubi Bethulia sita erat, consederant; chaldaei enim in hosce israëlitas ante destructionem Hierosolymae arma non convertisse videntur.

Graeco in textu c. V, 22 legitur: ὁ ναὸς τοῦ Θεοῦ αὐτῶν ἐγενήθη εἰς ἔδαφος, *Templum Dei ipsorum factum est in solum*, seu *pavimentum*, quod favere videtur sententiae historiam Iudithae post captivitatem babylonicam collocanti, quando templum hierosolymitanum solo adaequatum fuit.

Fuerunt sane qui verba haec graeco textui manu aliena adiecta esse adseruerunt, eo quod s. Hieronymus illa in sua versione latina non habet. At haec adsertio eo magis gratuita est, quod s. Hieronymus ipse dispersionem iudaeorum paulo ante hanc historiam factam commemorat (c. V, 23). Quare melius faciunt, qui textum graecum ita exponunt ut, quando Manasses ab assyriis Babylonem abductus fuit, templum hierosolymitanum *in solum*, seu *pavimentum profanum* factum sit, per abominationes nempe, quae tum illud polluerunt.

Captivitas vero de qua textus graecus (c. V, 22), et Vulgata (c. V, 23) loquuntur, et de qua iudaei paulo ante reversi dicuntur, est captivitas sub Manasse. Hebraei vero, qui templum purgarunt, Holofernique restiterunt, sunt illi, qui a Phra seu Arphaxad in suam patriam fuerant dimissi.

§ XC. Difficultates adversus veritatem historicam libri Iudith.

252. Recentiores nonnulli cum Scaligero, Grotio aliisque (n. 18), hunc librum deuterocanonicum parabolam esse adserunt, et aiunt

1° Ante et post exilium babylonicum non reperiri in historia profana ullum Arphaxad, regem Mediae et conditorem Ecbatanorum, qui c. I, 1 libri Iudith occurrit, cum Herodotus scribat Deiocem iam antea exstruxisse Ecbatana.

2° Nabuchodonosorem non potuisse esse regem Ninive, ut cap. 1, 5 legitur, eo quod haec urbs ab eius patre Nabopolassare eversa iam esset, et numquam fuerit reaedificata (conf. n. 250, 2°).

3° Historiae Iudithae mentionem fieri debuisse in libris Regum aut Paralipomenon in quibus res gestae iudaeorum istorum temporum narrantur. Reperiri pariter debuisse in Fl. Iosepho. Nullus antiquus pater librum Iudith commentario illustravit.

4° Nusquam in libro Iudith mentionem fieri regis iudaeorum.

5° Fl. Iosephum vero in catalogo summorum sacerdotum nullum recensere Eliachim, qui tempore captivitatis Manassis rempublicam hebraeorum administraverit.

6° Holofernem, belli ducem Nabuchodonosoris, sub cuius potestate Manasses Babylone captivus ponitur, non potuisse iudaeos in Palaestina reperire, neque causari, se iudaeos haud noscere, et dicere: *Quis rex militiae eorum?* quod cap. V, 3-5 legitur.

7° Si Iudith Holofernem occidisset, paucique iudaei ingentem Nabuchodonosoris exercitum dissipassent, Nabuchodonosorem, qui Iudaeam ac Aegyptum subiugare statuerat, iudaeos impunes haud dimissurum, quod tamen cap. XVI, 30 refertur.

8° Iudith (c. IX, 2-3) proditoriam caedem, quam Simeon de sichimitis ob violatam sororem Dinam, ediderat (Gen. XXXIV), approbare. Quomodo haec cum Gen. XXXIV, 30, et XLIX, 5 concordant, ubi Si-

meon et Levi *vasa iniquitatis bellantia* a patriarcha Iacobo appellantur?

9° Insidias, quas Iudith Holoferni struxit, ut eum in sui amorem pelliceret, mendacia quae protulit, necem, quam ei intulit, cum charactere sanctae mulieris conciliari haud posse.

§ XCI. Solutio difficultatum.

253. Cl. Iahn, relatis multis ex hisce difficultatibus, ita concludit: « Ex quibus liquet quibus armis instructi sint, qui historicam huius libri veritatem impugnant, et contendunt argumentum libri esse parabolam, quae doceat, hebraeos, quamdiu Deo fideles sunt, etiam in summo rerum discrimine salutem expectare posse (1). »

Verum allatae difficultates minime insolubiles sunt; ex responsionibus nostris quid de parabolae sententia iudicandum sit colligent lectores. Et imprimis: « parabolae illae sunt, » ait s. Chrysostomus (2), « in quibus ponuntur exempla et tacentur nomina. » In libro Iudith autem non modo ponuntur nomina propria Iudithae, Eliachim, Achioris, Holofernis, etc., sed etiam (c. 8) genealogia Iudithae, etc.

1° *Arphaxad*, cuius in libro Iudith (c. I, 1) fit mentio, est Phraortes, Deiocis filius, ut ostendimus n. 251. Herodotus scribit (3), Phraorten Persiam, totamque fere Asiam subiugasse, sed Niniven et Assyriorum imperium sibi subdere molientem, victum, captum et occisum fuisse.

Herodotus utique scribit (4), Deiocem, Arphaxadis seu Phraortis patrem, urbem Ecbatana condidisse; verum historici profani aeque ac sacri laudem exstructae urbis non solum primo eius conditori, sed etiam eius instauratori ac amplificatori attribuunt (conf. n. 245 1°; et 246, 1°). Historici profani et sacri Ecbatana ut urbem magnificentissimam exhibent, ex quo liquet, eam solius Deiocis opus haud esse. Haec urbs a Deioce inchoata, monti superstructa, ac septemplici muro circumdata erat: primus murus inferior erat secundo, secundus tertio, etc. Primus murus suo circuitu tres circiter leucas complectebatur, in summitate urbis et in septimi muri circuitu palatium regis erat, quod Polybius scribit (5) 875 passus in suo ambitu habuisse.

2° Nabuchodonosor magnus, Nabopolassaris filius, utique in destructa a patre Ninive regnare nequivit, potuit vero Nabuchodonosor, seu Assaradon Sennacheribi filius, aut Saosduchin Assaradonis successor. Nabopolassar, dux Saraci seu Chinaladani, qui Saosduchino successerat, rebellis factus, exercitum suum cum illo Astyagis filii Cyaxaris coniunxit, Saracum deposuit, Niniven destruxit, atque imperium assyriorum anno 3378 ab orbe condito, et 626 ante aeram vulgarem subvertit (conf. n. 404). Ex assyriorum imperio ita destructo regna chaldaeorum seu babyloniorum, et medorum enata sunt, quorum primo Nabopolassar, et secundo Astyages praefuerunt.

3° Ex silentio auctorum librorum Regum et Paralipomenon sequitur dumtaxat, historiam Iudithae in documentis, ex quibus isti libri confecti sunt, defuisse, aut ex illis excidisse. Fl. Iosephus recensere non solet nisi historias libris canonis iudaeorum insertas, et hinc etiam historiam Tobiae non refert. Licet vero nullus antiquus pater librum Iudith com-

(1) Iahn. Introd. in L. S. V. F., c. 5, § 245.
(2) Chrys. Homil. de divite.
(3) Herod. l. 1, c. 97 et seq.
(4) Herod. ib. c. 98.
(5) Polyb. lib. 10

mentario illustraverit, de illo tamen ut ad scripturam sacram spectante loquuntur Origenes, qui dicens: *Volo exemplum dare a scriptura*, exemplum Iudithae citat (1), Clemens rom. pontifex (2), Auctor constitutionum apostolicarum, Clemens Alex. (3), Tertullianus (4), Hilarius Pict. (5), Hieronymus (6), auctor Synopseos, Augustinus (7), etc.

4° Manasses rex Iudae e suo exilio nondum reversus fuerat; quare eiusdem in libro Iudith mentionem facere opus haud erat, potius vero de summo sacerdote Eliachim negotia regni loco regis absentis administrante.

5° Hic vero Eliachim potuit binomius esse, et a Fl. Iosepho sub altero nomine designari. Pontificatus eius indicatur IV Reg. XVIII et Isaiae XXII; successit Lobnae, et praecessit pontificem Helciam, qui sub Iosia rege floruit. Mirum non est summum sacerdotem Eliachim negotia regni tempore istius belli administrasse, quia sub Ezechia rege, quando summo pontificatu nondum fungebatur, regis nomine multa faciebat, ut ex IV Reg. XVIII, 18, XXVI, 37 liquet. Isaias vero de Eliachim (c. XXII, 20-21) praedixerat: « Vo- » cabo servum meum Eliachim.... » et erit quasi pater habitantibus » Ierusalem et domui Iuda. »

6° Holofernes sane reperire potuit iudaeos ab Arphaxad seu Phraorte in Iudaeam ex captivitate dimissos (n. 257, 4°). Potuit Holofernes esse novus belli dux, e Persia aut Media recens accersitus, atque ita ignorare iudaeos, eorumque regem Babylone captivum. Potuit etiam ex ira aut contemptu hasce quaestiones instituere, quod nempe parvus populus, ab ipso despectus, ingenti suo exercitui obsistere auderet.

7° Forte Nabuchodonosor, Assaradon vel Saosduchin, bellis cum aliis populis post hanc cladem implicitus fuit, ut adeo hanc cladem ulcisci nequiverit. Potuit etiam interea mori et eius successor a proposito subiugandi Iudaeam et Aegyptum desistere.

8° Iudith actionem laudat eo sub respectu, quo laudem merebatur, laudat nempe zelum in ulciscendo stupro, quod Sichem Dinae intulerat. Non autem censetur laudare modum, et fractam fidem Simeonis. Caeterum Iuditham in singulis verbis falli nesciam fuisse, scriptura sacra non dicit.

9° Iudith Bethuliam e consensu praefecti et senatorum urbis ab hoste liberare statuerat: oratorium suum ingressa: « Fac, Domine, de- » precabatur, ut Holofernis gladio » proprio eius superbia amputetur: » capiatur laqueo oculorum suorum » in me, et percuties eum ex labiis » charitatis » (iuxta textum graecum *labiis fallaciae meae*). Ex quo liquet Iuditham Holofernem in suos amplexus minime pertrahere voluisse, sed illum decipere. Holofernem dein adit, se transfugam simulans, ei ait, se novisse, Deum hebraeos ipsi traditurum, seque ideo ad illum venisse, ut salvaretur. Ex superioribus vero patet, haec stratagemata fuisse, quibus Holofernem decipere intendebat. Quis vero dicet stratagemata in bello non licere? Quae secus mendacia forent iis in adiunctis sunt aequivoca, sunt stratagemata.

Quod vero Iudith praeviderat reapse contigit; placuit enim Holoferni,

(1) Orig. Hom. 19 in Ierem.
(2) Clem. Rom. epist. ad Corinth.
(3) Clem. Alex. Stromat. l. 1.
(4) Tertul., l. de Monogam.
(5) Hilar. in ps. 125.
(6) Hier. Epist. ad Furiam.
(7) Aug., l. 2, de doctr. christ. c. 8.

qui in eius amorem exarsit, sed illam non temeravit (c. XIII, 20). Temulento autem Holoferni, et somno sopito amputat caput. Sed nex hostis apud populos antiquos semper licita habita fuit. Et quomodo quis probaret Iuditham, quae ex consensu gubernii negotium liberandae urbis in se susceperat, Holofernem, iniquum patriae aggressorem, et idololatriae propagatorem, iure naturae occidere non potuisse? (Conf. n. 34-36 et 417-422).

DE LIBRO ESTHER

§ XCII. Lingua libri Esther.

254. Liber Esther scriptus fuit lingua hebraica usque ad c. X, 3, illumque s. Hieronymus illuc usque ex hebraeo latine reddidit. Quae dein in vulgata occurrunt s. Hieronymus e veteri vulgata, iuxta textum graecum Theodotionis facta, post cap. X, 3 adiecit, illa obelo notando. Haec vero fragmenta, quibus septem posteriora capita constant, partem deuterocanonicam libri Esther constituunt.

Origenes (Epist. ad Africanum) existimare videtur, fragmenta, quae in versione graeca leguntur, et a s. Hieronymo calci suae versionis adiecta sunt, olim in textu hebraeo fuisse.

S. Hieronymus Praef. in librum Esther: « Librum Esther, ait, variis » translatoribus constat esse vitiatum: quem ego de archiviis he» braeorum revelans, verbum e ver» bo pressius transtuli. Quem librum » editio vulgata (antiqua) laciniosis » hinc inde verborum sinibus trahit: » addens ea, quae ex tempore dici » poterant et audiri; sicut solitum » est scholaribus disciplinis sumpto » themate excogitare, quibus verbis » uti potuit qui iniuriam passus est, » vel ille qui iniuriam fecit. » Partes autem deuterocanonicas libri Esther citat s. Hieronymus, ut alias partes protocanonicas scripturae sacrae (Comment. in c. 1 Ep. Galat.).

§ XCIII. Auctor et aetas libri Esther. Fides ei debita.

255. Quis sit auctor huius libri ignoratur. Attribuerunt eum alii Esdrae, alii Ioachimo summo sacerdoti, plures vero Mardochaeo, cui alii addiderunt Estherem, propterea quod (c. IX, 20, et XXIX) legitur, Mardochaeum et Estherem omnia haec iudaeis scripsisse. Ast non animadverterunt istis locis quaestionem non esse de libro Esther, sed de litteris quas Mardochaeus et Esther hebraeis perscripserunt, ut festum Phurim, seu Sortium observarent.

Auctor scripsisse videtur paulo post rerum eventus in libro relatos, quia minuta rerum adiuncta recenset. Ipsum scripsisse ante eversionem monarchiae persicae inde patet, quod c. X, 1-3 provocet ad annales imperii persici.

Librum istum fide dignum esse patet inde, quod ab hebraeis ut sacer receptus fuerit ea aetate, qua res in illo relatae ad trutinam poterant revocari. Melito. Sardicensis in suo canone hunc librum non recenset (conf. n. 20), eumque secuti sunt Gregorius Naz., Amphilochius, Leontius, Athanasius, Auctor synopseos, Iunilius, et uterque Nicephorus; Sixtus Sinensis vero librum Estheris in secundo canone collocavit. Verum omnes alii antiqui scriptores ecclesiastici hunc librum scriptis protocanonicis accensuerunt; quare et Sixtus Sinensis ab eruditis minime probatus fuit (conf. 34-36 et 417-422).

§ XCIV. Aetas historiae Estheris.

256. Historia huius libri contigit sub Assuero rege Persiae. Quis vero iste Assuerus sit, non facile determinatur, eo quod in historia profa-

na nullus rex persarum Assuerus nuncupatus occurrat. Cum c. II, 6 dici videatur Mardochaeum cum Iechonia, rege Iuda, a Nabuchodonosore magno Babylonem in captivitatem ductum esse, oporteret, regem Persiae, Assuerum in libro Esther vocatum, regnavisse haud adeo multis annis post Nabuchodonosorem magnum, vivente adhuc Mardochaeo. Verum quae in libro Esther de Assuero praedicantur, nulli regum persarum Nabuchodonosori magno tempore proximorum conveniunt. Non 1° Astyagi, patri Darii Medi, nam eo tempore urbs Susa, in qua Assuerus, sedem regiam habebat ad babylonios adhuc pertinebat (Dan. VIII, 2), non medorum, sed persarum urbs regia erat (Solinus, c. 58. Diod. Sic. L. 2. Plutarch. in Artaxerxe). Darius Hystaspis, babyloniorum rebellione motus, sedem regiam Babylone Susa transtulit, hancque urbem eximiis aedificiis condecoravit (Herodotus l. 5, c. 49. Aelianus histor. animal. l. 1, c. 59).

2° Non conveniunt Cambysi; nam ille septimo anno sui regni expeditionem in Aegyptum agebat, et inde redux Ecbatanis mortuus est octavo anno sui imperii (Herod. l. 3, c. 66), dum Assuerus duodecimo anno sui regni omnes iudaeos in Persia occidi iussit (Esth. III, 7).

3° Non conveniunt Dario Hystaspis, quem multi interpretes pro Assuero habent; nam hic Darius aliis in libris sacris semper vocatur Darius, ut in scriptoribus graecis: cur in libro Esther continuo Assuerus nuncuparetur? Dein Darius Hystaspis nonnisi post septimum annum sui regni sedem regiam Babylone Susa transtulit, dum Assuerus iam tertio sui imperii anno Susis tamquam in urbe sedis regiae convivia per 180 dies celebravit (Esth. I, 2-4). Tandem Darius Hystaspis ab historia profana exhibetur ut princeps bonus, sapiens et iustus, qualis non fuit Assuerus.

4° Denique non conveniunt Artaxerxi Longimano, quem Fl. Iosephus, Nicephorus, Suidas, Zonaras, Petavius, etc., Assuerum esse autumant. Existimant Estherem ab isto Artaxerxe obtinuisse ut doctissimus Esdras muneribus cumulatus Hierosolymam reverteretur, cultum Dei legemque Moysis restitueret (I Esdr. VII, 1-16), atque eam aliquibus annis postea pincernae Nehemiae pariter facultatem impetrasse Hierosolymam redeundi, hancque urbem reaedificandi (II Esdr. I, 1; II, 6; Conf. n. 230, 231, 239, 240).

Verum si hoc esset, cur nomen Assuerus numquam occurrit in libris Esdrae et Nehemiae? si regina, de qua Nehemias II Esdr. II, 6 loquitur Iudaea fuisset, an Nehemias hoc, utpote suae nationi honorificentissimum, non commemorasset? An Esdras et Nehemias de Mardochaeo, primo regis ministro, ac de Esthere non meminissent? Dein Esdras, primo mense Babylone profectus est, et quinto mense anni septimi regni Artaxerxis Hierosolymam advenit (I Esdr. VII, 8-9); quomodo igitur Esther, quae decimo mense anni septimi imperii Assueri primum ad hunc regem ducta, et mense duodecimo regina denunciata est (Esth. II, 16), Esdrae facultatem Hierosolymam revertendi impetrasset? Tandem Artaxerxes Longimanus ab historicis profanis ut princeps exhibetur, qui nobilitate animi, prudentia, mansuetudine et sapientia omnes Persiae reges superavit, et qui proinde neque adeo stolide cum Amano, neque crudeliter adeo in iudaeos se gessisset (Diod. Sicul. l. 11; Plutarch. in Artaxerxe; Ammian. Marcellin. l. 30.)

Sed quae auctor libri Esther de Assuero adfirmat, conveniunt Xerxi magno, qui sat diu post Nabuchodonosorem magnum in Persia regnavit; quare c. II, v. 6 vel intelligendus est quod Cis proavus Mardochaei cum Iechonia in captivitatem ductus fuerit, vel si intelligitur de Mardochaeo, fatendum est, ipsum tum circiter 125 annos aetatis habuisse, quod incredibile non videbitur perpendenti, Ioiadam obiisse 130 aetatis anno, et hoc nostro aevo adhuc homines nonnullos huiusmodi aetatem attingere. Sic anno 1801 in Russia quatuor homines centesimo trigesimo anno aetatis obierunt.

§ XCV. Assuerus libri Esther est Xerxes magnus.

257. Rationes Assuerum pro Xerxe magno habendi hae sunt: 1° Quod fere omnia exemplaria graeca, et fragmenta a s. Hieronymo calci libri Esther adiecta, Assuerum vocant Artaxerxem, nomina autem regum persarum appellativa erant, et *Artaxerxes* persice *magnus bellator* sonat. Hic vero honoris titulus Xerxi magno convenit ob devictam Aegyptum, et ob magna, quae adversus graecos molitus est.

2° C. 1, 3 legitur Assuerum, seu Artaxerxem, tertio sui imperii anno Susis magnates, provinciarumque praefectos 180 diebus convivio excepisse. Herodotus vero scribit (1) *Xerxem magnum*, a felici sua in Aegyptum expeditione reducem, tertio sui regni anno magnates praefectosque imperii persici de sua in Graeciam expeditione consuluisse. Cum autem persae consilia tempore conviviorum agitarent, Xerxes eos convivio excepit, et cum magnates et praefecti amplissimi eius imperii nonnisi per vices ad convivia venire possent, convivia facile 180 diebus durare debuerunt. De hoc scopo conviviorum Xerxis ne verbum quidem c. I, 3 occurrit, sed illud indicare ad finem auctoris non faciebat.

(1) Herod., l. 7, c. 8.

3° Cap. II, 17 refertur, Assuerum septimo sui imperii anno, mense duodecimo Estherem in reginam elegisse; Xerxes vero septimo sui regni anno ab infausta expeditione in Graeciam redux, afflictionem suam epulis et voluptatibus levare conatus est (Diod. Sic. l. 11).

4° Omnes auctores antiqui Xerxem luxuriosum, crudelem, et fatuum exhibent (conf. n. 263); Assuerus vero in libro Esther talis omnino depingitur (Athenaeus Dipnosoph. l. 8; Iustinus l. 2, c. 11; Herodotus l. 7, c. 33, 237; l. 8, c. 37-39. Plutarchus in Artax. Seneca de ira l. 7, c. 17).

5° Tandem character Assueri est character Xerxis magni, et multa, quae auctor libri Esther de Assuero refert, in historia profana de Xerxe magno affirmantur. Sic Assuerus c. I, 1 sistitur ut maximus princeps, qui ab India Aethiopiam usque imperabat 127 provinciis, et historia profana Xerxem magnum exhibet ut maximum et ditissimum principem illius aevi; iuxta aliquos scriptores in sua expeditione in Graeciam habuit exercitum 700,000 hominum, et 300,000 copiarum auxiliarium, ac classem 1207 maiorum navium (Herodotus, l. 3, c. 96; l. 7, c. 8, 21, 27-29, 60, 87. Diodorus Sic. l. 11, c. 3. Aelianus, l. 13, c. 3. Iust. l. 1, c. 10. Plin. l. 23, c. 10. Confer. Dan. 11, 2).

§ XCVI. Argumentum libri Esther.

258. Assuerus, seu Artaxerxes, repudiata regina Vasthi, septimo anno sui imperii Estherem, filiam Abihail. et neptem vel cognatam Mardochaei, reginam constituit. Mardochaeus dein detectam coniurationem per Esthe-

rem regi manifestavit; cum autem Amano, primo Assueri ministro, iussam a rege adorationem exhibere renueret, Aman a rege duodecimo anno eius imperii obtinuit edictum, ut omnes iudaei eadem die in toto regno interficerentur. Mardochaeus hisce auditis Estherem rogat, ut regi pro sua gente supplicet. Illa, tribus diebus in ieiunio peractis, non vocata Assuerum adit, atque bene ab eo excepta illum rogat, ut cum Amano apud se coenare dignetur. A rege tempore convivii petere iussa quae velit, rogat, ut rex postridie adhuc cum Amano apud se coenet. Aman autem crucem 50 cubitorum altitudinis construi iubet, ad quam exosus illi Mardochaeus postero die suspendendus erat. Verum noctu regi insomni praeleguntur annales, e quibus quum didicisset, se ob detectam coniurationem vitam suam Mardochaeo acceptam referre debere, praecepit Amano, ut Mardochaeum regiis vestibus indutum, diademate ornatum, et equo regio insidentem, per urbem Susa duceret. Esther dein inter convivium a rege quaecumque velit petere iussa, gratiam pro gente sua exorat, et Amanum ut hostem designat; quare Aman actus fuit in crucem, quam Mardochaeo paraverat. Mardochaeus vero, dignitatem Amani adeptus, nomine regis mandata in omnes provincias mittit, ut iudaei suos hostes occiderent eodem die, qui eorum internecioni destinatus fuerat. Iudaei igitur in provinciis Persiae occidunt 75,000, et Susis 500. Cumque Esther adhuc altero die reliquos hebraeorum hostes Susis interimi posse impetrasset, ibidem adhuc 300 necati sunt. In memoriam vero huius rei Mardochaeus festum Purim, seu Sortium instituit.

Id singulare in hoc libro occurrit, quod auctor contra morem aliorum hagiographorum quae refert Deo non adscribat.

§ XCVII. Difficultates libri Esther.

259. Nonnulli omnes difficultates huius libri evitaturi adseruerunt, historiam Estheris esse parabolam, seu fictionem moralem de Dei providentia in electum populum Israël. Ast hoc a veritate alienum esse sat inde patet, quod auctor c. X, 2 ad annales medorum et persarum provocet.

D. Bauer (1) et D. Seiler (2) autumant, substantiam libri esse veram historiam, quae tamen incertis traditionibus et ornamentis dictionis postea aucta sit. Id autem non esse sat liquet, eo quod auctor mox post eventum historiae scripserit (n. 255). Laudatae autem opiniones gratuitae sunt praetereaque inutiles, cum difficultates libri commode solvantur:

Adversarii libri Estheris ut incredibilia allegant:

1° Quod c. III, 2 Mardochaeus Amano, primo regis ministro, solitam iussamque a rege adorationem denegaverit, cum iudaei ipsi huiusmodi adorationem alii aliis praestarent.

Verum, aut Mardochaeus scivit Amanum anteactae coniurationis in regem participem vel conscium fuisse (conf. c. 16, 12), aut Aman honorem diis exhiberi solitum exegit: Aman ut reges persarum adorari seu honorari volebat, reges autem Persiae ut dii honorabantur (Curt. l. 8, c. 5. Isocrat. in panegyr.). Artabanus Themistocli dicebat, unum e pulcherrimis persarum institutis esse, quod eorum rex ut imago Dei omnia conservantis honoraretur et adoraretur (Plutarch. in Themistocle).

(1) Entwurf einer Einleitung in die Schriften des alten Testaments S. 115.

(2) Das grössere bibl. Erbauungsbuch. Th. V. S. 67.

260. 2° Quod Aman c. III, 5-7 ob adorationem sibi a solo Mardochaeo denegatam inhumanam in omnes iudaeos Persiae vindictam meditatus sit.

At enim plura alia exempla nimiae huiusmodi vindictae in historia profana leguntur. Herodotus scribit, reges Persiae exterminasse familiam et cognatos illius a quo offensi fuerant (1); Aman, primus regis minister, offensus eodem iure uti voluit.

261. 3° Quod Aman iubendo necem omnium iudaeorum in Persia commorantium animadvertere debuisset Estherem reginam esse iudaeam. Sed cum Esther insperato ad dignitatem reginae evecta esset, Aman vindicta excaecatus existimavit illam non curaturam quae nationi suae contingerent.

262. 4° Quod Aman tam stupidus cogitari non possit, ut primo mense anni edictum dederit ad omnes provinciarum gubernatores, iuxta quod iudaei mense dumtaxat duodecimo exterminandi erant, ut c. III, 12-14 legitur, cum ita iudaeis spatium fere anni integri dedisset ad fugam aut resistentiam parandam.

Sed cum sors, per quam Aman voluntatem deorum noscere arbitrabatur, diem et mensem internecionis iudaeorum designasset, Aman opportunum expectabat tempus, quo rex eius propositum confirmaret. Cum hanc occasionem mox reperisset, illico edictum misit ad praefectos provinciarum ne rex sententiam mutaret. Licet vero edictum hoc nonnisi mense duodecimo executioni mandandum esset, de hac tamen Aman certus erat, eo quod edicta regum persarum anulo regio signata irrevocabilia essent (n. 270).

Si interea iudaei, omnibus derelictis, in alias regiones aufugissent, vindictae Amani satisfactum fuisset. Ad resistendum profecto se parare haud poterant, cum praefecti provinciarum illis facile omnes conventus interdixerint, ipsisque arma quaecumque abstulerint.

(1) Herodot., l. 3, c. 118.

§ XCVIII. Continuatio prioris.

263. 5° Aiunt, quomodo concipi potest, Assuerum ad petitionem Amani totum populum hebraeum per amplum Persiae regnum dispersum neci destinasse (c. III, 13), quin in causam inquireret?

Rex iustus et sapiens utique huiusmodi crudelitatem indicta causa haud imperasset, sed Assuerus seu Xerxes magnus, princeps fatuus ac crudelis erat. Herodotus narrat, Xerxen mari trecenta verbera infligit, parque compedum iniici iussisse, eo quod pontem, quo Hellespontum iunxerat, subvertisset (2). Idem Xerxes architectos huiusce pontis tempestate diruti capite plecti, et corpus magnanimi Leonidae, spartanorum regis, qui cum 300 viris Thermopylas tam egregie defenderat, in crucem agi iussit (3). Iustinus vocat Xerxen magnum *corpus sine capite* (4).

364. 6° Iuxta Herodotum (l. 3, c. 84) occiso mago Smerde solemniter statutum fuit reginam septem consiliariis regiis consanguineam esse debere; Esther proinde regina fieri haud potuit.

Sed hoc statutum vel respexit solum regem Smerdis successorem, vel posteri reges eo se obstrictos haud existimarunt.

265. 7° Ignotum esse haud potuit, Estherem esse iudaeam, uti c. II, 20 ponitur, eo quod Esther de domo Mardochaei iudaei ad palatium feminarum regis ducta fuerit.

Ast ignotum erat, ipsum Mardochaeum esse iudaeum; barba enim, quam tum temporis etiam alii populi

(2) Herod., l. 7. (3) Ibid.
(4) Iustin., l. 2, c. 11.

nutriebant, signum distinctivum iudaeorum non erat.

266. 8° Quomodo Esther, quae Assuerum sua pulcritudine sibi devincire meditabatur, tribus diebus et totidem noctibus cibo et potu abstinere potuit (c. IV, 16), quin pallida et macilenta fieret? Nonne hoc ieiunium prorsus contra eius mentem fuisset?

Cibo potuque abstinere, ac ieiunare, saepissime nihil aliud significant, quam consuetas refectiones praetermittere, eaque dumtaxat sumere quae ad vitam sustentandam necessaria sunt: ita ieiunasse dicitur Ioannes Baptista (Matth. XI, 18, coll. cum III, 4). Voluit Esther ut iudaei tribus diebus totidemque noctibus a solitis refectionibus abstinerent, ut eo ferventius orare possent, ita etiam ieiunavit Esther, sed non tribus diebus, nam die tertia Assuerum adivit, eumque ad convivium invitavit (c. V).

267. 9° Cum non vocatis sub mortis poena regem accedere prohibitum esset (c. IV, 11), incredibile est voluisse Estherem mortis se periculo potius exponere, quam aditum ad regem per ministros petere.

Verum in hoc ultimo casu rex per machinationes Amani, verentis ne sua vindicta frustraretur, Estheri contrarium se praebuisset.

§ XCIX. Continuatio difficultatum libri Esther

268. 10° Quomodo, inquiunt, Assuerus ut infans sedere potuit in throno aureo, cum sceptro aureo ad manum, quin causam aliquam audiret (c. V, 1)?

Sed nullibi legitur, Assuerum tum causam aliquam non audiisse; verisimile est, Estherem adiisse regem ea hora, qua rex causas audire solebat. Assuerus, seu Xerxes magnus, etiam tempore pugnae Salaminensis in throno aureo super dit (Plutarch. in Artaxerxe). Caeterum thronus iste aureus nil aliud erat quam sedes aurea, quae regem quocumque iret sequebatur, ut cum e rheda descenderet in illa considere posset. Rex persarum semper in throno sedens exhibetur, eo quod orientales plus sedere quam stare soleant (Athenaeus Dipnos. l. 12, c. 2). Sceptrum vero aureum erat baculus aureus, quocum reges ambulabant, cuique innitebantur.

269. 11° c. IV legitur hebraeos, futura sua internecione audita, planxisse et gemuisse, non vero dicitur eos de fuga cogitasse, quod tamen obvium fuisset.

Ast neque etiam dicitur, iudaeos fugam meditatos non esse; verisimiliter iudaei vel ideo tantopere planxerunt, quod ab illa tentanda impedirentur.

270. 12° C. VIII, 11 Assuerus per Mardochaeum sinit ut hebraei eos interficiant, quibus per Amanum antea concesserat ut ipsos iudaeos internecione delerent. Quomodo rex tam prodigus vitae suorum subditorum concipi potest? Cur Assuerus primum edictum simpliciter non revocavit?

Verum cum edicta regum persarum et medorum, quae in librum legum relata, et annulo regio subsignata erant, irrevocabilia essent, ut constat ex c. I, 19, VIII 8, et Daniel. VI, 9-16, Assuerus nullum aliud medium habebat iudaeos liberandi ab antea iussa exterminatione, quam dare decretum, iuxta quod interficiendi erant ii, queis iudaeorum internecio praecepta fuerat.

271. 13° Esther, quae ut pia mulier exhibetur, non satis habens Susis 500 homines interemptos fuisse, petit a rege, ut iudaei adhuc altera die suos hostes Susis occidere possint; parum habens decem innocentes fi- Amani trucidatos fuisse, adhuc

petit ut eorum cadavera patibulo suspensa putrescant (c. IX, 6-13).

Sed auctor libri has petitiones Estheris refert quidem, non autem approbat. Aliter autem se res cum Esthere habet, si ponatur magnum persarum numerum ductu filiorum Amani, iudaeos die 13 mensis Adar Susis adortos esse, de eis quidem a iudaeis occisos esse 500 praeter decem filios Amani, sed ex illis plures superfuisse, consequenter Estherem ne iudaei alias ab illis impugnarentur, a rege petiisse, ut iudaei altera die suos inimicos Susis delere possent.

Corpora vero decem filiorum Amani, qui in praelio perierant, iuxta persarum leges patibulo suspensa ab avibus devoranda erant; si vivi capti fuissent, vivi in crucem acti fuissent. Ita Polycrates, tyrannus samosatensis, ab Oronte vivus in crucem actus fuit (1).

§ C. difficultates partis deuterocanonicae libri Esther, c. 10, 4 — c. 16.

272. Acatholici, qui parti deuterocanonicae libri Estheris auctoritatem canonicam abnegant, aiunt, illam parti protocanonicae contradicere.

1° Dicunt c. XI, 2-3 : Mardochaeus exhibetur iam secundo anno regis ut *vir magnus, et inter primos aulae regiae,* et iuxta c. VIII, 2 primum magnus factus est septimo anno regis post mortem Amani.

Verum c. XI, 2-3 est prolepsis, sermoque est de Mardochaeo qui postea magnus factus est. Caeterum Mardochaeus iam ante mortem Amani in aula regia erat; *morabatur enim ad regis ianuam,* seu in regis procoetone *(anticamera)* c. II, 21.

273. 2° Iuxta caput XV, 10, rex tanto cum furore Estherem adspexit, ut illa prae terrore animi deliquium pateretur, et iuxta c. V, 2, rex benigne Estherem intuitus est.

Ast rex iratus fuit quando mulierem de longe vidit, contra eius mandatum ad se accedentem eamque non noverat, verum cum eam prope adspexit, et Estherem esse cognovit, eam benigne habuit.

274. 3° Iuxta c. XII, 1 coll. cum c. XI, 2, Eunuchi Bagatha et Thara regem de medio tollere voluerunt secundo anno eius regni, et iuxta c. II, 16, 21, id facere voluerunt septimo eius regni anno.

Sed ista coniuratio contigit septimo anno regis; contradictio apparens inde oritur, quod in Vulgata c. XII, 1 legatur: *Eo tempore,* quae verba in textu graeco non occurrunt.

275. 4° Iuxta cap. XII, 5, Mardochaeus pro detectione conspirationis eunuchorum munera a rege accepit, et iuxta c. VI, 3 nihil accepit.

Verum haec munera tam exigua fuerunt, ut annalibus inscripta non fuerint; quare lectores annalium nihil de iis sciverunt, regique (cap. VI, 3) dixerunt, Mardochaeum nihil accepisse.

276. 5° Edictum regium c. XVI pro iudaeis per omnes Persiae provincias missum, a iudaeo confectum esse manifeste patet ex notionibus de Deo, etc., quae in eo occurrunt.

Sed Mardochaeus, qui hoc edictum nomine regis confecit (c. VIII, 9), iudaeus erat.

277. 6° In isto edicto vocatur Aman (v. 10), *gente Macedo,* et c. III, 1, dicitur esse de stirpe Agag, amalecitarum regis.

Verum vox *Macedo* hic *peregrinum* significat, ut saepe in libris Machabaeorum. Etiam aliquis de posteris Agag in Macedoniam secedere, Aman ab illo descendere, et in Macedonia nasci potuit.

(1) Herod., l. 3, c. 12

DE LIBRO IOB

§ CI. Lingua et auctor libri Iob.

278. Nonnulli eorum, qui Iobum ipsum huius libri auctorem, Moysenque illius interpretem constituunt, adserunt, librum hunc lingua arabica seu idumaea exaratum fuisse. Verum lingua primigenia libri, quae noscitur, est hebraica, verbis arabicis permixta. Personas libri esse arabes profecto non evincit illum esse arabice scriptum, ac dein in linguam hebraeam translatum. Occurrunt equidem in textu orthographia arabica et verba arabica, at primum dumtaxat probat, auctorem diu fuisse in Arabia conversatum, et alterum comprobat, voces rariores, in sublimi poëmate adhiberi solitas, depromptas fuisse e ditissima lingua arabica hebraeae linguae sorore, ob penuriam huiusmodi vocum in idiomate hebraico.

279. Iobum non esse auctorem huius libri sat liquet ex modo, quo eiusdem ibidem mentio fit, et ex notitia eius mortis, quae ad finem libri habetur.

Origenes, Gregorius Magnus, Suidas (1) et nonnulli alii ideo potissimum existimarunt, Iobum ipsum hunc librum conscripsisse, quod (c. XIX, 23) ait: « Quis mihi tribuat, » ut scribantur sermones mei? Quis » mihi det, ut exarentur in libro, » stylo ferreo, et plumbi lamina, vel » celte sculpantur in silice?» Verum per hoc Iob solummodo exprimit quantopere persuasus sit de veritate eorum, quae dicit. Ibi de libro ordinario conscribendo nullatenus est quaestio, eoque minus indicatur quod Iob suum librum scripserit.

Aliqui hunc librum Isaiae adscripserunt ob similitudinem, quam inter eius stylum, stylumque huius prophetae deprehendere autumabant; nonnulli ipsum attribuerunt Danieli; Gregorius Naz., referente Polychronio, hunc librum Salomoni adscripsit. Verum hae sunt coniecturae solido fundamento destitutae.

Multi autem cum variis patribus graecis et syris, cum talmudistis (2), maximaque parte rabbinorum, Moysen huius libri auctorem statuunt; quod si ita est, liber hic scriptus fuit ante egressum iudaeorum ex Aegypto, quando Moyses in Arabia commorabatur.

§ CII. Moyses scripsit librum Iob ante egressum iudaeorum ex Aegypto.

280. Textus libri non est arabicus, sed hebraicus, liber autem est poëma egregium, notiones maxime sublimes, amplissimam artium, scientiarum, historiae naturalis imprimis, notitiam continet, morum probitatem, fugam vitiorum, cultum unius Dei, conformationem propriae voluntatis ad divinam, etc. inculcat. Nihil in eo occurrit egressui iudaeorum ex Aegypto anterius, nihil de plagis Aegypti, nihil de transitu maris Rubri, nihil de mora in deserto, nihil de Palaestina, etc. Iam vero haec omnia Moysen ut auctorem huius libri ante egressum iudaeorum ex Aegypto indicant; praeclarae enim eius animi dotes, scientiae, libri sublimia cantica poëtica, ampla scientiarum, artium, historiae naturalis, leprae imprimis, notitia, ipsius crebrae adhortationes ad cultum unius veri Dei, ad exercitium virtutis et ad fugam vitiorum, quae omnia in Pentateucho reperiuntur, talem antiquum exhibent auctorem, qualem ponit liber Iob. Nullus insuper alius antiquus scriptor hebraeus aetate, qua liber Iob scriptus fuit, occurrit, qui illum componere potuisset, praeter Moysen.

Ex hisce sequitur, librum Iob esse antiquiorem ipso Pentateucho.

(1) Orig. c. Celsum, l. 5. Greg., lib. I in Iob.

(2) Baba Bathra.

§ CIII. Argumentum, elocutio et scopus libri Iob.

281. Liber Iob tres complectitur partes, *prologum*, *tractatum* et *epilogum:* prologus continetur c. I-II, et prosa oratione est exaratus. Duo ibi in coelo sistuntur iudicia. Deus ut rector universi, et iustus iudex exhibetur. Inter filios Dei, seu ministros Deo adstantes, venit Satan, vitiorum inquisitor et explorator, aitque a Deo interrogatus, Iobum non adeo in iustitia perseveraturum, si rebus omnibus spoliaretur; quare Iob, vir probissimus atque opulentissimus, calamitatibus maximis opprimitur, lepra adfligitur, et rebus omnibus spoliatur eum in finem, ut eius probitas innotescat. Iob summe miser, sedens in sterquilinio, et mentis plene compos sistitur.

Tractatus comprehendit cap. III-XL, et metrice scriptus est. In eo narratur, Iobum, ad miserrimum statum fuisse redactum, eumque amicos Eliphaz, Baldad et Sophar invisuros convenisse. Hi postquam septem diebus commiserationis causa cum eo in terra taciti sedissent, longam cum Iobo de causa eius calamitatum controversiam texunt, atque contendunt, Iobum criminibus maximis iram Dei in se concitasse. Iob vero maledicit diei nativitatis suae, suam innocentiam tuetur, investigabilemque suis malis causam subesse contendit. Eliu, quartus amicus Iobi, audita Iobi aliorumque controversia, multa ab iis dicta aliis verbis repetit, quin Iob respondeat, eiusque sententia congruit cum illa trium amicorum Iobi, licet modestior sit. Cum Iob Deum ad respondendum provocasset, Deus e turbine loquitur, Iobo silentium indicit, atque ex stupenda rerum creatione et regimine huius universi ostendit, hominem intelligere non posse qua ratione Deus hoc universum condiderit.

Tractatus iste sublimi expressus est poësi, nihilque in libris sacris ei comparari potest nisi Moysis cantica (Exod. XV, Deuter. XXXII, et Ps. CIII). Sermones Iobi sermonibus eius amicorum praestant, et sermones Dei omnibus aliis praecellunt. Eliu sermones adfectationem sapiunt, sed miram artem produnt. Caeterum in hoc tractatu variae notiones de Deo, de religione, de moralitate, de physiologia, praesertim de nonnullis animalibus, etc. occurrunt. Epilogus capite ultimo conclusus, v. 7-16, exponit, Iobum valetudini restitutum, duplo ditiorem quam antea factum fuisse, et adhuc vixisse 140 annis. S. Hieronymus de stylo huius libri ait: « Prosa incipit, versu labitur, pedestri sermone finitur (1). »

Scopus libri Iob videtur esse docere, causas ob quas probi quandoque usque ad finem vitae adversitatibus conflictantur, et improbi rebus prosperis fruuntur, esse investigabiles, quod exemplo Iobi confirmatur.

§ CIV. Num liber Iob est parabola?

282. Plures recentiores cum talmudicis *(in Baba Bathra)* librum Iobi parabolam esse existimant, idemque iam autumarunt nonnulli antiquiores (2). Eorum rationes huc redeunt:

1° Colloquia, quae Deus in coelo cum *filiis Dei*, seu ministris, aut angelis, instituisse legitur in prologo, singularis ille accusator, seu Satan, qui accusationes ad Dei tribunal defert, sermones Dei cum illo et ipsius cum Deo, historica esse nequeunt. Quod si hic prologus, qui substantiam libri continet, non est historicus, nec tractatus ipse historia est.

2° Ars magna, quae in elocutione

(1) Hieronymus, Epist. ad Paulin.

(2) Vide Lamy, apparat de la bible. Du Pin Prolegom. de la bible, et conf. num. 18.

libri elucet, historiam non sapit. Quomodo credi potest, Iobum afflictissimum, bonis omnibus spoliatum, et morbo horribili percussum, tam sublimibus carminibus tamque longis et extemporalibus suos amicos allocutum esse, atque hos vicissim sublimi omnino poësi cum illo sermocinatos fuisse? Incredibile est, Deum metrice et tam diu e turbine cum Iobo locutum esse, ut eius altercationem cum amicis dirimeret.

3° Significatio nominum propriorum huius libri parabolam innuit. Sic Hus sonat *consilium*, Iob *vir dolens*, Sophar *speculator*, Eliphaz, *lex Dei*, etc. Nomina filiarum Iobi Cassia et Cornustibii earum pulcritudinem exprimunt.

4° Imprecationes, quas Iob profert, non conveniunt magnae virtuti, quae illi attribuitur.

§ CV. Crisis.

283. Allata argumenta minime evincunt, librum Iobi esse parabolam, Iobumque non extitisse, ex iis nihil aliud colligi potest, nisi hanc narrationem non esse puram putamque historiam, quandoquidem ab auctore poëta scripta fuit et exornata. Librum Iobi quoad substantiam historiam esse, mox probabimus.

Carmina sublimia, quibus Iob suos amicos, Deum, et iratam uxorem alloquitur, et hi cum illo loquuntur, a Iobo, amicis, Deo et uxore profecta non sunt, sed auctor libri eos metro loquentes induxit, ut Homerus, et Virgilius inducunt loquentes carminibus varias personas, quae nonnisi prosa locutae fuerunt.

Quando dicitur amicos Iobi septem diebus et totidem noctibus in silentio cum illo in terra sedisse, adest hyperbole in scriptura sacra haud infrequens (XXXI, 40-41. Act. XX, 31), significatque, eos maximam partem huius temporis cum eo fere tacitos traduxisse.

Nonnulla autem nomina propria in libro Iobi significationem eventibus historiae aliquatenus congruentem habere, mirum non est, cum et in aliis libris veteris foederis nomina huiusmodi occurrant: sic Abel significat *vitam brevissimam*, Noë *solatium parentum*, Abraham *patrem multarum gentium*, etc. Omnia fere nomina propria hebraica significationem aliquam habent, cum variis interdum eventibus plus minusve congruentem.

Imprecationes vero Iobi nihil aliud sunt quam consuetae significantiores orientalium dicendi formulae, ingenti dolore ac melancholia a Iobo expressae, miserrimo autem eius statui apprime convenientes.

§ CVI. Liber Iob est quoad substantiam historicus.

284. Integram narrationem libri Iobi non esse historiam docuerunt inter alios Dan. Huetius, Bern. Lamy, Du Pin (1), etc. Huius vero sententiae rationes colliguntur ex § CIV. Sermones Dei cum satana, et huius cum Deo, prolixitas sermonum Iobi aegerrimi ad amicos, et horum ad eum, longa et metrica oratio Dei e nube loquentis ad Iobum, sublimitas poëseos, qua liber est concinnatus, etc. profecto id evincunt.

285. Librum autem quoad substantiam non esse parabolam, sed veram historiam, Iobumque vere extitisse, patet

1° Ex characteribus historiae, qui in eo occurrunt: « Parabolae illae » sunt, ait s. Chrysostomus (2), ubi » ponuntur exempla et tacentur no- » mina. » In libro Iob autem designatur locus commorationis Iobi, terra Hus; nomina eius filiarum

(1) Huet, Demonst. evang., Prop. 4, § 4. Lamy, apparat de la bible. Conf. n. 18. Du Pin Proleg., l. 1. § 10.

(2) Homilia de divite.

Cassia et Cornustibii, amicorum Eliphaz, Baldad, Sophar et Eliu, uti et horum patria, recensentur, etc., nihilque in tota historia Iobi occurrit, quod evincat eam esse parabolam.

2° Ezechielis XIV, 14, Iob cum Noë et Daniele ponitur, et dicitur: « Si fuerint tres viri isti in medio e» ius, Noë, Daniel, et Iob: ipsi iu» stitia sua liberabunt animas suas, » ait Dominus exercituum.»

Cum hic Iob, Noë ac Daniel, eodem nexu ad eumdem finem adlegentur, tamquam Dei beneficio maximis periculis erepti, oportet omnes tres extitisse; alioquin si Iob persona fictitia esset, falsitas veritati admixta esset, et quidem ita, ut secerni haud posset, cum legenti locum allatum nullum suboriatur dubium quin tres illi viri reapse extiterint.

Patroni parabolae apud d. Iahn(1) aiunt ex loco allato hoc unum colligi posse, *vixisse quondam pium aliquem Iobum*, et ne hoc quidem, cum personae fictae cum veris in scenam possint produci.

Ast nonnisi pium istum Iobum, cuius historiam liber noster complectitur, novit sacra antiquitas, cum vero personae fictae cum veris in scenam producuntur, adsunt indicia, quibus fictae a veris discernantur.

3° Tobiae II, 12 legitur: « Hanc » autem tentationem ideo permisit » Dominus evenire illi (Tobiae), ut » posteris daretur exemplum patien» tiae eius, sicut et sancti Iob.»

Cum hic Iobi patientia ponatur, oportet illum extitisse, ut historia nostri libri eum sistit.

Parabolae defensores reponunt(2), allegatum versum 12 deesse in textu graeco, in versionibus syriaca et arabica, ac in hebraeis, adeoque illum esse additum ab illo rabbino, cuius ope s. Hieronymus chaldaicum Tobiae textum latine reddidit, caeterum adhuc quaeritur, num ipse liber Tobiae non sit parabola.

Verum nullatenus probatum est textum graecum esse textum primigenium libri Tobiae. Praefatus versus e textu graeco excidere potuit, et hinc deesse debuit in versionibus iuxta illum factis (conf. n. 241 et 242).

Si etiam liber Tobiae parabola esset, inde minime sequeretur, Iobum, de quo c. II, 12 est quaestio, esse personam fictam (conf. n. 246).

4° Apostolus Iacobus (Epist. V, 11): « Ecce beatificamus eos, in» quit, qui sustinuerunt, sufferen» tiam Iob audistis, et finem Domi» ni (quo Iobi calamitates coronavit) » vidistis, quoniam misericors est et » miserator. »

Commemorat hic s. Iacobus Iobi patientiam, et remunerationem eius virtutis ex quo profecto liquet illum extitisse.

Adversarii aiunt ex loco s. Iacobi solum sequi, librum Iobi fidelibus praelectum fuisse, posse autem fidelibus etiam praelegi parabolas.

Sed credidit profecto s. Iacobus(3) Iobi existentiam et historiam, alioquin enim fideles ad eius exemplum imitandum non excitasset; proponere alicui exemplum omnino singulare imitandum, quod numquam extitit, est proponere chimaeram.

5° De Iobo, qui nostro libro depingitur, locuti sunt Origenes, Tertullianus, Cyprianus, Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Gregorius magnus, etc. deque illius existentia minime dubitarunt.

Ad hoc respondent quidem patroni parabolae (4), nullum patrem usque ad finem saeculi sexti, quo aevo

(1) Introd. in L. S. V. F., Sect. III, c. 2, § 189.
(2) Apud cl. Iahn loc. cit.
(3) Ibidem.
(4) Ibidem.

s. Gregorius magnus suum librum *Moralium* in Iobum edidit, de Iobo ex professo scripsisse; frustra igitur patrum consensum adlegari.

Ast scripta istorum patrum saltem probant, eos credidisse, Iobum vere extitisse. Necesse non est, ut patres de quadam re ex professo scribant, ut quid audierint, quidve sentiant, scripto mandent.

6° Nomen Iobi in antiquissimis reperitur martyrologiis, graecique eum colunt sexta maii uti et christiani Arabiae, Aethiopiae, Aegypti et Russiae; latini vero eum venerantur die decima eiusdem mensis.

NB. C. XXI, 33, in Vulgata mentio fit de Cocyto, fluvio mythico. Id s. Hieronymo tribuendum est, qui, specie pro genere sumpta, hebraicum *Nachal*, *torrentem*, per *Cocytum*, fluvium Arcadiae reddidit. Versio graeca *Nachal* reddit per χειμάῤῥον, *torrentem*.

Cap. XIX, 17, Iob dicit: *Orabam filios uteri mei*, et c. I, 19, dicitur, omnes filios Iobi mortuos esse. At observandum est, Iobum more antiquorum patriarcharum concubinas, seu uxores secundarias, habuisse: filii ex eius uxore suscepti mortui dicuntur c. I, 19, et c. XIX, 17, est quaestio de filiis eius concubinarum. Hinc versio graeca habet: υἱοὺς παλλακίδων μου, *filios concubinarum mearum* (conf. n. 34-36 et 417-422).

DE LIBRO PSALMORUM

§ CVII. De lingua et auctoribus psalmorum.

286. Psalmi lingua hebraica metrice scripti sunt, nonnullis autem psalmis voces chaldaicae sunt admixtae. Liber Psalmorum, hebraice inscriptus *Sepher Thehillim*, *Liber Hymnorum*, nomen suum desumit a voce graeca ψαλμός, *Psalmus*, quae *carmen fidibus cantatum* sonat. Psalmi plerique cantabantur ad sonum instrumenti musici, vocatur autem instrumentum musicum graece ψαλτήριον, *Psalterion*. Cum graeci hymnos sacros hebraeorum nuncuparint *psalmos*, eorum collectionem, ex 150 psalmis constantem, *Psalterium* vocitarunt.

287. Psalterium hoc Davidicum appellatur, non quod omnes psalmi sint Davidis, sed quod potior eorum pars illius sit.

Existimarunt quidem olim multi cum Augustino, Chrysostomo, Ambrosio, Theodoreto, Cassiodoro, etc. (1), omnes psalmos esse Davidis, et Philastrius haereticos dicere haud dubitavit, qui hac de re dubitarent (2); verum eruditi modo omnes conveniunt omnes psalmos non esse Davidis. Hos inter sunt cl. Sim. de Muis, Bossuet, Calmet, Smits, Iahn, Brentanno, Contant de la Molette, etc. (3). S. Hieronymus iam suo tempore scribebat: « Scimus errare » eos, qui omnes psalmos Davidis » esse arbitrantur (4). » Idem senserunt Origenes, Hilarius Pict., Eusebius Caes., Auctor synopseos, etc. (5).

Omnes psalmos Davidis non esse, vel exinde liquet, quod nonnulli agant de rebus, quae nonnisi diu post mortem Davidis contigerunt: sic Ps. LXXIII: *Ut quid Deus repulisti in finem*, etc. et Ps. LXXVIII: *Deus venerunt gentes in haereditatem tuam*, etc. Hierosolymorum ruinam, tem-

(1) August., l. 17, de civit. Dei, c. 14. Chrys. in ps. 50. Ambr. praef. in ps. 1. Theod. praef. in ps. Cassiod. prol. in ps.

(2) Philastrius Haer. 126.

(3) De Muis Commentarius litter. et histor., ps. 73, 78, 136 etc. Lovan., 1770. Bossuet, liber psalmorum dissert., c. 6. Calmet, dissert. sur les auteurs des psaumes. Smits, psalterium Prolegom., n. 222, etc. Iahn. Introd. in L. S. V. F., sect. III, c. 3, § 166, etc., Viennae, 1804. Brentanno Einleitung in die Psalmen, § 3, Francfurt am Mein, 1815. Contant de la Molette, ps. 71, 73, 78, 136, etc.

(4) Hier., Epist. 134 ad Cyprian.

(5) Hilar. Proleg. Psalm. Euseb. Praef. in ps. Auctor Synops. t. II, oper. s. Athanasii.

rplique incendium canunt, quare sunt auctoris, qui tempore captivitatis babylonicae, vel post illam vixit. Ps. CXXXVI : *Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, cum recordaremur Sion,* agit de iudaeis in captivitatem babylonicam abductis, quare illius auctor Davide diu posterior est.

Ps. LXXXIX: *Domine, refugium factus es*, etc. Moysis esse videtur; argumentum eius et elocutio cum hymnis Moysis (Exod. XV) et Deuter. XXXII conspirant.

Dein psalmi nonnulli verba chaldaica continent, quae ostendunt illos tempore captivitatis babylonicae, vel etiam posterius fuisse compositos.

§ CVIII. Inscriptiones psalmorum.

288. Plerique psalmi praeseferunt inscriptiones, seu titulos, quarum aliae auctorem designant, aliae praefectum chori, vel musicum, vel instrumentum musicum, vel melodiam, aliae occasionem et materiam psalmi.

S. Hieronymus autumavit, inscriptiones semper indicare auctores : « Psalmos, aiebat, eorum testamur » auctorum, qui ponuntur in titulis, » David scilicet, Asaph, Idithum, » filiorum Core, Eman, Esraitae, » Moysi, Salomonis, et reliquorum, » quos Esdras uno volumine com» prehendit (1). » Verum licet multae inscriptiones auctores designent, alias tamen illos minime indigitare ex historia sacra aut ex psalmis hasce inscriptiones prae se ferentibus, constat: sic psalmi LXXIII et LXXVIII τῷ Asaph inscribuntur, sed cum in iis eversio Hierosolymae et templi referatur, illius esse nequeunt; illorum vero elocutio ad illam lamentationum Ieremiae accedit. Ps. LXXI: *Deus iudicium tuum regi da*, etc., non Salomonem auctorem habere videtur; continet enim vota pro inauguratione huius regis, neque Salomon omnia, quae in isto psalmo occurrunt, de semetipso cecinisset (2).

(1) Hier., Epist. ad Sophron.

(2) Conf. cl. Sim. de Muis in ps. 71, et cl. Bossuet, in eumdem loc.

§ CIX. Origo poëseos, et aetas psalmorum.

289. Poësis primis humani generis temporibus orta est, cum nempe hominis phantasia, vividioribus notionibus vehementibusque animi affectibus agitata, locutiones solito vivaciores et significantiores invenit, ac vocem modulationemque iis conformavit. Quare iam prima hominum aetate cantica quaedam, utut rudia et imperfecta, extitisse videntur. Id certum, Moysis aevo poësin apud hebraeos ad magnam perfectionem perductam fuisse, ut ex libro Iob (n. 281), et ex canticis Moysis (Exod. XV et Deuter. XXXII) liquet.

Solebant hebraei Deo, a quo beneficiis cumulabantur, pro insignibus benefactis gratias referre, eiusque laudes decantare. Mos iste a Moysis aetate usque ad tempora captivitate babylonica posteriora inter iudaeos perstitit, Moysesque eum induxisse videtur (Exod. XV).

290. Cum Ps. LXXXIX, *Domine refugium factus es nobis*, etc. a Moyse concinnatus esse videatur (n.287), hic Psalterii antiquissimus psalmus esse adparet. Plerique alii originem ducunt ex illo temporis spatio, quod a Davide usque ad captivitatem babylonicam effluxit, Davidque, qui *egregius psaltes Israël* vocatur (II Reg. XXIII, 1), potiorem eorum partem composuit, eosque decantari curavit. Salomon pariter magnam adhibuit curam, ut psalmi musicaliter canerentur. Hunc usum propter perturbationes rerum iudaeorum aliquatenus neglectum restauravit rex Ezechias.

Iudaei in captivitatem babylonicam abducti nonnisi psalmis lugubribus suum infortunium canebant; ex hoc autem exilio ad Hierosolymam reduces, pristinos suos psalmos eucharisticos decantare, novosque condere coeperunt.

§ CX. Psalmorum collectio, et apud hebraeos divisio.

291. Post captivitatem babylonicam Esdras, qui libros sacros collegit et a mendis purgavit (n. 7), centum et quinquaginta psalmos congessit, qui dein librum Psalmorum, seu Psalterium componunt. In hac vero collectione ordo auctorum, temporum, ac materiarum non est servatus.

Iudaei dein hosce psalmos in quinque libros diviserunt, quorum primus complectitur 41 priores psalmos, secundus alios usque ad 71 inclusive, tertius reliquos usque ad XC, quartus alios usque ad CVI, et quintus residuos usque ad CL.

In versione alexandrina Psalmi IX et X in unum coniuncti sunt; apud hebraeos autem, chaldaeos, et syros ut duo seiunctim extant: hinc Ps. XI iudaeorum est X apud graecos. Psalmi CXIV et CXV in illa versione pariter in unum redacti sunt; quare Ps. CXIV graecorum est CXVI apud hebraeos. Cum autem Psalmi CXV et CXVI nonnisi unum apud hebraeos constituant, Ps. CXVII hebraeorum est CXVI graecorum. Psalmi dein apud graecos unitate deficiunt usque ad Psalmum CXLVI, qui apud hebraeos coniunctus est CXLVII. Graeci dein Psalmos CXLVIII-CL ut hebraei numerant.

Versio vulgata Psalmorum, dinumerat Psalmos ut versio alexandrina, iuxta quam facta est.

Scripti sunt psalmi poësi nobili ac sublimi, ad magnos animi affectus in homine excitandos aptissima. Cuius autem generis illa poësis sit, disputant eruditi.

§ CXI. Argumentum psalmorum.

292. Psalmus quilibet argumentum sibi proprium habet. Argumentum autem generale psalmorum est in suo genere unicum, nihilque simile apud alias nationes occurrit. Continet porro maior pars psalmorum :

1° *Laudes unius et veri Dei*, qui sistitur ut omnipotentissimus, optimus, clementissimus, iustissimus, creator sapientissimus, conservator providentissimus huius universi, ac praestes singularis et benefactor munificus electi populi Israëlis.

2° *Vaticinia de futuro Messia*, ut redemptore humani generis: eius praedicatio, passio, mors, resurrectio, adscensio, regnum aeternum, atque conversio ac salus gentium per Messiae sanctam doctrinam decantantur.

3° *Doctrinam dogmaticam et moralem* de attributis Dei, de eius in omnibus locis praesentia, omniscientia, providentia, etc.; de religione naturali et revelata, de characteribus verorum servorum Dei, de felicitate vera proborum, et infelicitate, aut apparenti felicitate improborum, de dignitate hominis, de fiducia in Deum, de humana voluntate ad divinam conformanda, de funestis peccatorum consectariis, de poenitentia, morum emendatione, etc.

4° *Historias*, quae ad institutionem referuntur.

§ CXII. Imprecationes Psalmorum.

293. Occurrunt in psalmis plures imprecationes adversus peccatores et oppressores iustorum, sic (Ps. IX, 18) dicitur: « Convertantur in infernum, » id est *in sepulcrum*. Ps. XXXIV, 8: « Veniat illi laqueus, » quem ignorat : et captio, quam » abscondit, apprehendat eum.» Ps. LIV, 16: « Veniat mors super illos » et descendant in infernum (sepul-

» erum) viventes.» Ps. CXXXVI, 9: « Beatus, qui tenebit et allidet par- » vulos tuos ad petram.»

Ps. CVIII, 6-19: « Constitue su- » per eum peccatorem (virum im- » pium), et diabolus (hebr. adversa- » rius, accusator) stet a dextris eius » (ad illum accusandum). Quum iu- » dicatur exeat (e iudicio) condem- » natus: et oratio eius (petitio ve- » niae aut diminutionis poenae) fiat » in peccatum (novo ei vertatur cri- » mini). Fiant dies eius pauci : et » episcopatum (munus) eius acci- » piat alter. Fiant filii eius orphani, » et uxor eius vidua... induit (in- » duat) maledictionem sicut vesti- » mentum, etc.»

294. Recentiores nonnulli exegetae arbitrantur, iudaeis singulatim vindictam exercere haud licuisse, at vero potuisse petere a Deo, ut ipse eam exerceret: *Mea est ultio*, dicente Domino, et *ego retribuam* (Deut. XXXII, 35) : autumant dilectionem inimicorum hebraeis ignotam fuisse, et a Christo primum praeceptam esse, iuxta illud Christi Matth. V, 43-44: « Audistis quia dictum est: di- » liges proximum tuum, et odio ha- » bebis inimicum tuum, ego autem » dico vobis : diligite inimicos ve- » stros, benefacite his qui oderunt » vos. »

Verum haec sententia adversatur amori, quem auctores psalmorum aliis in locis erga inimicos produnt, et Exodo, XXIII, 4-5, ubi Moyses inimicorum charitatem inculcat. Textus vero Matth. V, 43-44, exhibet falsam interpretationem, quam pharisaei de versu 18 capitis XIX Levitici faciebant. Textus iste Levitici simpliciter ait : « Diliges amicum tuum sicut te ipsum (conf. n. 56).»

Nonnulli interpretes arbitrantur Ps. CVIII, 6-19, inimicos Davidis loquentes induci, imprecationesque in ipsum Davidem recidere, eo quod David ante et post hosce versus in singulari loquatur, ac v. 28 expresse dicat, inimicos ipsi maledicere.

Ast obstat quod David v. 6 uti et v. 1 Deum alloquatur, quod v. 20 imprecationem, antea numero singulari prolatam, in omnes suos inimicos extendat, quodque v. 21 sibi a Deo liberationem deprecetur, ut antea inimicorum punitionem poposcerat. Subita vero transitio a plurali ad singularem, reditusque ad primum subiectum reperiuntur pariter in aliis Psalmis, ut VII, 3, XVI, 12-13, XXX, 8.

Sed huiusmodi imprecationes vel sunt locutiones *emphaticae*, quibus orientales ingentem animi dolorem exprimere solebant, vel descriptiones poëticae poenarum, quae impios manent, vel vaticinia (conf. Ps. CVIII, 8 cum Act. I, 20; et Ps. CXXXVI, 9 cum Isaiae XIII, 16). Hebraei quandoque adhibent imperativum vel optativum pro futuro, ut Isaias XIII, 16 et Osee XIV, 1, vel tandem sunt vota ut in impiis Dei iustitia manifestetur: auctores Psalmorum punitionem et mortem impiorum minime desiderant vindictae libidine acti, ut sibi satisfiat, nec illa petunt ut mala impiis, nec iis delectantur, quod evincit locutiones illas haud esse *imprecationes proprie dictas*, sed exoptant ut Deus hisce flagitiosis hominibus nocendi vim auferat, ne probos exagitent et opprimant, postulant, ut quae Deus in sua lege impiis minatus, probisque pollicitus fuit, adimpleat, ne ut iniustus aut impotens blasphemetur. Dirae Psalmorum quandoque vehementes sunt, at poëtice ab orientalibus carmine expressae, nec obliviscendum, illas prolatas esse adversus homines sceleratissimos, pacis publicae perturbatores, proborumque oppressores, qui poenis severissimis affici, morteque plecti me-

ruerant (conf. n. 34-36 et 417-422).

§ CXIII. Psalmorum utilitas.

295. « Psalmorum liber, ait s. » Augustinus (1), quaecumque uti- » lia sunt ex omnibus continet. Fu- » tura praedicit, veterum gesta com- » memorat, legem viventibus tribuit, » gerendorum statuit modum, et ut » breviter dicam, communis quidam » bonae doctrinae thesaurus apte sin- » gulis necessaria subministrans. »

Homo felicitate et pace animi gaudens in Psalterio reperit cantica sacra quibus Deo bonorum omnium auctori gratias agat. Miser et afflictus in eo invenit quae ipsum consolentur, illiusque dolorem leniant. Conscientiae stimulis exagitato praesto sunt psalmi poenitentiales, qui pacem animae reddunt. Calumniis impetitus, ac ab impiis oppressus ad manum habet psalmos, qui illum ad fiduciam in Deum excitant, eique animum addunt. Omnes cuiuslibet aetatis, sexus et conditionis medelam vulnerum animae, solatia afflictionum, incitamenta virtutum, pabulum pietatis, etc., in psalmis reperiunt. Quicumque haec sacra cantica pie legit mentem eorum sacrorum auctorum assequitur, ad gloriam Dei, observantiam eius divinae legis, et ad salutem sui et proximorum procurandam excitatur. Quare psalmi a temporibus Davidis in synagogis a iudaeis cantati fuerunt, et dein apud christianos iam inde ab ecclesiae primordiis magnam partem sacri cultus publici constituerunt.

DE LIBRO PROVERBIORUM

§ CXIV. Lingua, auctor et aetas libri Proverbiorum.

296. Liber Proverbiorum, hebraice *Mislè* dictus, sermone hebraico conscriptus fuit. Vox *Mislè parabolas, allegorias, proverbia et sententias* significat. Graeci illam per parabolas, et latini per *proverbia* reddiderunt, verum recte per *sententias* significatur.

III Reg. IV, 32 legitur Salomonem 3,000 parabolarum composuisse, et liber Proverbiorum incipit hisce verbis: « Parabolae Salomonis, filii David regis Israël; » quare minime dubium, quin Salomon libri Proverbiorum sit auctor usque ad c. XXIX inclusive. Liquet id caeteroquin ex cap. I, 1 et XXV, 1, ac ex eodem ubique stylo.

Verum caput XXX, iuxta textum hebraeum incipit: *Verba Agur, filii Iakè*, quae nomina propria s. Hieronymus, ac si appellativa essent, iuxta suam significationem reddidit per: *Verba congregantis, filii Vomentis* (2).

Caput XXXI incipit per: *Verba Lamuelis regis*. Hae vero inscriptiones evincunt quae cap. XXX et XXXI referuntur non esse Salomonis. Quis autem ille Lamuel sit non constat, alii quidem eum Salomonem esse autumarunt, sed alii Ezechiam, alii alium regem esse crediderunt. Haec duo capita non esse Salomonis, patet tum ex stylo, qui a stylo praecedentium capitum diversus est, tum quod cap. XXX, 2, auctor de se dicit: « Stultissimus sum virorum, et sapientia non est mecum, » quae minime conveniunt Salomoni, qui superioribus capitibus ut doctissimus sapientiae doctor sistitur, et qui III Reg. III, 12, sapientissimus praedicatur (n. 213), tum quod eodem capite v. 8 ait: « Mendicitatem et » divitias ne dederis mihi: tribue » tantum victui meo necessaria, » quae oratio neutiquam ditissimi Salomonis esse potest.

Licet vero sententiae XXIX priorum capitum sint Salomonis, ab alio

(1) Aug. Proleg. in lib. psalmorum.

(2) Confer. cl. Smits Prolegom. in lib. Prov n. 24.

tamen eo quo nunc sunt ordine redactae esse videntur, tum quia cap. XXV, 1, legitur : « Hae quoque pa» rabolae Salomonis, quas transtu» lerunt (collegerunt) viri Ezechiae » regis Iuda,» tum quia multae sententiae repetuntur, ut c. XIV, 31 et XVII, 5, aliae repetuntur ter, ut c. XIV, 12; XVI, 25; XXI, 2, aliae immo quater repetuntur, ut c. XVII, 1; XXI, 9 et 19, XXV, 24.

Videntur Salomonis sententiae, quando eas proferebat, scripto exceptae fuisse, et ab eruditis Ezechiae regis Iuda in hunc dein librum relatae cum iis, quae cap. XXX et c. XXXI reperiuntur.

§ CXV. Argumentum, stylus et scopus libri Proverbiorum.

297. Liber Proverbiorum usque ad caput XXX inclusive continet sententias Salomonis et Agur de vera sapientia, probitate et improbitate, de administratione rerum domesticarum, publicarum et oeconomicarum; de institutione infantium, de gubernio, de officiis regum, magistratuum, iudicum, subditorum, parentum, et liberorum, de bono et malo, de felicitate et infelicitate.

Cap. XXXI, 1-9, occurrit institutio a regina filio Lamuel facta ; a v. 10-31, describitur mulier proba.

Stylus huius libri est simplex, at sale conditus et acutus. Sapientia saepe per tropum ut persona exhibetur, sententiae autem metris ligatae sunt.

Scopus libri Proverbiorum est doctrinam moralem tradere conceptu et retentu facilem. Methodus ista per sententias docendi omnium est antiquissima, et olim a sapientibus adhibita fuit usque dum scientia moralis artificiosa methodo traderetur. Huiusmodi breves sententiae animum delectant, facile memoria servantur, et agendi normam opportuno tempore suppeditant. Christus et apostoli hanc instruendi rationem saepe adhibuerunt. Ad varios textus epistolarum canonicarum novi testamenti rite intelligendos collatio eorum cum sententiis Salomonis plurimum confert (conf. n. 34-36 et 417-422).

DE LIBRO ECCLESIASTIS

§ CXVI. Lingua, auctor et aetas libri Ecclesiastis.

298. Liber Ecclesiastis, hebraice *Coheleth* dictus, scriptus fuit lingua hebraica, verbis chaldaicis et exoticis permixta.

Vox *Coheleth* significat *congregantem*. Liber ita vocatus fuit vel quia eius auctor varias animadversiones *congregavit*, vel quia liber sermo est ad *congregationem*. Hanc ultimam significationem secuti sunt graeci *Coheleth* vertendo per Ἐκκλησιαστήν, *Ecclesiasten*, quae vox *concionatorem* significat, idemque latini fecerunt.

299. Antiqui hunc librum attribuerunt Salomoni. Iudaei aiunt, hunc regem composuisse Canticum canticorum in sua iuventute, proverbia in aetate virili, et Ecclesiasten sub finem vitae. Rationes, ob quas Ecclesiastes Salomoni adscriptus fuit, sunt :

1° Cap. I, 1 dicitur: « Verba Ec» clesiastae, filii David, regis Ieru» salem. »

2° Auctor c. I, 16, scribit: « Ec» ce magnus effectus sum, et prae» cessi omnes sapientia, qui fue» runt ante me in Ierusalem,» quae ob III Reg. III, 12 Salomoni conveniunt.

3° C. XII, 9, habetur: « Cumque » esset sapientissimus Ecclesiastes » docuit populum, et enarravit quae » fecerat : et investigans composuit » parabolas multas ; » Salomon autem laudatur III Reg. IV, 32 ob 3,000 parabolarum.

4° Quae Ecclesiastes refert c. VII de taedio quod de mulieribus expertus est, Salomoni conveniunt.

Talmudistae (1) Ecclesiasten adscribunt regi Ezechiae, alii illum aliis auctoribus tribuerunt.

Recentiores vero plerique, quos inter cl. Brentanno et Iahn (2), Ecclesiastis auctorem aevo Salomonis multo posteriorem esse existimant. Arbitrantur eum nomine Salomonis locutum esse, ut suo sermoni maiorem gravitatem, dignitatem et auctoritatem conciliaret, quemadmodum auctor libri Sapientiae nomine Salomonis locutus est (conf. n. 310).

Rationes eorum sunt:

1° Quod in hoc libro multa verba chaldaica, exotica, et recentiora hebraica occurrant, quae Salomonis aevo in Iudaea usitata non erant.

2° Quod Salomon haud scripsisse videatur c. I, 12: « Ego Ecclesiastes fui rex Israël in Ierusalem, » eo quod id de Salomone omnibus tum contemporaneis notum erat.

3° Quod haud verisimile sit, sapientissimum Salomonem c. II, 18-19 de suo filio, qui illi in solium succedere debebat, scripsisse : « Ignoro utrum sapiens an stultus futurus sit, » cum ita ansam rebellioni adversus illum praebuisset.

4° Quod tempore Salomonis illa libros conscribendi libido non esset, quam auctor (c. XII, 12) suis contemporaneis exprobrat.

5° Quod Salomon non fuisset tantopere conquesturus, ut auctor Ecclesiastis facit, de iniustitia iudicum, de potentum violentia, et de servorum ac stolidorum ad dignitates evectione, cum haec sub sapienti Salomonis administratione locum habere non debuissent, neque Salomon ita suam administrationem diffamasset.

6° Quod Salomon minime dicturus fuisset c. VII, 24: « Cuncta tentavi in sapientia. Dixi : sapiens efficiar ; et ipsa longius recessit a me, » eo quod (III Reg. III, 12) ut sapientissimus laudetur.

300. Alii ex hisce recentioribus auctorem Ecclesiastis anteriorem, alii captivitate babylonica posteriorem faciunt : primi aiunt verba chaldaica, exotica, et recentiora hebraica hanc arguere aetatem ; alii aiunt commendationes obedientiae exhibendae regi, licet hic sit iniustus, insipiens, servos et stolidos ad dignitates evehat, indicare aetatem, qua iudaei regem habebant; primisque respondent indolem linguae clarum testimonium non suppeditare aetatis alicuius libri, si clara argumenta obstent, eo quod Canticum canticorum ante captivitatem babylonicam scriptum sit, et nihilominus voces chaldaicas verbis hebraeis admixtas habeat.

Qui Salomonem auctorem Ecclesiastis statuunt, eius aetatem eo ipso definiunt.

§ CXVII. Argumentum, scopus et stylus libri Ecclesiastis.

301. Auctor huius libri varias proponit observationes de moliminibus hominum ad felicitatem consequendam, et hosce humanos conatus vanos et molestos dicit. Cum homo, quaecumque moliatur, veram tamen beatitatem in hoc mundo nequeat obtinere, nihil illi quam edere et bibere, ut auctor ait, in hoc mundo superesse videretur. Quare docet Ecclesiastes quomodo quis tristem hanc vitam levare possit, bonis creatis modeste utendo, Deumque timendo (c. ult. v. 13). Animadversiones auctoris autem ad hanc tantum vitam generatim respiciunt, ideoque c. III, 18, etc. futuram non tangit. Auctor

(1) Baba bathra, cap. I.
(2) Vide Iahn Introd. in L. S. V. F., Sect. III, cap. 3, § 214-215. Brentanno, Prediger. Einl. Frankfurt am Mein, 1800

a cap. I usque ad c. IV, 16, potissimum de molestiis ac vanitate huius vitae conqueritur; a versu autem 17, c. IV, monita tranquille vivendi tradere incipit.

302. Scopus igitur Ecclesiastis est huius vitae molestias et vanitates, simul autem hilarem illius usum docere. Voluit inquietam hominum contentionem divitias accumulandi, dignitates, honores, et voluptates sectandi coërcere, simul autem monere, ne homines innocua oblectamenta sibi prorsus denegent, ne vitam iam molestam sibi adhuc reddant molestiorem. Ex hisce elucet, in Ecclesiaste haud exhiberi duos inter se colloquentes, aut alternas duorum voces, unam auctoris et alteram impiorum, ut nonnulli existimarunt. Attentissimus lector varias istas personas aut voces minime deprehendit.

Stylus huius libri est humilis et fere prosaicus. Observationes auctoris in ultimis capitibus maiori nexu sibi cohaerent quam in superioribus.

§ CXVIII. Difficultates libri Ecclesiastis.

303. Narrat s. Hieronymus (1), iudaeos hunc librum, et quaedam scripta Salomonis quae perierunt, destruere voluisse, eo quod in eo dicatur, creaturas esse vanas, res omnes esse nihilum, et quod cibus ac potus, gaudiaque fugacia caeteris omnibus praeferri videantur, eos autem hoc consilium deseruisse, librumque albo librorum sacrorum inseruisse, quia auctor scopum sui operis (c. XII, 13-14) manifestat, cum dicit: « Finem loquendi pariter » omnes audiamus, Deum time, et » mandata eius observa: hoc est e» nim omnis homo. »

Rabbinis nonnullis atque acatholicis quibusdam displicuit, quod auctor, postquam creaturas vanas esse dixit, alibi contraria doceat; ast non observarunt, librum tali modo dispositum esse, ut observationes de vanitate rerum per istas alias animadversiones restringantur et corrigantur.

Aliis acatholicis, uti et iudaeis, haud placuit frequens auctoris monitio de hilari vitae usu; sed hi minime attenderunt ad libri scopum.

304. *Obi.* Adversarii huius libri eius auctorem speciatim epicureismi, sadducaeismi et scepticismi arguerunt. Illum aiunt:

1° Docere vitam mollem c. II, 24, ubi ait: « Nonne melius est come» dere et bibere et ostendere animae » suae bona de laboribus suis? Et » hoc de manu Dei est, » et c. III, 13, ubi: « Omnis homo, inquit, qui » comedit et bibit, et videt bonum » de labore suo, hoc donum Dei » est. » C. I, 4 inquiunt, eum mundo aeternitatem assignare, cum dicat: « Generatio praeterit, et gene» ratio advenit, terra autem in ae» ternum stat. »

2° Effutiunt, auctorem animae mortalitatem adfirmare, eo quod c. III, 18 et 19 scribit: « Dixi in corde » meo de filiis hominum, ut proba» ret eos Deus, et ostenderet similes » esse bestiis: idcirco unus interi» tus est hominis et iumentorum, » et aequa utriusque conditio: si» cut moritur homo sic et illa mo» riuntur, » et v. 21: « Quis novit » si spiritus filiorum Adam ascen» dat sursum et spiritus iumentorum » descendat deorsum? »

3° Scepticismi illum insimulant, eo quod dicat c. I, 2: « Vanitas va» nitatum: et omnia vanitas, » et v. 8: « Cunctae res difficiles, non po» test eas homo explicare sermone; » c. III, 11: « Mundum tradidit (Deus) » disputationi eorum, ut non inve» niat homo opus, quod operatus

(1) Comment in cap. ult., v. 13.

» est Deus ab initio usque ad fi-» nem;» c. VII, 24: « Cuncta ten-» tavi in sapientia. Dixi : Sapiens » efficiar; et ipsa longius recessit a » me.» Verum

305. *Resp.* 1° C. II, 24, auctor vult dicere, melius esse fructibus laborum, ut Dei donis, moderate uti, quam ab iis abstinendo immoderata cura rerum humanarum tabescere.

C. III, 13. Sapienter ait agere hominem, si labore partis, ut muneribus Dei cum moderatione fruatur, potiusquam huius vitae molestiis se excruciari patiatur. Quam remotus sit auctor ab epicureismo tradendo inde liquet, quod doceat ipsam voluptatem a sapientia seiunctam esse molestam ac vanam, quod a mulieribus corruptricibus tanquam ab extrema pernicie cavendum iubeat, quodque ad morum probitatem et ad religionem adhortetur.

C. I, 4. Vox *aeternum* nonnisi tempus longum indeterminatum significat, ut saepe alibi in scriptura. Quare sensus est, res huius mundi mutationibus esse obnoxias, terram autem stabilem esse, et quod ad suam stabilitatem huiusmodi vices non subire.

2° Versus 18 et 19 cap. III, corpus, aut dissolutionem compositi humani per mortem spectant (Gen. III, 19). Animam corpori esse superstitem auctor (c. XII, 7) clare edicit, dum : « Revertatur, inquit, » pulvis in terram suam, unde erat, » et spiritus redeat ad Deum, qui » dedit illum.»

C. III, 21. Solummodo affirmat rationem humanam sibi permissam clare perspicere non posse sortem hominis post mortem.

3° C. I, 2. Auctor omnia creata, et ipsam proinde rerum humanarum scientiam vana dicit, sed ideo quia homo in iis veram suam felicitatem nequit invenire, non vero quod non habeant veritatem ; sceptici autem rerum veritatem auferunt. V. 8 vult dicere, hominem res huius universi haud posse perfecte declarare, quia quominus id assequatur prohibet eius ingenium limitibus circumscriptum.

C. III, 11. Affirmat homines ob limites ingenii perfectionem operum Dei, modumque, quo illa composuit ac ordinavit, comprehendere et absque errore edicere haud posse.

C. VII, 24. Ait, se omnia tentasse, ut veram et perfectam sapientiam acquireret, neque tamen eam esse consecutum. Ecclesiasten autem omnem sapientiam non negasse, patet ex c. III, 14, ubi : « Didici, ait, » quod omnia opera, quae fecit Deus, » perseverent in perpetuum.» Conf. c. VIII, 12 (vide n. 34-36 et 417-422).

DE CANTICO CANTICORUM

§ CXIX. Lingua, auctor et aetas Cantici canticorum.

306. Hic liber hebraice *Sir Hassirim*, *canticum canticorum*, seu *canticum pulcherrimum* inscriptus, lingua hebraica, sed verbis chaldaicis et recentioribus hebraicis mixta, exaratus fuit.

Librum hunc Salomoni attribuerunt omnes antiqui, nomenque Salomonis in titulo textus hebraici, et antiquae versionis graecae extat Thalmudistae (1) eum adscribunt Ezechiae.

Recentiores autem nonnulli, inscriptionem textus hebraici ab auctore libri profectam non esse existimantes, canticum hoc auctori, Salomone recentiori, attribuunt.

1° Quod aetatem Salomone recentiorem indicent verba chaldaica et recentiora hebraica, quae in libro occurrunt.

(1) Baba bathra c. 1.

2° Quod c. VI, 4, in textu hebraico legatur: « Pulcra es, amica mea, ut » Thersa, decora sicut Ierusalem.» Thersa et Ierusalem hic occurrunt ut duae civitates regiae, dum tamen Thersa urbs regia facta non est nisi post separationem 10 tribuum sub Roboam (vide III Reg. XIV, 17; XV, 21; XVI, 6).

3° Quod Salomon regiam educationem nactus, maximaeque mulierum multitudini addictus, et vitam pastoralem, et tenerrimum amorem duorum amantium tam graphice describere haud potuit, prout in hoc libro fit.

307. Quidquid sit, hallucinantur qui librum hunc ob verba chaldaica et recentiora hebraica quae continet, post babylonicam captivitatem scriptum esse adfirmant; frequentissimae enim adlusiones ad tempus et res Salomonis, laeta rerum facies, quae in hoc libro ubique occurrit, mentio pulcherrimae regiae civitatis Hierosolymorum, militum Salomonis, Pharaonis, turris in Libano, etc., aetatem huius libri manifeste ante captivitatem babylonicam ponunt.

§ CXX. Argumentum, stylus et materia Cantici canticorum.

308. Continet hic liber descriptionem poëticam amoris tenerrimi sponsi in sponsam, et vicissim.

Stylus huius libri est poëticus, vehemens, vivus, continetque descriptiones pulcherrimas.

Plerique veterum ac recentiorum existimant, carmina huius libelli unicum poëma, seu drama, constituere. Cl. Bossuet autumavit in eo occurrere 7 partes, quae responderent 7 diebus, queis antiqui hebraei suas nuptias celebrabant. Cl. Iahn arbitratur, Canticum canticorum constare carminibus inter se neutiquam cohaerentibus.

309. Utrum in hoc libro sensu litterali amor inter utrumque sexum canatur, aut utrum hic amor sit mere mysticus, controvertitur.

Cl. Bossuet, Calmet et Du Pin existimant, hisce carminibus cani nuptias Salomonis cum filia regis Aegypti.

Ast de nuptiis in hoc libro nulla fit mentio, atque haec carmina nuptiis regiis accommodata non esse videntur.

Arbitrantur alii amorem coniugum celebrari in hoc cantico: at hic amor nimis ardens sistitur, qualis inter coniuges sive in polygamia, sive in monogamia, non reperitur. Caeterum de matrimonio in hoc libro nullum occurrit vestigium.

Alii sibi persuasum habent, castum amorem sponsi et sponsae ante coniugium in monogamia cani.

Id certissimum est, illiciti amoris in hoc libro nullum extare vestigium; quique casto animo illum legerit, nil aliud reperiet quam tenerrimas locutiones duorum amantium, qui fidem sibi invicem servant, quique tam parum suum amorem occultant ut potius illum omnibus innotescere exoptent, quod in amore illicito minime contigit. Caeterum casto lectori haud obliviscendum, librum hunc fuisse poëtice in oriente concinnatum; orientales autem descriptiones vividiores adhibent quam occidentales, illisque in oriente nemo offenditur: *Omnia munda mundis.*

Quidquid sit de sensu litterali huius libri, synagoga et ecclesia catholica eum sub ratione sensus mystici canoni librorum sacrorum inseruisse videntur; quare eius sensus, sub ratione saltem libri canonici, erit mysticus. Iudaei mutuum Dei et populi israëlitici, christiani vero mutuum Christi et populi christiani amorem in eo celebrari adfirmant. A christianis hunc librum legentibus respiciendum est ad Christum, ad eius

ecclesiam, ad Deiparam Virginem, et ad animam iustorum.

Cum autem poëticae descriptiones orientales in hoc cantico occurrentes iunioribus offensioni esse possent, iudaei merito posterioribus temporibus lectionem huius libri nonnisi post 30 aetatis annum suis permiserunt. Origenes pariter iunioribus, multisque aliis, lectionem huius libri dissuadens: « Consilium do, » ait, omni qui nondum carnis et » sanguinis molestiis caret, neque » ab affectu naturae materialis ab- » scedit, ut a lectione libelli huius » eorumque, quae in eo dicuntur, » penitus temperet (1).» (Conf. n. 34-36 et 417-422).

DE LIBRO SAPIENTIAE

§ CXXI. Lingua, auctor et aetas libri Sapientiae.

310. Liber sapientiae lingua graeca exaratus fuit.

Olim a multis Salomoni adscriptus fuit; ast compositus fuit ab auctore recentiore, qui Salomonis nomine locutus est (c. VII, 9, etc.).

Inde liquet 1° Quod hebraice non fuerit scriptus,

2° Quod non fuerit in canonem iudaeorum insertus, et

3° Quod stylus prodat auctorem, qui eloquentiam et philosophiam graecorum callebat: « Stylus, ait s. » Hieronymus, graecam eloquentiam » redolet (2).»

Cum autem idiomati graeco huius libri quandoque verba hebraica admixta sint, patet auctorem fuisse hebraeum hellenistam.

S. Hieronymus refert (3), nonnullos antiquos hunc librum attribuisse Philoni hebraeo; ast stylus huius libri omnino diversus est a stylo Philonis, cuius opera extant. S. Barnabas in epistola ei adscripta (4), et s. Clemens in litteris ad corinthios, librum sapientiae citarunt, opus autem Philonis iudaei, qui isto aevo vivebat, ut scripturam sacram non adlegassent.

Cum in hoc libro eloquentia et philosophia graeca hebraeis nota ponatur, regibus commendetur sapientia, et persecutiones populi hebraeï commemorentur, eius auctor aetate Antiochi Epiphanis vixisse videtur.

§ CXXII. Argumentum et stylus libri Sapientiae.

311. Liber hic in duas partes dispescitur; in prima parte, I-IX, describitur laus verae sapientiae, seu virtutis, quae omnibus, praesertim regibus, eo magis commendatur, quod suos sequaces in hac aut saltem in altera vita liberaliter remuneratur, dum eius contemptores ac impii in praesenti aevo, et adhuc magis in futuro, miseri sunt.

In secunda parte, X-XIX, exemplis ex historia petitis exhibetur felicitas quam sapientia, et miseria quam insipientia, idololatria potissimum, adducunt.

Haec scripta sunt arte, methodo ac stylo, ad eloquentiam graecam accedentibus (conf. n. 34-36 et 417-422).

DE LIBRO ECCLESIASTICI

§ CXXIII. Lingua, auctor et aetas libri Ecclesiastici.

312. Liber Ecclesiastici, quae vox graece *concionatorem* significat, hebraice scriptus fuit. S. Hieronymus testatur (5), se eius textum hebraicum adhuc vidisse; inscriptus vero erat non *Ecclesiasticus*, sed *Parabolae*. Graeci hunc librum communiter vocant: *Sapientiam Iesu filii Sirach*.

Antiqui nonnulli hunc librum at-

(1) Orig. praefat. in Cantic.
(2) Hieron. Praefat. in libros Salomonis. Vide Smits prolegomen. in lib. Sapientiae.
(3) Loco citato.
(4) V. s. Hier. de viris illustr. Euseb. l. 3, c. 25
(5) Praef. in libros Salomonis.

tribuerunt Salomoni; ast perperam; nam

1° In praefatione huius libri, et cap. L auctor huius libri diserte vocatur *Iesus filius Sirach*.

2° C. 48 occurrit laus prophetarum, qui diu post Salomonem vixerunt. Quis vero iste Iesus fuerit haud constat.

Aetas autem huius libri colligitur exinde, quod qui eum ex hebraico in graecum idioma vertit, in praefatione libri dicat, se esse auctoris nepotem, seque tempore Ptolemaei Evergetis avi sui librum vertisse. Duo autem fuerunt Ptolemaei Evergetes, quorum primus ab anno 246 usque ad annum 221, et alter ab anno 145 usque ad annum 116 ante Christum regnarunt. Communis sententia fert, interpretem graecum sub hoc ultimo rege vixisse, alii autem auctores, eum sub primo Ptolemaeo collocant. Additis igitur duabus generationibus, quae inter avum libri auctorem, et nepotem eius interpretem, effluxerunt, aetas libri refertur ad finem tertii vel secundi saeculi ante Christum natum.

Textus hebraicus huius libri diu deperditus est, versio eius latina, in Vulgata extans, e versione graeca descendit, a qua quandoque discrepat.

§ CXXIV. Argumentum libri Ecclesiastici.

313. Liber Ecclesiastici in tres partes dividi potest. In prima parte, I-XLIII, auctor, proverbia Salomonis imitatus, commendat sapientiam, ac praecepta morum hominibus cuiusvis aetatis, sexus ac conditionis tradit.

In secunda parte, XLIX-L, laudat patriarchas, aliosque celebres maiores.

Parte tertia seu c. LI occurrit oratio et exhortatio ad sequendam sapientiam.

Lectio huius praeclari libri numquam satis commendari potest, praesertim viris ecclesiasticis (conf. n. 34-36 et 417-422).

DE LIBRIS PROPHETARUM

§ CXXV. De prophetiis generatim, et de earum scopo.

314. Prophetarum libri certos habent auctores, eos nempe quibus quisque liber inscribitur. Prophetiae communiter in duabus classibus distribuuntur, quarum prima continet prophetias longiores, et quarum auctores propterea vocantur prophetae *maiores*, ac quatuor numero sunt. Secunda classis complectitur prophetias minores, quarum proinde auctores nuncupantur prophetae *minores*, atque sunt numero duodecim. Apud graecos prophetae minores praecedunt maiores, et apud latinos maiores primum locum occupant. Sexdecim hi prophetae floruerunt 300 annorum spatio, quod ab Osia rege usque ad reaedificationem templi et urbis Hierosolymae effluxit.

315. Quam perperam deistae ethnicorum oracula vaticiniis scripturae sacrae opposuerint, sat inde liquet, quod oracula isthaec a sacrificulis confingerentur, et quidem modo ambiguo, ut in quemcumque rerum eventum quadrarent (n. 47); quod *scopus* eorum esset personis privatis, et quandoque civitatibus particularibus consulere, hominibus futuri sciendi cupidis satisfacere; et aliquando populum ad aliquid inducere.

Vaticinia vero scripturae sacrae ab auctore Deo, solo futuri conscio, proficiscuntur, finemque Deo dignissimum habent; inserviunt enim ad divinam prophetarum missionem comprobandam, eorumque doctrinam de Deo, et de vera religione. Deus a prophetis exhibetur ut solus omniscius, creator sapientissimus, rector huius universi providentissi-

mus, qui electum populum hebraeum tam provide duxit, ut divinam eius doctrinam conservaret usque dum illam Messias, e stirpe Davidis nasciturus, ad alias omnes gentes propagaret.

DE PROPHETIIS MAIORIBUS

DE PROPHETIA ISAIAE

§ CXXVI. Isaias. Aetas eius prophetiarum.

316. Inter prophetas maiores primo loco venit *Isaias*, a graecis Ἡσαΐας, *Esaias*, vocatus. Filius fuit τοῦ *Amos* (c. I, 1), qui a propheta Amos diversus est, et regis Ioas filius fuisse dicitur.

Isaias vaticinari coepit a fine regni Oziae circa annum 759 ante Christum defuncti, continuavit sub regibus Ioathan, Achaz et Ezechias (c. I, 1), et vixisse creditur usque ad tempora regis Manassis, cuius iussu iuxta iudaeorum traditionem serra lignea dissectus fuit. Supplicium serrae in oriente adhibitum fuisse, patet ex Dan. XIII, 55; Matth. XXIV, 51; Hebr. XI, 37. Muley Ismaël, imperator Marochii, anno 1727 defunctus, adhuc ducem Akaid Melek per medium corpus serra iussit resecari (1). Suscepit Isaias ex coniuge sua duos filios (c. 7, 3; 8, 3).

§ CXXVII. Argumentum prophetiarum Isaiae.

317. Prophetiae Isaiae generatim respiciunt regnum Israël et praesertim regnum Iuda. Praedicit pariter Isaias sortem syrorum, tyriorum, arabum, idumaeorum, moabitarum, philisthaeorum, aegyptiorum, aethiopum, assyriorum, et chaldaeorum. Speciatim agit Isaias

1° De subversione regni Israëlis et regni Syriae; Phacee enim rege Israëlis, et Rasin rege Siriae, Achaz regem Iudae gravi bello prementibus, praedicit Isaias regi Achaz liberationem Iudae a duobus istis regibus inimicis, et regnorum Israëlis et Syriae eversionem, c. VII, 1-9, c. VIII, 4. Vide IV Reg. XVI, 7-9, et XVII, 3-6 (conf. n. 542, etc.).

2° Annuntiat, Sennacherib bello petiturum Aegyptum, et devastaturum Iudaeam; atque clades 185,000 hominum de exercitu Sennacherib huiusque mors referuntur (c. VII, 17, etc., c. VIII, 1, etc., c. X, 5, etc., c. XIV, 24, etc., c. XVII, 12, etc., c. XXII, 1, etc., c. XXVIII, 1, etc., c. XXXIII, 1, etc., c. XXXVII, 5, etc.).

3° Praedicitur Iudaeam penitus devastandam, eiusque incolas in captivitatem babylonicam abducendos esse (c. V, 1, etc., c. XXIX, c. XXXIX, 5, etc.). Iudaeos Cyri gratia qui nomine suo adpellatur (c. XLV), ex hac captivitate reversuros, templum ac Hierosolymam restauraturos, Israëlem cum Iuda pacem initurum, veram religionem esse propagandam etc. (c. XI, 11, etc., c. XL, 1, etc., c. XLIII, 1, etc., c. XLV, 1, etc., c. LIV, 1, etc., c. LV, 1, etc.).

4° Praenuntiatur regni chaldaeorum ac babyloniorum eversio (c. XIII, 1, etc., c. XIV, 1, etc., c. XXI, 1, etc., c. XLVII, 1, etc.).

5° Praedicitur Messias, cuius nativitas ex virgine annuntiatur (c. VII, 14). Eius praedicatio, vita et passio tam clare describuntur, ut Isaias historiam et non prophetiam scripsisse diceretur (c. LII; c. LIII, etc.).

§ CXXVIII. Integritas, collectio, ordo, lingua et elocutio prophetiarum Isaiae.

318. Ex vaticiniis Isaiae nonnulla deperdita esse videntur. Utrum vero collectio prophetiarum Isaiae, prout modo extat, ab Isaia ipso, aut ab alio auctore facta sit, incertum est: hodie critici communiter tenent quinque priora capita transposita esse, et vaticinia Isaiae incipere a capite VI, ubi Isaias narrat modum, quo a Deo missus fuit.

(1) Vide Woltmans Zeitschrift: Geschichte und Politik, 1803. X. St. § 177-179.

D. Doederlein, Koppe, Eichhorn, et nonnulli alii contendunt, multa vaticinia Isaiae attributa, et quidem omnia, quae iudaeos non respiciunt, et 27 posteriora capita, scripta esse ab auctoribus incertis, qui post Isaiam vixerint. Verum haec opinio, quae adversatur auctoritati totius antiquitatis, et constanti traditioni 25 saeculorum, refutata fuit a cl. Iahn et Brentano (1).

Scripsit Isaias pura lingua hebraica. Eius elocutio est omnino elegans ac sublimis. Illi omnes alii prophetae, multique auctores profani cedunt. Stylus est vehemens, et materiae diversitati apprime accommodatus. Similitudines et descriptiones sunt perfectae. S. Chrysostomus Isaiam vocat *magniloquentissimum*. Grotius ipsum Demostheni, Mornaeus Ciceroni, et Heiddegerus fulguranti Pericli comparant.

Scripserat Isaias gesta regis Oziae (II Paral. XXVI, 22). sed hic liber periit.

319. NB. C. 20 Isaias a Deo iubetur nudus incedere, ut aegyptiorum ac aethiopum in Assyriam abducendorum calamitatem et nuditatem ob oculos ponat; quod deistae nonnulli carpunt.

Senserunt nonnulli interpretes hoc nonnisi in somnio aut visione Isaiae contigisse. Verum id contradicit sensui obvio ac litterali, atque narratio huiusmodi somnii aut visionis scopum suum haud attigisset.

Alii existimarunt, Isaiam reapse nudum incessisse. Aiunt id nostris quidem in regionibus offensioni fore, non autem in Oriente, ubi mancipia, homines ac mulieres, nuda in foris divenduntur, et ubi rustici nudi in agris laborant. Ast haec a vero aliena sunt; nam orientales nudum

(1) Vide Iahn. Introd. in L. S. V. F., Sect. II, c. I, § 104. Brentano Iesaias Einleitung, Frankfurt am Mein, 1808.

dicunt qui nonnisi ultima veste, *Ehram*, indutus est, atque ita hodiedum in Oriente ruricolae, et *Meccam* versus peregrinantes, vestiti, sine aliorum offensione incedunt: quare nec Isaias sola veste ehram indutus aliis offensioni fuit (conf. n. 34-36 et 417-422).

DE PROPHETIA IEREMIAE

§ CXXIX. Ieremias. Aetas eius prophetiarum.

320. Ieremias, de tribu sacerdotali Levi, natus est patre Helcia in Anathoth, in tribu Beniamin, loco haud procul Hierosolymis sito (Ierem. I, 1; Ios. XXI, 18).

Iuvenis adhuc coepit vaticinari 13 anno regni Iosiae regis Iuda, 41 anno ante Hierosolymorum ruinam (c. I, 2). Munere prophetico functus est usque post captivitatem babylonicam incoeptam.

Iudaei eius zelum et indefessam operam ut patriam ab interitu liberaret vituperiis et verberibus remunerati sunt, illumque Hierosolymae in vincula coniecerunt. Tempore obsidionis hierosolymitanae in cisternam coniectus fuit, e qua ab aulico extractus est. Hierosolyma capta a chaldaeis, e carcere liberatus fuit, optionemque nactus est in Iudaea manendi, aut Babylonem commigrandi. Mansit autem in sua patria apud ruricolas, quos chaldaei sub suo gubernatore illic reliquerant. Occiso gubernatore, Ieremias a iudaeis aufugientibus in Aegyptum deductus fuit cum suo amanuensi Baruch. Illic iudaeorum idololatriam coarguit, atque ab illis, ut antiqua fert traditio, in seditione lapidibus obrutus fuit.

§ CXXX. Argumentum, lingua, elocutio ac ordo prophetiarum Ieremiae.

321. Multiplicia Ieremiae vaticinia respiciunt tum iudaeos tum populos exteros.

Praedicit Ieremias iudaeis eversio-

nem regni Iudae, Hierosolimae ac templi ruinam, captivitatem 70 annorum apud babylonios (XXV, 11-12), reditum ex hac captivitate, restaurationem Hierosolymae ac templi, et felicitatem sub Messia.

Sortem suam praenuntiat aegyptiis, ammonitis, arabibus, elamitis, idumaeis, moabitis, philisthaeis, damasco et babyloniis. Eversio monarchiae babylonicae cum omnibus suis adiunctis praedicitur (c. L, et c. LI).

Dictavit Ieremias sua vaticinia amanuensi Baruch (c. XXXVI) lingua hebraica, verbis notionibusque chaldaicis mixta. Versus 11 cap. X chaldaice scriptus est.

Stylus Ieremiae est simplex et facilis, sed interdum vim poëticam habet. S. Hieronymus de Ieremia ait: « Qui quantum in verbis simplex videtur et facilis, tantum in maiestate sensuum profundissimus est (1). »

Prophetiae Ieremiae non eo sunt ordine, quo editae fuerunt. Caput LII non est Ieremiae, cuius vaticinia desinunt capite praecedente cum adnotatione: *Hucusque verba Ieremiae.*

Versio alexandrina a c. XXV, 15 usque ad finem libri alium sequitur ordinem vaticiniorum quam textus hebraicus et vulgata, nonnullaeque lacunae in illa occurrunt.

DE LAMENTATIONIBUS IEREMIAE

§ CXXXI. Auctor lamentationum. Sententiae de earum argumento.

322. *Lamentationes*, hebraice *Kinòth*, aut *Echà*, graece Θρῆνοι, *Threni* dictae, Ieremiam auctorem habent; eas enim illi vindicant antiquissima traditio, argumentum, et linguae stylique cum eiusdem prophetiis congruentia.

323. Nonnulli antiqui et recentiores exegetae existimarunt, hisce threnis mortem cani Iosiae regis Iudae, ac mala, quae illam secuta sunt, 1° quod II Paral. XXXV, 25 dicatur, quod Iosiam defleverit: « Ieremias maxime, cuius omnes cantores atque cantatrices usque in praesentem diem lamentationes super Iosiam replicant; » 2° quod Lament. I, 1-4 ponatur, stare adhuc Hierosolymam et templum.

Ast 1° in lamentationibus nihil omnino de Iosia aut eius morte occurrit. Quas lamentationes Ieremias in mortem Iosiae composuit, iniuria temporum perierunt. 2° Ieremias in lamentationibus respicit totam seriem malorum, quae iudaei sub Nabuchodonosore perpessi sunt; quare mirum non est, Hierosolymam et templum interdum ut adhuc stantia poni.

324. Quidam recentiores arbitrantur lamentationes Ieremiae non unum obiectum habere, neque unum opus constituere, sed quinque iis inesse obiecta diversa, quinque diversis canticis lugubribus expressa. Canerentur itaque

In primo (c. I) deportatio Ioachim regis Iudae cum 10,000 praecipuorum iudaeorum Babylonem (IV Reg. XXIV; II Par. XXXVI).

In secundo (c. II) ruina Hierosolymae ac templi.

In tertio (c. III) mala, quae Ieremias ipse tempore obsidionis passus est.

In quarto (c. IV) status Hierosolymae postquam haec urbs capta erat, et abductio regis Sedeciae.

In quinto (c. V) conditio iudaeorum una cum primoribus suae nationis in captivitatem abductorum, dum pauperes in Iudaea remanserant.

§ CXXXII. Argumentum, scopus, lingua, elocutio ac indoles lamentationum.

325. Verum ex argumento lamentationum constat eas unum corpus constituere: quae enim Ieremias in

(1) Praef. in lib. 6 comment. in Ier.

suis vaticiniis futura praedixerat, in suis lamentationibus advenisse deflet; eversa Hierosolyma, combusto templo, Iudaea vastata, rege Babylonem abducto, iudaeis partim bello, fame et peste occisis, partim Babylonem deductis, pauperibus in Palaestina chaldaeorum persecutioni obnoxiis, ponit Ieremias ob oculos in suis lamentationibus miserum statum iudaeorum, calamitates, quas iudaei tempore obsidionis et expugnationis passi erant, mala quae ipse perpessus est, hortaturque hebraeos ut poenitentiam agant, ad Deum convertantur, et spe melioris sortis erigantur.

326. Scopus autem lamentationum duplex est: voluit Ieremias: 1° Iudaeos docere, causam eorum calamitatum esse ipsorum peccata, eosque ad conversionem adducere; 2° voluit eorum fidem in promissiones divinas excitare, et illos certa spe reditus in patriam, restitutionisque in pristinum felicem statum a desperatione praeservare.

327. Lingua lamentationum est hebraica, vocibus chaldaicis mixta. Stylus est, prout canticis convenit, poëticus, ac sublimior quam in Ieremiae prophetiis.

Scriptae fuerunt istae lamentationes versibus. Quodlibet caput divisum est in 22 partes iuxta numerum litterarum alphabeti hebraici. Capita I, II et IV singula continent 22 versus, quorum singuli littera alphabeti hebraei ordinatim procedunt. Caput tertium 66 versus continet, quorum terni eadem littera alphabeti inchoantur. Caput V versus 22 continet, sed litteris alphabeti haud distinctos.

In vulgata, graeca et arabica versione reperitur praefatiuncula ad lamentationes, quae deest in textu hebraico, paraphrasi chaldaica, versione syriaca, etc. (conf. n. 22, 34-36 et 417-422).

DE PROPHETIA BARUCH

§ CXXXIII. Baruch. Aetas eius libri.

328. Num Baruch, auctor huius libri, sit idem ille Baruch, qui Ieremiae amanuensis fuit, dubitari posset, eo quod hic destructa Hierosolyma cum Ieremia in Aegyptum secesserit (Ierem. XLIII, n. 320), et Baruch, auctor huius libri, quinto anno post destructam Hierosolymam Babylone versetur (Bar. I, 1).

Verum Baruch huius libri auctor, et Baruch amanuensis Ieremiae dicitur filius Neriae (Bar. I, 1, et Ier. XLIII, 6); quare eadem persona esse videtur. Potuit *Baruch* ex Aegypto facile Babylonem petere, ibique suum librum scribere.

Baruch videtur fuisse frater aulici Saraiae cum Sedecia rege Babylonem profecti (Ierem. LI, 59), eo quod uterque patrem Neriam habuisse legatur (Ierem. loc. cit., et Bar. I, 1). Fl. Iosephus ait prophetam Baruch ex illustri familia natum fuisse.

Scripsit Baruch suum librum Babylone quinto anno ab eversis Hierosolymis, comes et amanuensis fuit prophetae Ieremiae, et post mortem Ieremiae ex Aegypto Babylonem profectus est. Ubi et quando mortuus sit, ignoratur.

§ CXXXIV. Argumentum et lingua libri Baruch.

329. A c. I ad III, 8 in prooemio narratur Baruch, quinto anno post eversam Hierosolymam, praelegisse suum librum Iechoniae regi, iudaeisque Babylone captivis, qui ad poenitentiam conversi sunt, hebraeos autem Babylone misisse librum Baruch cum epistola, muneribus, et nonnullis vasis argenteis ad iudaeos Hierosolymae degentes, hosque exhortatos esse, ut Hierosolymis offerrent holocausta, Deumque pro Nabuchodonosore, eiusque filio Baltassare orarent.

A c. III, 9, ubi tractatus Baruch incipit, usque ad c. V, ostenditur veram sapientiam in lege Dei reperiri, et huius observantiam parere felicitatem. Urbs Ierusalem ut vidua loquens inducitur, captivitatem suorum filiorum deflet, seque spe punitionis hostium, reditusque suorum filiorum consolatur. Tandem vidua Ierusalem ad spem reditus suorum filiorum excitatur.

Caput VI continet epistolam, quam Ieremias ad iudaeos Babylonem ducendos scripsit de idololatriae vanitate.

330. Liber Baruch scriptus fuit lingua hebraica, ut frequentes hebraismi versionis graecae, omnium versionum fontis, evincunt. Textus hebraicus secundo saeculo adhuc extabat, illumque Theodotion graece reddidit. Tempore autem s. Hieronymi iam deperditus erat; scribit enim Hieronymus: « Librum Baruch, qui apud hebraeos nec legitur, nec habetur, praetermisimus (1). »

Versio nostra vulgata libri Baruch ex veteri itala versione desumpta est.

Plures antiqui patres librum Baruch nomine Ieremiae citarunt, cum cuius operibus antiquitus unum opus constituebat (conf. n. 21).

§ CXXXV. Difficultates libri Baruch.

331. 1° C. I. Hierosolyma templumque subversa statuuntur, et iudaei Babylone mittunt Hierosolymam munera, ut fierent holocausta *ad aram Domini*, excitanturque hebraei Hierosolymae, ut librum Baruch legant *in templo Domini*. Quae deistis contradictoria videntur.

Verum Baruch templum minime ponit ut destructum, et una simul existens; nam vox *templum Domini* hic significat rudera templi, inter quae iudaei aram erexerant, ad quam sua sacrificia offerebant: sic etiam Ierem. XLI, 5, legitur 80 iudaeos munera et thus in subversam Hierosolymam detulisse, *ut offerrent in domo Domini.*

332. 2° Eodem capite 1 refertur iudaeos Babylone misisse Hierosolymam aliqua vasa argentea, a Sedecia rege facta, ad Ioakim sacerdotem, et Ierem. LII, 24, dici videtur Saraiam tum temporis summum sacerdotem fuisse.

Ast hebraei haec vasa Babylone redimere, aut etiam gratis accipere potuerunt; Saraias vero, quando Baruch scribebat, iam a quinque annis occisus erat (IV Reg. XXV); hebraei autem Hierosolymae degentes Ioakim ut summum sacerdotem habebant.

333. 3° C. I, 11. Iubentur preces pro Nabuchodonosore eiusque filio Baltassare, dum Nabuchodonosor Evilmerodachum quidem, nullum autem filium, Baltassarem vocatum, habuisse legitur.

Sed apud Danielem V, 2, etiam occurrit Baltassar, filius Nabuchodonosoris; quare vel Evilmerodach fuit binomius, vel nomen Baltassar fuit titulus filii et successoris Babyloniae regis.

334. 4° Baruch promittit (c. IV, 24-25) iudaeis citum reditum ex captivitate babylonica, dum tamen iuxta Ierem. XXIX, 10, haec captivitas 70 annis durare debuisset.

Ast Baruch consolatur ibi hebraeos spe reditus e ruina imperii babylonici per Cyrum inferenda orituri. Quando scribebat iam 16 anni elapsi erant ab abductione Iechoniae, quacum captivitas 70 annorum incoeperat: 54 anni residui parum erant ad subversionem maximae monarchiae babylonicae.

335. 5° C. VI, 2. In epistola Ieremiae dicitur captivitatem babylo-

(1) Praef. in Ierem.

nicam duraturam *septem generationibus*, seu ultra 200 annos, dum Ierem. XXIX, 10, dicitur illam futuram 70 annorum.

Verum apud antiquos reperiuntur generationes 100, 50, 33, 30, 10 et 7 annorum (1). Vox γενεά, *generatio, aetas*, significat hic spatium 10 annorum. Sic etiam Diogenes Laërtius (2) scribit scholam Pythagorae 19 aetatibus, generationibus, perdurasse, ad exprimendum illam 190 annis stetisse (conf. n. 34-36 et 417-422).

DE PROPHETIA EZECHIELIS

§ CXXXVI. Ezechiel. Aetas eius prophetiarum.

336. Ezechiel, e nobili sacerdotum progenie patre Buzi natus, cum rege Iechonia ac 10,000 iudaeorum Hierosolymis in captivitatem babylonicam abductus fuit. Anno 5 sui exilii, et 6 ante eversionem Hierosolymae ad munus propheticum vocatus fuit ad fluvium Chobar (c. I, 1-3) (qui in Euphratem labitur post irrigatam Mesopotamiam), quo propheta fuerat relegatus. Hoc munere functus est usque ad annum 27 suae captivitatis (c. XXIX, 17), et forte diutius. Coaevus fuit Ieremiae, quocum eius prophetiae multa communia habent. Iuxta antiquam traditionem occisus fuit Ezechiel a iudice iudaeo, cuius idololatriam reprehenderat.

§ CXXXVII. Argumentum et ordo vaticiniorum Ezechielis.

337. Iudaei cum Iechonia in captivitatem babylonicam deducti, fallacibus pseudoprophetarum promissionibus decepti, sperabant fore ut Sedecias rex Iudae cum adiunctis sibi principibus sociis Nabuchodonosorem debellaret, seque ita liberaret (Ierem. XXIX). Ieremias autem iudaeis Hierosolymae praedicebat eversionem regni Iudae, et ruinam metropolis ac templi. Ne igitur iudaei Babylone captivi Nabuchodonosori rebelles fierent, atque ita interirent, voluit Deus, ut Ezechiel inter eos Ieremiae vaticinia confirmaret. Praedixit igitur Ezechiel captivis iudaeis apud fluvium Chobar proximam ruinam regni Iudae, Hierosolymae et templi, captivitatemque fratrum, qui adhuc in Iudaea erant. Causam harum calamitatum dicit Ezechiel esse iudaeorum idololatriam, iniustitiam, impuritatem, contemptum legis, etc. Consolatur autem hebraeos, praedicendo eos e sua captivitate liberandos, regnum illorum restaurandum, Hierosolymam ac templum reaedificanda esse, feliciaque tempora ventura sub Messia. Potior pars prophetiarum Ezechielis respicit Messiam (vide c. XXXIV, 23-24, c. XXXVII, 24).

338. Speciatim praedicit Ezechiel

1° Ruinam Hierosolymae (c. XVI),

2° Regem Sedeciam per effractos muros fugiturum, a chaldaeis in fuga capiendum, et in regionem chaldaeorum deducendum esse, quam tamen visurus non erat, eo quod oculi illi eruendi erant (c. XII).

3° Praenuntiat Tyrum evertendam neque amplius reaedificandam esse (c. XXVI-XXVIII).

4° Eversionem regni Aegypti (c. XXIX-XXXII).

5° Ruinam monarchiae assyriae (c. XXXI).

6° Praedicit Messiam (c. XXXIV-XXXVII).

Ezechiel pariter praenuntiat sortem aliorum populorum vicinorum, ut ammonitarum, moabitarum, edomitarum, philisthaeorum et sidoniorum.

Plerumque prophetiae Ezechielis in eius libro collocatae sunt eo ordine, quo editae sunt.

(1) Vide Corn. a Lapide et Sanct. in cap. 6, 2 Baruch.

(2) In vita Pythagorae lib. 8.

§ CXXXVIII. Lingua et stylus vaticiniorum Ezechielis.

339. Prophetiae Ezechielis scriptae sunt sermone hebraico vocibus dictionibusque chaldaicis mixto.

Stylus est fere ubique simplex et prosaicus, sed in increpatione vitiorum vehemens.

Nullus prophetarum tot revelationes visionibus symbolicis et aenigmaticis exprimit, quot Ezechiel; symbola et similitudines, quibus utitur, grandia sunt, animum commovent, eorumque vel minuta adiuncta describuntur. Inter pulcras Ezechielis descriptiones eminent quae sequuntur, nempe:

1° Ingratae et infidelis sponsae Ierusalem (c. XVI).

2° Duarum aquilarum ingentium (c. XVII).

3° Sororum Oollae et Oolibae, quae a suis amasiis lapidantur, secantur et comburuntur (c. XXIII).

4° Regis Tyri ut Cherub in monte sancto (c. XXVIII).

5° Pharaonis regis Aegypti, qui ut crocodilus in Nilo capitur, in desertum expellitur, et feris in praedam traditur (c. XXIX).

6° Monarchiae assyriae comparatae celsissimae cedro, quae a barbaris conciditur, et ad inferos detruditur (c. XXXI).

7° Vallis plenae aridorum ossium reviviscentium (c. XXXVII).

8° Belli et cladis regis Gog (c. XXXVIII-XXXIX).

§ CXXXIX. Difficultates prophetiarum Ezechielis.

340. D. Tindal, de Voltaire (1) aliique praeterea deistae contendunt, in prophetiis Ezechielis extare mandata a Deo huic prophetae data, partim impossibilia, partim spurca, et partim absona. Ast quam inepte haec effutierint patebit ex discendis. Difficultates praecipuae sunt:

1° (C. III, 1-3) iubetur Ezechiel volumen comedere, et ipsum comedisse legitur.

Verum hoc nonnisi in visione prophetica contigit; sensus est prophetam se iis, quae in hoc volumine erant, imbuere debuisse, ipsumque hoc fecisse.

341. 2° (C. IV, 1-6) iubetur propheta Hierosolymam eiusque obsidionem in latere exhibere, et brachio extento adversus istum laterem cubare 390 diebus in latus sinistrum, et 40 diebus in latus dexterum.

Crediderunt nonnulli interpretes hoc non nisi in visione contigisse, eo magis quod Ezechiel 430 diebus haud cubuisse videtur: nam, aiunt, Ezechiel duodecima die quarti mensis anni quinti suae captivitatis iussum in latera cubandi accepit (c. I, 1-2, c. III, 16, c. IV, 1), et quinta die sexti mensis anni sexti captivitatis *sedebat in domo sua* (c. VIII, 1). Igitur cum annus iudaicus constaret 12 mensibus 30 dierum, nonnisi 413 dies elapsi fuerant, proindeque haud cubavit in latera per 430 dies.

Ast si hoc in visione prophetica tantum contigisset, iudaei in Babylonia captivi hac visionis narratione parum commoti fuissent, et vix intellexissent, quid Ezechiel sibi vellet. Quando Ezechiel puras putasque visiones refert, eas satis indicat, ut c. I, 3, c. VIII, 1, etc., c. XXXVII, 1, etc., c. XL, 1, etc.; loco autem supra citato omnia historice narrat.

Quod spectat ad allatam difficultatem, potuit quintus ille annus captivitatis esse *intercalaris*, qui 13 mensium erat apud hebraeos.

Ratio huius extraordinarii iussi divini haec fuisse videtur: cum actiones extraordinariae multo magis quam verba homines moveant, vo-

(1) Tindal, christianity as old as the creation, ch. 58. Voltaire, Dict. philos.

luit Deus iudaeos in Babylonia captivos per exhibitionem obsidionis Hierosolymae in latere, et per istos 430 dies, quibus Ezechiel in ambo latera cubare debebat, modo sensibili certos reddere, Hierosolymam, Iudaeae metropolim, a babyloniis expugnandam esse, seque ob longam seriem praevaricationum iudaeos in Palaestina residuos babyloniis in praedam traditurum.

Impossibile minime est Ezechielem 390 diebus in latus sinistrum, et 40 in latus dexterum cubuisse, eo magis quod c. IV, 8, dicatur, ipsum ligandum fuisse; nam Hier. Prado S. I. testatur (1), se vidisse stultum, qui 15 annis nudus ac ligatus in idem latus cubaverat.

Forte Ezechiel nonnisi per diem ita cubuit, quando ab hominibus hoc in statu videri poterat, et de nocte motus necessarios peregit.

342. 3° C. IV, 9, 12. Praecipit Deus Ezechieli, ut ex frumento, hordeo, fabis, lentibus, etc., panem sibi conficiat, « et quasi subcinericium » hordeaceum comedes illud, ait illi » Deus, et stercore quod egreditur » de homine operies illud in oculis » eorum. » Cum autem Ezechiel nauseam de hoc manifestaret: « Ecce, inquit illi Deus, dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis: et facies panem tuum in » eo. »

D. de Voltaire in sua Scriptura tandem explicata (2) hoc factum, ut alia, quae Ezechielem respiciunt, omnino immutat, et in sua Philosophia historiae (3) ait, Deum Ezechieli praecepisse, ut panem stercore humano coopertum comederet eique dumtaxat permisisse ut panem suum stercore boum cooperiret, postquam panem stercore humano illinitum manducasset. At irreligiosum istum auctorem lectoribus mendacia obtrudere, sacramque scripturam calumniari, patet et ex allato Ezechielis loco, et adhuc magis patebit ex dicendis.

Nonnulli quidem interpretes arbitrantur haec dumtaxat in visione contigisse; at huic sententiae adversantur quae n. 341 attulimus. Ezechieli primum imperatum fuit panem suum loco ligni siccatis stercoribus humanis coram iudaeis coquere, non autem illinire. In oriente pauperes qui in desertis commorantur panes suos frequenter siccatis stercoribus boum, immo et hominum, deficiente ligno, coquunt (4).

Voluit autem Deus hac Ezechielis agendi ratione iudaeis sensibiliter ob oculos ponere ingentem miseriam, ad quam in captivitate babylonica redigendi erant, quaeque tanta futura erat, ut iudaei ligni inopia panem suum siccatis stercoribus coquere deberent.

343. 4° C. XII, 3-7. Iubetur Ezechiel vasa sua de die domo sua exportare, quasi alio commigraturus, et vespere per fractum parietem efferri.

Haec pariter nonnulli interpretes in sola visione evenisse adfirmant. Verum hac singulari actione propheta portendit, Hierosolymam capiendam, regemque Sedeciam per effractos muros fugam tentaturum esse.

344. 5° C. XX, 25. Deus Ezechieli: « Iudaeis, inquit, dedi praecepta » non bona, et iudicia, in quibus » non vivent. » D. de Voltaire insinuat (5) Ezechielem hic legem Moysis carpere.

Verum vox *dedi* in hoc loco nihil

(1) Comment. in c. 4 Ezech.

(2) Bible enfin expliquée par plusieurs aumôniers de S. M. L. R. D P.

(3) Philosophie de l'histoire.

(4) Vide Corneille le Bruyn, Voyage au Levant, t. I, pag. 230. Tournefort t. III, pag 107. 122, 135, 186. Pietro della Valle, part. I. lett 11. Gemelli Carreri, Voyage autour du monde, t. II, p 57.

(5) Bible enfin expliquée, art. Ezéchiel.

aliud quam *permissionem* significat, ita ut sensus sit: quia iudaei legem meam beneficam non observarunt, *permisi*, ut se subderent duris infamibusque paganorum legibus. Sensus iste clare patet ex v. 26.

345. 6° Recentiores nonnulli Oederum (1) secuti, ultima 9 capita harum prophetiarum Ezechieli abiudicant.

At Ezechieli vindicantur tum per constantem traditionem iudaeorum et christianorum, tum per eamdem indolem, stylum, etc., qui in hisce capitibus, ut in praecedentibus, occurrunt.

346. 7° Vaticinia contra gentes pariter recentiores nonnulli Ezechielis esse negant, eaque Danieli qui regem Nabuchodonosorem in suis expeditionibus ut poëta regius comitatus fuisset, adscribunt (2). Vaticinia ista sunt quae occurrunt capp. XXV, XXXII, XXXV, et XXXVIII, XXXIX.

Ast haec vaticinia ipsius Ezechielis esse testantur tota antiquitas, eademque indoles ac stylus, qui in illis ut in primis capitibus deprehenduntur. Materia ipsa horum capitum evincit, illum poëtae aulici opus minime esse.

347. 8° In prophetiis Ezechielis occurrunt tropi, similitudines et allegoriae a rebus obscoenis petitae, quarum aliquas d. de Voltaire in sua Scriptura tandem explicata (3), derisui maligne habet. At de d. de Voltaire merito dictum est, quod fuerit *in poësi magnus, in historia parvus, et in religione nullus* *.

Istae similitudines, allegoriae, etc., Ezechielis, a moribus occidentalium alienae, aptissimae erant ad superbos, pervicaces, praevaricatoresque iudaeos confundendos. In calidis orientis regionibus alia est decoris ratio, quam in frigidis occidentis plagis. In oriente, ubi sexus femineus ab altero sexu separatim habitat, homines sat libere de huiusmodi rebus loquuntur, quin aliquis inde offensionem capiat.

Caeterum posterioribus saeculis hebraei lectionem prophetiarum Ezechielis iis tantum qui 30 aetatis annum attigissent permiserunt. Iuniores, et carnis molestiis subiecti, a lectione prophetiarum Ezechielis abstineant (Conf. n. 34-36, et 417-422).

DE PROPHETIA DANIELIS

§ CXL. Daniel. Aetas eius vaticiniorum.

348. Daniel de tribu Iuda, et regia aut saltem nobili familia natus (c. I, 3-6), quarto anno regis Ioakim admodum iuvenis cum Anania, Misaël, Azaria, aliisque regiis et nobilibus adolescentibus iussu Nabuchodonosoris Babylonem deportatus fuit, ut ibi scientias linguamque chaldaeorum edoctus ad officia regia eveheretur. Chaldaicum nomen Baltassar obtinuit, ac in aula enutritus fuit.

Legis mosaicae sedulus fuit observator. Tribus annis scientias linguamque chaldaeorum edoctus, sapientibusque chaldaeis doctior repertus, munus aulicum adeptus est. A Deo donatus fuit insigni perspicacia visiones, et somnia mysteriosa explicandi, res occultas noscendi, atque dono futura praedicendi.

Iuvenis adhuc castam Susannam, a duobus aetate provectis iudicibus falso adulterii crimine accusatam, innocentem declaravit, atque ipsos impios iudices promerita poena affici

(1) Freye Untersuchung über einige Bücher des A. T. 1771.

(2) The Monthly Magazin and Britisch Register Scrip. Maii, p. 189, London, 1798.

(3) Bible enfin expliquee, Ezechiel.

* Espérons, disait l'abbé de Radonvilliers, que bientôt une main amie, en retranchant des écrits publiés sous son nom, tout ce qui blesse la religion, les mœurs et les lois, effacera la tache qui ternirait sa gloire.

curavit. Cum Nabuchodonosori explicasset somnium de statua ex variis metallis conflata, gubernator provinciae Babylonis, praefectusque sapientum chaldaeorum constitutus fuit.

Sub successoribus Nabuchodonosoris aliquantulum neglectus, sub Dario Medo unus fuit e tribus imperii praefectis, quibus gubernatores 120 provinciarum imperii rationem reddere debebant. Verum cum contra edictum Darii, ab aulicis Danielem perdendi causa extortum, quo cautum fuerat ne quis ab ullo sive Deo, sive homine, rege excepto, per 30 dies aliquid peteret, Daniel Deum coeli precatus fuisset, in speluncam leonum coniectus fuit, e qua altera die illaesus eductus est.

Cyro, persarum regi, cuius conviva et amicus fuit, sacerdotum idoli Beli fraudes detexit, qui cibos de die idolo appositos clam noctu auferebant; quare hi sacerdotes interempti fuerunt, et idolum destructum fuit. Quum autem Daniel interfecisset draconem, quem babylonii colebant, iniecta eius ori massa ex pice, adipe et pilis confecta, instantibus babyloniis, seditionemque ideo moventibus, altera vice in speluncam leonum coniectus est, in qua per prophetam Habacuc, prandium ex Iudaea afferentem, pastus, indeque septima die illaesus liberatus fuit.

349. Vaticinatus est Daniel ab initio fere captivitatis babylonicae sub rege Ioakim usque ad regnum Cyri, et vixit saltem usque ad annum tertium huius regis (Dan. X, 1). Ezechiel, qui septem annis post Danielem deportatus fuit, Danielem ut virum probissimum ac sapientissimum exhibet (c. XIV, 14, XVIII, 20 et c. XXVIII, 3).

§ CXLI. Argumentum libri Danielis.

350. Hic liber in tres partes dispescitur; prima pars, complectens sex priora capita, est historica, et Daniel ibi de se in tertia persona loquitur: pars secunda, quae comprehendit cap. VII-XII, est prophetica, in eaque Daniel de se in prima persona loquitur; tertia pars continet cap. XIII-XIV, quae cum c. III, 24-90, sunt deuterocanonica; cap. XIII refertur historia castae Susannae (n. 348), et cap. XIV exhibetur historia idoli Beli et draconis. Speciatim exponetur:

351. 1° Somnium Nabuchodonosoris, in quo hic rex vidit ingentem statuam ad pedem cuiusdam montis: illius caput ex auro, pectus et brachia argentea, venter et femora ex aere, tibiae e ferro, et pedes partim ex ferro et partim ex argilla erant. Lapis nullius ope a monte avulsus in pedes statuae ruit, eamque in pulverem redegit, quem ventus rapuit. Lapis autem iste factus est mons maximus, qui totam terram opplevit. Daniel hoc somnium mysteriosum explicavit de quatuor monarchiis, quae sibi succederent, sed quae destruerentur nova monarchia in aeternum duratura (c. II) *.

352. 2° Refertur erectio aureae statuae colosseae, quam Nabuchodonosor tempore eius dedicationis ab omnibus praepositis regiis adorari iussit. Ananias, Misaël et Azarias, hoc iussum exequi renuentes,

* Designat in hac statua caput aureum primum aureum regnum chaldaeorum, cuius rex Nabuchodonosor erat (c. II, 37-39); significant pectus et brachia argentea secundum argenteum regnum (ib. v. 39) medorum sub Dario; venter et femora aerea tertium regnum aereum (ib.) persarum sub Cyro; tibiae ex ferro quartum regnum velut ferrum (ib. v. 40) graecorum sub Alexandro Magno, et lapis abscissus a monte regnum Messiae (ib. v. 44). Iuxta alios quosdam interpretes, secundum regnum est illud persarum sub Cyro, tertium graecorum sub Alex. Magno, et quartum illud romanorum.

Tandem iuxta alios quartum regnum est monarchia regum Aegypti et Syriae sub Ptolemaeo Lagi et Seleuco: lapis est imperium romanum, repraesentans regnum Messiae, v. 44 annuntiatum

in fornacem ardentem coniecti fuerunt, in qua illaesi manserunt (c. III).

353. 3° Narratur somnium Nabuchodonosoris, in quo viderat celsissimam arborem ita succidi, ut stipes vinculis ferreis colligatus in terra maneret. Daniel ita hoc somnium interpretatur, ut Nabuchodonosor regno pulsus et mente captus ad septem tempora cum bestiis victurus sit, sed dein sanitati regnoque restituendus. Hoc vaticinium 12 elapsis mensibus coepit impleri (c. IV).

354. 4° Cum Baltassar rex babyloniorum in convivio deos honoraret, et vasa sacra templi hierosolymitani profanaret, digiti in pariete scripserunt *Mane, Thecel, Phares*. Quae verba cum unus Daniel explicare potuisset, Baltassari dixit, significari per *Mane:* « Numeravit Deus regnum tuum et complevit illud ; » per *Thecel:* « Appensus es in statera, et inventus es minus habens; » ac per *Phares:* « Divisum est re» gnum tuum, et datum est medis » et persis. » Eadem nocte Danielis prophetia adimpleta fuit; nam Baltassar fuit occisus, et Darius Medus illi successit (c. V).

355. 5° Vidit Daniel ex oceano, in quo quatuor venti colluctabantur, quatuor bestias portentosas adscendere, quae quatuor monarchias portendebant. Prima bestia similis erat leaenae, et alas aquilae habebat; secunda similis erat urso, et tres ordines dentium in ore habebat; tertia similis erat pardo, et quatuor capita, totidemque alas habebat; quarta bestia, ab aliis distincta, habebat magnos dentes ferreos, quibus omnia comminuebat, reliqua vero pedibus calcabat. Illi decem cornua erant, quae inter oriebatur cornu parvum, cui oculi humani, et os magniloquum. Antiquus dierum, seu senex aetate provectissimus, ab innumerabilibus ministris stipatus, igneo throno insidens, iudicium instituit, et quarta bestia condemnatur ac comburitur. Dein filius hominis per nubes coeli usque ad antiquum dierum pervenit, regnum aeternum nanciscitur, atque illi omnia regna servire debent c. VII *.

356. 6° Danieli in visione apparet aries duobus cornibus, uno altero maiori et succrescente, instructus. Hircus vero caprarum, unico cornu inter oculos posito insignitus, ab occidente venit *super faciem totius terrae,* priorem arietem devincit, cornuaque eius comminuit. Hircus caprarum maximus evadit. Tandem eius cornu confringitur, atque ex eo prodeunt cornua quatuor. Angelus Gabriel Danieli dein dicit: « A» rietem duorum cornuum signifi» care regem medorum ac persarum. » Hircum vero caprarum regem grae» corum » (Alexandrum magnum), cuius regnum inter quatuor reges dividendum erat (c. VIII).

* Designant prima bestia, quae iuxta archetypum chaldaicum est leo, monarchiam chaldaeorum (c. II, 37) per aureum caput statuae repraesentatam; secunda monarchiam persarum; tertia graecorum sub Alexandro Magno. Per quartam bestiam alii intelligunt imperium romanum, alii successores Alexandri Magni in Syria et Aegypto. Cornu parvum inter 10 cornua exortum esset propterea Antiochus Epiphanes.

Iuxta alios interpretes prima bestia designat monarchiam chaldaeorum; secunda significat monarchiam medorum, quae monarchiae chaldaeorum successit; tertia repraesentat monarchiam persarum sub Cyro; quarta vero monarchiam graecorum sub Alexandro Magno. Decem cornua designarent idcirco decem reges Syriae, qui Antiochum Epiphanem, parvo cornu repraesentatum, praecesserunt. Hi autem reges sunt 1° Seleucus Nicator, 2° Antiochus Soter, 3° Antiochus II Theos, 4° Seleucus II Callinicus, 5° Seleucus III Ceraunus, 6° Antiochus III magnus, 7° Seleucus IV Philopator, 8° Heliodorus. Hoc autem tempore a multis rex Syriae agnitus fuit Ptolomaeus Philometor, rex Aegypti, qui propterea esset nonus. Haeres autem throni Syriae erat Demetrius filius Seleuci IV, qui idcirco esset decimus rex. Antiochus Epiphanes Heliodorum, Ptolomaeum Philometorem ac Demetrium subegit.

Antiquus dierum, qui quartam bestiam iudicat, repraesentat Deum, et filius hominis filium Dei. Conf. Matth. XXVI, 64.

357. 7° Cum Daniel a Deo restaurationem Hierosolymae, eiusque templi, iuxta Ieremiae vaticinium (XXV, 11-12; XXIX, 10) elapsis 70 annis locum habiturum, exoraret, angelus Gabriel ei ait, non modo eius desiderium impletum iri, verum etiam Messiam tempore 70 hebdomadum annorum adventurum, novamque religionem conditurum esse, dein vero Ierusalem templumque destruenda, et numquam amplius reaedificanda esse (c. IX).

358. 8° Praedicitur expeditio quarti regis post Cyrum, Xerxis magni, in Graeciam. Magnus vero rex Graeciae, Alexander magnus, destruet monarchiam persicam: monarchia graeca autem dividetur in quatuor partes, non autem inter posteros eius fundatoris (c. XI).

§ CXLII. Lingua et elocutio vaticiniorum Danielis.

359. Lingua horum vaticiniorum est hebraica verbis chaldaicis exoticisque permixta. Chaldaice exarata sunt c. II, 4-49, et c. III, IV, V, VI ac VII.

Oratio Azariae, et canticum eius sociorum in fornace ardente, quae c. III, 24-90 referuntur, historia castae Susannae, quae c. XIII, et narratio de Belo et dracone, quae c. XIV leguntur, nec hebraice nec chaldaice extant, sed solummodo graece. Cum autem opus sint Danielis, oportet illa primitus hebraice aut chaldaice exarata fuisse, et dein a Theodotione, Aquila, Symmacho, et LXX interpretibus graece reddita.

Somnia et revelationes exhibentur a Daniele grandibus symbolis. Cum Daniel in rebus politicis versatissimus esset, revelationum divinarum sensu accurate percepto, clare illas dilucideque litteris mandavit. Stylus eius est prosaicus.

§ CXLIII. Difficultates generales contra Danielem uti auctorem prophetiarum.

360. Porphyrio philosopho gentili, famoso christiani nominis hosti, vaticinia Danielis clara adeo visa sunt, ut maluerit ea Danieli abiudicare, et tribuere auctori aetatis Antiochi Epiphanis, quam illa impugnare. Porphyrio haud pauci neoterici nostro aevo adsentiuntur, contendentes, sapientem aliquem post Antiochum Epiphanem, qui sesqui saeculo ante Christum regnavit, res historicas modo prophetico conscripsisse, et Danielem loquentem induxisse. Difficultates, quas congerunt, aliae respiciunt generatim auctorem libri Danielis, aliae speciatim 6 eius priora capita, aliae cap. VII, XII, et aliae c. III, 24-90; c. XIII, XIV. De illis ex ordine agemus.

Contra Danielem uti auctorem prophetiarum aiunt

361. 1° Iudaeos Danielem non inter prophetas, sed inter hagiographos adnumerasse; illos autem id facturos non fuisse, si Daniel hunc librum scripsisset, cum maximus prophetarum esset. Ex quo colligunt, opus illi inscriptum historiam esse tempore Machabaeorum modo prophetico scriptam. Addunt Danielem ab auctore Ecclesiastici (c. XLIX) prophetis non accenseri.

At iudaei saeculo quarto dumtaxat Danielem inter hagiographos collocarunt, maiorum suorum neglecta doctrina, ut christianis arma eriperent, quibus expugnabantur. Frivole contendebant prophetam in aula versari non debere, prout Daniel in aula versatus fuerat.

Si liber Danielis aetate Machabaeorum scriptus esset, neque a synagoga palaestinensi canoni librorum sacrorum insertus fuisset, utpote qui iam tum clausus erat (n. 7), et in quem neque liber Ecclesiasticus, neque alia scripta sacra

post istud tempus composita recepta fuerunt (conf. n. 19).

Veteres autem iudaei Danielem prophetis adnumerarunt, ut patet:— ex versione LXX interpretum, in qua Ezechielem consequitur, ut in versione latina ; — ex Matth. XXIV, 15, ubi Christus Danielem prophetam vocat; — ex Fl. Iosepho, qui Danielem prophetis accenset contra Apion. l. 1, c. 8, et qui Antiq. l. 10, c. 11, illum vocat unum « ex maximis » prophetis, qui cum Deo locutus » est, et qui non dumtaxat res fu» turas praedixit, ut alii prophetae, » sed etiam tempus earum eventus » determinavit ; » — ex Melitone Sard., Origene, etc. — Alexandro magno Hierosolymis vero Deo sacrificanti, quarto ante Christum saeculo, prophetia Danielis hunc regem respiciens oblata fuit, ut ex Fl. Iosepho Antiq. l. 11, c. 8 constat.

Auctor vero Ecclesiastici (c.XLIX), solummodo recenset prophetas, qui de captivitate babylonica vaticinati fuerant; quare ibidem non solum Danielem, sed etiam Isaiam omittit.

362. 2° Dicunt, in Danielis prophetiis occurrere eumdem rerum prospectum, easdem dictiones, easdemque loquendi formulas, quae reperiuntur in I et II Machabaeorum ; librum proinde Danielis aetati Machabaeorum assignandum.

Verum ex hoc solummodo sequitur, auctores librorum Machabaeorum Danielis librum legisse. Vaticinia Ieremiae (c. XLVIII) de moabitis affinia sunt prophetiis Isaiae (c. XV et c. XVI): ex hoc autem nemo colliget, prophetias Ieremiae et Isaiae eodem tempore scriptas fuisse.

363. 3° Linguam hebraicam et chaldaicam, contendunt, in libro Danielis tantopere variare, ut diversi auctores inde colligantur.

Sed haec assertio a veritate alienissima est; nam lingua capitum hebraicorum ubique eadem est, uti et lingua chaldaica capitum chaldaice scriptorum. Si etiam aliqua linguae diversitas occurreret, illa repetenda esset a diversitate adiunctorum, aetatis, etc., in qua Daniel scripsit. Unicum totius libri Danielis auctorem esse, sat inde liquet, quod ubique eadem si scribendi ratio, et quod res posterius relatae cum superioribus congruant.

364. 4° Danielem, inquiunt, sibi haud fuisse attributurum encomia quae c. 1, 20, c. IV, 15, c. VI, 11, c. V, 3, c. IX, 23, c. X, 11 leguntur.

Ast si hoc argumentum valeret, multis auctoribus profanis sua opera abiudicanda essent, in quibus refertur quid alii de illis senserint et dixerint.

Daniel locis citatis tantum narrat qualis ipse visus fuerit Nabuchodonosori; quid iste rex, quid regina, quid Darius Medus, etc., de illo senserint, et quomodo angelus illum appellavit; haec vero tam arcte cum ceteris colligata sunt, ut illa omittere nequiverit. Conf. Ezech. c. XIV, 14, XVIII, 20 et c. XXVIII, 3.

§ CXLIV. Difficultates peculiares adversus sex priora capita Danielis.

365. 1° Si haec pars historica, aiunt, Danielis esset, Daniel ibi in prima persona loqueretur, prout fit in parte prophetica (c. VII-XII), neutiquam vero in tertia persona.

Ast quando prophetae referunt res, quae ipsos aliosque respiciunt, frequenter de se in tertia persona loquuntur. Id faciunt etiam Isaias c. VII, 3, c. XX, 2, c. XXXVII, 2 et Ieremias c. XX, 1, c. XXV, 1, c. XXVI, 8. Mirum igitur non est, Danielem in hac parte historica de se in tertia persona loqui. Conf. n 93, 4.

366. 2° Statua aurea, quam Na-

Nabuchodonosor c. III sexaginta cubitorum altitudinis, et sex latitudinis confici, et in campo Durà collocari iussisse legitur, prorsus incredibilis est: 1° enim tanta auri copia omnem fidem superat; 2° tam ponderosus colossus aureus nulla humana vi erigi potuisset; 3° nulla est proportio inter altitudinem sexaginta, et latitudinem sex cubitorum: huiusmodi statua fuisset monstrum informe.

Sed statua isthaec repraesentabat idolum, ut ex c. III, 12, 14, 18, colligitur, et verisimiliter Belum, babyloniorum deum primarium. Statuae autem idolorum erant vel ex argilla, vel ex ligno confectae; exterius vero inaurabantur, aut laminis aureis cooperiebantur, ut ex Dan. XIV, 6 et Ierem. X, 3-4 constat. Statua Beli vocatur aurea (c. III), eo quod extrinsecus aurea erat: sic etiam (Exodi XXXIX, 37) vocatur altare aureum, quod iuxta Exod. XXX, 1-3 ex ligno confectum, et laminis aureis coopertum erat. Quare duae priores difficultates corruunt.

Quod spectat ad inconcinnam partium dispositionem, cum dedicatio statuae in campo locum haberet ut ab omnibus videretur, verisimiliter statua columnae imposita fuit, sicque altitudo statuae et columnae simul sexaginta cubitos adaequavit. Si sola statua sexaginta cubitos altitudinis habuisset, sequeretur, illam figuram humanam non habuisse, sed quid supernaturale repraesentasse, ad Belum, magnum babyloniorum numen, exhibendum forte aptum.

367. 3° Dedicationi praedictae statuae ex iudaeis soli Ananias, Misaël et Azarias iuxta c. III interfuerunt. Cur alii iudaei illi non adfuerunt? Quomodo Daniel, qui ut aulicus ei interesse debuisset, a iussu regis exsequendo exemptus fuit?

At cum iuxta Nabuchodonosoris edictum (c. III) omnes officiis regiis fungentes huic dedicationi interesse deberent, Ananias, Misaël et Azarias, qui huiusmodi officiis decorati erant, illi interesse debebant, non vero alii iudaei.

Daniel vero ob negotia absens, vel aegrotus fuit; indeque etiam pro tribus suis amicis, qui in fornacem ardentem illico coniecti fuerunt, haud potuit intercedere.

368. 4° Nabuchodonosor morbo lycanthropiae laborans, se in bovem conversum arbitratus iuxta c. IV septem tempora, seu annos, foenum, etc., ut bos inter feras comedit. Verum quomodo hic rex delicate enutritus, pretiosisque cibis adsuetus, herbas cum bestiis manducare potuit? quomodo sine vestibus rore pluviaque irrigari valuit *septem annis* quin moreretur? Quomodo septem annorum spatio regnum illi conservatum fuit? aut quomodo creatum interea regem post septem annos pellere potuit quin sibi adversantem experiretur? Cur de re adeo inaudita nulla in historicis profanis mentio fit? Haec nonnisi in hypothesi iudaicae Haggadoth possunt explicari.

Sed voces *septem tempora* hic non necessario septem annos significant, possunt indicare septem menses, aut, cum orientales annum in sex partes, seu *tempora*, dividerent, quatuordecim menses. Si autem vox *tempus* pro *anno* accipienda esset, determinatus numerus *septem* hic pro indeterminato adhiberi, atque aliquos annos significare posset, prout vox *septem* usurpatur Gen. XXXIII, 3, Prov. XXIV, 16, XXVI, 25, Isai. IV, 1, Ierem. XV, 9, etc., etc. Quibus in hypothesibus allatae difficultates facile explicantur.

Caeterum etiam si Nabuchodonosor septem annis integris cum feris fuisset, an Deus, qui superbum hunc

impiumque regem in exemplum aliorum insigniter punire voluit, illum gramina comedentem, rore pluviaque irrigatum, vivum servare, a feris incolumem praestare, eique regnum conservare nequivisset?

Historia profana huius facti non meminit, quia nulla historia regni babylonici Nabuchodonosori coaeva ad nos pervenit. Caeterum vestigia illius occurrunt in auctoribus profanis posterioribus, ut in Beroso, et Fl. Iosepho cont. Apion. l. 1, c. 20. Abydenus apud Eusebium (1) ex Megasthene refert Nabuchodonosorem palatium suum conscendisse, ibi praedixisse, Babylonem a medis et persis expugnandam esse, atque illico disparuisse. E quibus veritas de Nabuchodonosoris ob morbum lycanthropiae a Deo immissum inter feras recessu elucet Dan. c. IV *.

369. 5º Incredibile est sanae mentis regem Darium Medum, edictum dedisse, ut omnes, qui intra 30 dies a Deo aut ab homine aliquid peterent, praeterquam ab ipso, in speluncam leonum coniicerentur.

Verum hoc edictum ab aulicis callide obtentum fuit Danielem perdendi causa. Praetexebant aulici hoc edictum necessarium esse ad regiam Darii auctoritatem apud babylonios firmandam, volebantque, ut novus rex tamquam divinitas haberetur, quo babylonii eius legibus facilius obtemperarent. Darius vero dolum sub aulicorum consilio latentem haud perspexit. Unum ex pulcherrimis persarum institutis est, aiebat Artabanus Themistocli, quod rex ut imago omnia conservantis Dei *honoretur et adoretur* (2). Ex quo quisque videt edictum Darii Medi omnino credibile esse (conf. n. 259 et 270).

370. 6º Obiiciunt adhuc, voces origine graecas in hisce capitibus occurrere. Verum id a veritate alienum est. Quidam vero usus, et modi loquendi, qui etiam opponuntur, aetate Danielis obtinebant.

Historia profana nullum quidem regem babyloniorum Baltassarem vocatum commemorat. At reges orientales frequenter plura nomina habebant. Auctor recentior profecto nomen ignotum omnibus suo libro haud inseruisset.

§ CXLV. Difficultates peculiares adversus c. VII—XII Danielis.

371. 1º Eventus horum vaticiniorum longissime distant a tempore eorum originis, et tam adcurate cum suis adiunctis praedicti sunt, ut historia eventuum praeteritorum esse videantur post Antiochum Epiphanem scripta, eo magis quod vaticinia isthaec aetatem huius Antiochi non excedant, et nullus alius propheta res futuras tam adcurate praedixerit.

Sed quod aliqua Danielis vaticinia clariora sint multis prophetiis aliorum prophetarum, repetendum est ab ingenio Danielis grandia et sublimia mente versari, politicisque rerum conversionibus assueto, quo factum est, ut visiones de sorte regno-

(1) Euseb. Praep., l. 9, c. 41.

* Lycanthropia descendit a vocibus graecis λύκος, *lupus*, et ἀνθρώπειος *humanus*, atque morbus est, quo homo in dementiam lapsus, et aestu imaginationis abreptus, se in lupum, bovem, canem, felem, etc. mutatum credit, atque habitus, propensiones etc. horum animalium imitatur.

« Communiter creditur, ait cl. Calmet, Nabu» chodonosorem vi potentiae divinae in hunc » morbum incidisse: hic princeps itaque fir» miter credens se bovem esse factum, mani» bus pedibusque incedere, herbas comedere, » capite ut cornibus petere, ruri commorari, » societatem hominum fugere, atque caesa» riem, barbam et ungues ut animal nutrire » incoepit. Eius aulici hoc portento attoniti il» lum ceperunt et ligaverunt, ut Daniel (c. IV, 12) » observat: Alligetur vinculo aereo et ferreo. » Cum illo egerunt ut cum insanis et furibundis » agi solet... tandem Nabuchodonosor fuga eva» sit, et ruri ut bestia vixit. Huiusmodi morbi » medicis minime ignoti sunt, paucique libri » medicorum de illis silent.» (Dict. de la bible, art. Lycanthropie.

(2) Plutarchus in Themistocle

rum accurate perspexerit. Falsum autem est, prophetias Danielis aetatem Antiochi Epiphanis non excedere (n. 372), aliosque prophetas eventuum adiuncta non retulisse; nam Isaias (c. XIII, c. XIV, c. XV, c. XIX), Ieremias (c. XLVIII, c. XLIX, c. L, c. LI), et Ezechiel (c. XVI, c. XVII, c. XXIX et c. XXX), plurima eventuum adiuncta praedicunt.

Caeterum Danielis vaticinia haud adeo clara esse, ut adversarii perhibent, satis patet e varia ratione quam doctores ad illa declaranda inierunt.

372. 2° Vaticinia, quae aetatem Antiochi Epiphanis excedunt, indefinite expressa, neque adimpleta sunt.

Ast falsum id est; prophetiae enim de Messia nascituro (c. IX) multis adiunctis definitae sunt. Qui cum Porphyrio contendunt, hasce prophetias haud impletas esse, cum eo decepti fuerunt, eo quod symbola, quibus Messias adumbrabatur, pro Messia ipso habuerint. Profecto si Messias condere debuisset regnum temporale, cui pagani subiiciendi fuissent, prophetiae istae impletae non essent; sed regnum Messiae erat regnum spirituale, cui gentiles spiritualiter erant addicendi.

373. 3° C. VIII, 2, 27 legitur Danielem habuisse visionem, et negotia regia obiisse in Susis Castro, *quod est in regione Elam*. Regio Elam autem regibus Babylonis Nabuchodonosor posterioribus dumtaxat subiecta fuit.

Verum iuxta Ieremiae c. XXV, 25; XLIX, 34-39, et Ezechielis (c. XXXII, 24), regio Elam a Nabuchodonosore monarchiae babylonicae adiecta fuit (1).

In hisce capitibus nonnulla occurrere, quae rabbini suo modo exponunt, probat solummodo, rabbinos e Daniele hausisse, quae more suo amplificant.

§ CXLVI. De partibus deuterocanonicis Danielis, et specialim de hymno trium puerorum in fornace ardente, c. 3, 24-90.

374. S. Hieronymus (Praefat. in Danielem) de hisce partibus scribit: Daniel « apud hebraeos nec Susannae habet historiam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis draconisque fabulas, quas nos, quia in toto orbe dispersae sunt, veru anteposito easque iugulante, subiecimus, ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncasse. » Sed libro secundo apologiae adversus Ruffinum ait se ita locutum esse e sententia iudaeorum (conf. n. 20).

Eusebius et Apollinarius Porphyrii quidem obiectiones adversus Susannae ac Beli draconisque historias non refutarunt, hoc unum reponentes eas in textu hebraico non contineri; ast eorum hac in re auctoritas cedit multitudini patrum, qui hasce partes deuterocanonicas Danieli adscripserunt.

Adversus hasce partes generatim obiicitur.

375. Si illae opus genuinum Danielis essent, synagoga iudaeorum nobis earum archetypum, hebraicum aut chaldaicum, transmisisset.

At forte collectio scriptorum Danielis, quando haec a synagoga hierosolymitana in canonem inserta sunt, nondum completa erat, aut synagoga scripta Danielis abbreviavit, ut eorum usus commodior esset; ita ut integra scriptorum Danielis collectio nonnisi post eorum in canonem insertionem locum habuerit, aut non abbreviata eius opera remanserint inter plurimos iudaeos extra Palaestinam praesertim habitantes. Integra haec opera Danielis ante Christum natum a LXX interpretibus, et post eius nativitatem ab Aquila, Sym-

(1) Conf. Herodot., l. 3, et Strab. l. 15.

macho et Theodotione e textu primigenio in linguam graecam translata sunt: archetypum autem saeculo tertio deperditum fuit, et versiones graecae tantummodo remanserunt.

Contra hymnum trium puerorum adversarii opponunt:

376. Quomodo credibile est, tres istos iuvenes in fornace ardente metro lusisse, atque omnes creaturas ad laudes Dei invitasse? Quomodo Daniel (c. III, 38) scribere potuit, iudaeos nec *principem* nec *prophetam*, etc., tum temporis habere? Num ignorare poterat, se praetermisso, regem Iechoniam, Baruch et Ezechielem in vivis agere?

Ast non tres isti iuvenes scripserunt hunc hymnum in fornace ardente, sed Daniel post eorum liberationem. Cap. III, 38 quaestio est de Iudaea, ubi hebraei tum nec regem, nec prophetam, etc., habebant.

§ CXLVII. De historia castae Susannae, c. XIII.

377. Susanna pulcherrima et castissima ditissimi Ioakimi Babylone commorantis coniux, a duobus impuris iudicibus aetate provectis in balneo ad adulterium sollicitatur, quod ipsa, licet eorum praevideat vindictam, ob timorem Dei recusat. Iudices hanc repulsam passi, Susannam altera die coram populo iudaeo congregato, quasi a se in adulterio deprehensam, ad mortem condemnant. Cum innocens duceretur ad supplicium, iuvenis Daniel a populo obtinet, ut novum causae iudicium instituatur. Interrogat ipse ut iudex primum iudicem separatim, sub qua arbore pomarii Susannam in adulterio deprehendisset. Cum hic respondisset: ὑπὸ σχῖνον, *sub schino* (lentisco), in illum hanc fert sententiam: ὁ ἄγγελος τοῦ Θεοῦ σχίσει σε μέσον, *Angelus Dei scindet te medium.* Interrogat dein alterum iudicem, qui respondet se Susannam vidisse, ὑπὸ πρῖνον *sub prino* (ilice); quare in eum fert hanc sententiam: ὁ ἄγγελος τοῦ Κυρίου τὴν ῥομφαίαν ἔχων ἵνα πρίσαι σε μέσον, *Angelus Domini gladium habens, ut secet te medium.* Populus Danielis confirmat sententiam, et iniquos iudices iure talionis interimit.

Adversus hanc historiam obiicitur:

378. 1° Iudaeos captivos Babylone proprios iudices non habuisse.

Verum Nabuchodonosor, qui Iechoniam regem Iudae cum 10,000 primorum iudaeorum Babylonem abduxerat, israëlitis pauperibus tum in Palaestina manentibus proprium regem, Sedeciam nempe, dederat, num divitibus hebraeis Babylone proprios suos iudices non reliquisset?

379. 2° Iudicium Susannae tumultuarie, praecipitanter, et illa inaudita, ob testimonium duorum senum, qui testes et iudices erant, peractum, eiusdem falsitatem arguit.

Ast quot iudicia tumultuarie et praecipitanter peracta non sunt? Etiam innocens Naboth (III Reg. XXI) ob testimonium duorum falsorum testium capite damnatus fuit. Num vero Susanna inaudita condemnata fuerit, ob brevitatem, qua historia isthaec narratur, definiri nequit. Susanna testes suae innocentiae non habebat, immo specie rea videbatur: — quia accusabatur a duobus senibus, quos iudaei suos iudices constituerant, et qui probi habebantur. Hi iudices adfirmabant se ambos eam vidisse in adulterio. Quod ipsi ob frustra sollicitatum adulterium hanc calumniam adornassent, nemini in mentem venit, eo magis quod duo erant, et quod qui huiusmodi crimen meditatur testem adducere non solet; — quia Susanna dimiserat suas ancillas, loco earum opera in balneo utendi; — servi Susannae ad eius clamores accurrentes portam exteriorem pomarii

apertam invenerant, per quam eius amasius aufugisse videri poterat. Ob hanc speciem reatus etiam Ioakim eius maritus illam haud potuit iuvare.

380. 3° Quomodo iuvenis ille Daniel potuit populum, qui sententiam in Susannam latam approbarat, Susannamque ad locum supplicii ducebat, suis clamoribus adigere ad novum iudicium instituendum?

Daniel in textu graeco equidem vocatur παιδάριον, *puerulus*, *puer*, sed etiam Iosue hoc nomine compellatur quando iam vir erat (conf. Exod. XVII, 13 cum XXXIII, 11); quare illa vox graeca non probat Danielem tum valde iuvenem fuisse. Id certum, Danielem tum in aula Nabuchodonosoris fuisse (c. I); quare certa quadam cum auctoritate hebraeis captivitatis sociis loquebatur, et forte iam tum dederat signa instinctus prophetici, quo a Deo fuerat donatus. Caeterum textus ait: « Suscitavit Dominus spiritum san» ctum pueri iunioris, cuius nomen » Daniel » (c. XIII, 45).

381. 4° Daniel istos duos iudices tam tumultuarie ac praecipitanter iudicat, quam illi iudicaverant Susannam. Antequam in rem inquireret, illos nefarios senes nuncupat, et simul ac primus nominavit arborem, sub qua adulterium Susannae admissum dicebat, ipsum condemnat, quin expectet, num alter iudex eamdem arborem nominet necne.

Sed cum casta Susanna Deum ut testem suae innocentiae invocasset (c. XIII, 35-43), Deus Danieli et Susannae innocentiam, et duorum iudicum flagitia ante novum iudicium institutum revelavit (ib. 44-45); proinde illos, ante causae probationem, impios merito appellavit, primumque, altero inaudito, condemnavit.

382. 5° Si isti iudices iuxta legem Moysis lapidibus obruendi erant, ut habetur c. XIII, 62, quomodo Daniel ibidem (v. 55 et 59) dicere poterat, angelum illos per medium secturum esse?

Verum locutiones *angelus scindet te medium, secet te medium* sunt lusus verborum interpretis graeci, nec aliud significant nisi sententiam mortis duorum iudicum.

383. 6° Lusus verborum, qui occurrit (c. XIII, 54-55) inter σχῖνος σχίσει, *schinos, schisi*, et (v. 58-59) inter πρῖνος πρίσαι, *prinos, prise*, nec in lingua hebraica, nec in chaldaica locum habet, sed solum in lingua graeca, ut Africanus iam olim observavit Origeni; proinde Susannae historia scripta fuit graece, neque ideo a Daniele.

Ast iste verborum lusus est opus interpretis graeci. Caeterum cum nobis, ut iam iudaeis tempore Origenis, nomina hebraica plurimarum arborum ignota sint, ignoratur quinam verborum lusus in lingua hebraica inter nomina illarum arborum, et verba *scindo* et *seco* locum habere potuerit.

Ex dictis patet, quid sentiendum sit de recentiorum quorumdam sententia, qui ad difficultates historiae Susannae explicandas adsumunt, eam esse parabolam.

§ CXLVIII. Difficultates adversus historiam Beli et draconis, c. XIV.

384. Adversarii hanc historiam (conf. n. 348) Danieli abiudicantes, eiusque veritatem negantes, opponunt

1° Quod hoc caput in versione graeca LXX interpretum inscribatur: Ἐκ προφητείας Ἀμβακοὺμ υἱοῦ Ἰησοῦ ἐκ τῆς φυλῆς Λευί, *Ex prophetia Habacuci filii Iesu de tribu Levi*, et quod primus versus in illa translatione incipiat: « Vir erat sacerdos, nomine Daniel, » filius Abal, conviva regis Babylo-

» nis. » Eusebius et Apollinarius eumdem titulum ita pariter legerunt (conf. n. 374), caputque 14 ut partem prophetiae Habacuc habuerunt.

Verum iste titulus, etc. est additio alicuius amanuensis, occasione mentionis Habacuc, v. 32-38, facta. Versio LXX interpretum ab amanuensibus corrupta fuit, qua de re iam Origenes et Hieronymus conquerebantur (1), et ecclesia catholica versionem partium deuterocanonicarum. Danielis ex Theodotione, licet apostata, adoptavit.

385. 2° Incredibile est regem Babylonis, quicumque fuerit, credidisse idolum Belum comedere cibos illi appositos. Incredibile pariter est regem Belum, primarium babyloniorum deum, a Daniele destrui permisisse, et sacerdotes huius idoli interfici iussisse, cum se hac ratione rebellioni subditorum obiecisset. Falsum est templum Beli tum regis iussu destructum fuisse, cum iuxta Herodotum, Arrianum et Strabonem templum hoc Xerxis Magni iussu diu post mortem Danielis dirutum sit.

At rex Babylonis potuit vulgi praeiudiciis hac in re laborare, et cum eo credere, *genium Beli* odore pretiosorum ciborum eius arae aut mensae impositorum allici, eosque de nocte consumere. Quot reges praeoccupatis vulgi opinionibus ducti non fuerunt! Potuit etiam rex prudenter animi sui sensa simulare, ne a Daniele ut stolidi cultus sectator argueretur. Cum vero Daniel regem publice convicisset idolum cibos appositos non comedere, sed sacerdotes, debuit rex insigne exemplum severitatis edere, atque idolum, quo ipse et totus eius populus decepti fuerant, destrui, sacerdotesque ob infamem imposturam morte affici iubere. Utrum autem templum tum partim, aut penitus destructum fuerit, incertum est, cum in versione LXX interpretum id non referatur, et populus (c. XIV, 27) seditionem movens, solummodo conqueratur de destructione idoli, deque interfectione sacerdotum ac draconis. Quod si templum Beli tum destructum non fuit, hoc caput XIV historiae graecae haud contradicit; secus, Herodotus, Arrianus, etc. destructionem huius templi Xerxi magno adscripsisse censendi sunt propter odium quo illum prosequebantur.

386. 3° Antiqui historici profani referunt quidem aegyptios animalia viva cultu divino prosecutos esse, sed de cultu animalium apud babylonios, et quidem draconis, nullam mentionem faciunt. Caeterum an credibile est, regem Danieli permissurum fuisse interfectionem draconis, si ille ut deus adoratus fuisset?

Verum adoratio serpentis non solum apud aegyptios, sed etiam apud alios orientis populos, graecos, et romanos, locum habuit (2). Serpentes numinibus babyloniorum associatos fuisse, testatur Diodorus Siculus (l. 2, c. 9), ubi de templo Iovis, quem babylonii Belum vocabant, loquens, refert, statuam Iovis seu Beli, extensis cruribus stetisse, 40 pedes altitudinis habuisse, et 1000 talentorum babylonicorum ponderis fuisse, statuam Rheae aureo currui impositam fuisse, et eiusdem atque priorem statuam ponderis fuisse; prope Rheae genua duos, scribit fuisse leones, et haud procul duos argenteos et enormes serpentes, seu dracones, quorum quilibet 30 talentorum ponderis erat; statuam Iuno-

(1) Orig. comment. in Matth.; Hier. in Isaiam.

(2) Vide Herodot., l. 2, c. 74. Aelian. de animalibus, l. 11, c. 2, 16, 17, et 12, c. 39. Virgilius (Aeneid., l. 4, v. 483 etc.) de sacerdote draconis canit:

Hinc mihi Massylae gentis monstrata sacerdos,
Hesperidum templi custos, epulasque draconi
Quae dabat, et sacros servabat in arbore ramos

nis, ait, erectis pedibus stetisse, dextra serpentem tenuisse, 800 talentorum ponderis fuisse.

Immo draco, seu serpens, apud persas erat imago mali principii Ahrimani, et in cultu Hormisdae, seu boni principii, variae imprecationes adversus Ahrimanum proferebantur. Inter Mazdeiesnanorum imprecationes dicitur: « Qui Ahrimanum et so- » cios adorat... maledictus est quod » ad corpus, animam et fortunam.» Oportet ergo in Persia, regionibusque vicinis fuisse adoratores Ahrimani sub symbolo draconis exhibiti (1). Cum Draco vivus, babyloniorum Ahrimanum repraesentans, verisimiliter non nisi a plebe adoratus fuerit, rex Babylonis, perspectis fraudibus sacerdotum Beli, facile Danieli permisit, ut hunc draconem, si posset, interimeret.

387. 4° C. XIV, 32-38 legitur, prophetam Habacuc ab angelo crinibus arreptum e Palaestina translatum esse in speluncam leonum, ut Danieli traderet prandium, quod in Palaestina ad messores ferebat. Finis autem tam extraordinarii miraculi non perspicitur. Deus Danielem modo naturali cibare potuisset. Dein propheta Habacuc, qui sub Manasse rege Iudae vaticinatus fuerat, tum temporis mortuus erat. Caeterum incredibile videtur, regem Babylonis Danielem amicum suum ob populi strepitus in speluncam leonum coniici iussisse, et nonnisi septimo die ad hanc speluncam venisse, ut Danielem lugeret.

Ast ex III Reg. XVIII, 12 patet translationem hominum per aërem non fuisse inauditam, et Act. VIII, 39-40 legitur Philippum per aërem delatum esse.

Si seditiosi babylonii speluncam leonum sex diebus custodiebant, erat modus, quo Daniel ab Habacuc nutritus fuit, aptissimus 1° ad Danielem esurientem cibandum; 2° ad babyloniis omnipotentiam Dei, quem Daniel adorabat, manifestandam; et 3° ad fiduciam iudaeorum palaestinensium in Deum excitandam.

Tempus vero quo Habacuc vixit in veteri foedere haud notatur. Si sub ultimis regibus Iudae vaticinatus est, facile usque post captivitatem babylonicam vixit: si vero vixit sub Manasse, alius est ab illo propheta Habacuc, qui Danielem cibavit.

Danielem a rege in speluncam leonum coniici iussum esse, minime incredibile videbitur perpendenti quid sit populi fanatici rebellio. Quod vero rex nonnisi septimo die ad speluncam se contulerit, inde forte repetendum quod fanaticus populus Babylonis sex diebus tumultuatus sit.

Ex hisce elucet quid iudicandum sit de recentiorum quorumdam sententia, c. XIV parabolam existimantium. Conf. n. 34-36 et 417-422.

(1) Vide Zend Avesta part. I, 51.

DE DUODECIM PROPHETIS MINORIBUS

DE PROPHETIA OSEE

§ CXLIX. Osee. Lingua et aetas eius vaticiniorum.

388. Osee, primus prophetarum minorum, filius fuit Beeri (c. I, 1), et vaticinia sua hebraice edidit.

Vaticinatus est sub Ieroboam II, rege Israëlis, eiusque successoribus, quo tempore regnabant in Iuda Ozias, Ioathan, Achaz et Ezechias (ibid.)

§ CL. Argumentum et stylus prophetiarum Osee.

389. Vaticinatus est Osee potissimum de regno Israël. Arguit israëlitarum scelera, idololatriam, seditiones, periuria, etc., praedicitque regni eorum destructionem (c. I, 4-7, c. II, 14-16, c. IV, 5, c. V, 5-9, c. VI, 10, etc.), uti et ruinam regni Iudae (c. V, 5, c. VIII, 14, etc.), deportationem iudaeorum,

illorum reditum, constantem veri Dei cultum, vocationem gentilium, etc.

Stylus Osee in multis est poëticus, in aliis vero prosaicus. Occurrunt in eo symbola, frequentes similitudines, imagines ac tropi: *Commaticus est,* ait Hieronymus de Osee, *et quasi per sententias loquitur;* hinc eius dictio aliquando est obscura.

§ CLI. Difficultates vaticiniorum Osee.

390. 1° (C. I, 2). Dominus Oseae: « Sume tibi, inquit, uxorem fornicationum, et fac tibi filios fornicationum. »

Existimarunt nonnulli hoc in visione tantum contigisse, prophetamque debuisse hanc visionem israëlitis dumtaxat narrare.

Verum quae citatum textum sequuntur probant Oseam ducere debuisse mulierem, quae antea se aliis prostituerat. Matrimonium hoc extraordinarium rerum futurarum figura erat. Mulier ista repraesentabat Samariam. Cum Deus israëlitas severissime plectere statuisset, illisque suam futuram vindictam oculis subiicere vellet, voluit ut propheta duceret mulierem, quae sua prostitutione publice nota erat, atque ut infantibus ex ea nascituris imponeret nomina, quae erant figurae irae et vindictae divinae, israëlitarum capitibus imminentis.

391. 2° (C. III, 1): « Dilige, ait Deus Oseae, mulierem dilectam amico et adulteram. »

Haec mulier, quae alia est a priori, figura israëlitarum erat. Propheta eam (v. 2) non duxit, sed emit, illamque (v. 3) iubet esse continentem, usque dum illam ducat.

DE PROPHETIA IOEL

§ CLII. Ioël. Lingua et aetas eius vaticiniorum.

392. Ioël filius Phatuelis fuit (c. I, 1) Scripsit sua vaticinia hebraice; quo autem tempore haud praecise definiri potest. Puritas eius sermonis, et elegantia illius dictionis evincunt eum non post regnum Manassis scripsisse.

§ CLIII. Argumentum et stylus prophetarum Ioëlis.

393. Tribus capitibus, quibus hae prophetiae continentur, quatuor magni eventus praedicuntur, 1° nubes insectorum, quae agros vastatura, famemque in regno Iudae inductura erant (c. I). 2° Praenuntiatur, exercitum hostium Iudaeam devastaturum (c. II). 3° Praedicitur felicia tempora ventura, et donum prophetiae largiter dandum esse (ibid.), et 4° Deum de hostibus populi iudaei insignem vindictam sumpturum in valle Iosaphat, seu *iudicii Dei* (1), felicitatem secuturam, et Iudaeam in aeternum inhabitandam esse (c. III).

Stylus huius prophetae est poëticus, vehemens, elegans ac sublimis. Descriptiones locustarum, ingentis luctus, aetatis aureae, vallis Iosaphat, fontis e templo orituri, etc., sunt pulcherrimae.

DE PROPHETIA AMOS

§ CLIV. Amos. Lingua et aetas eius vaticiniorum.

394. Amos, pastor ovium, oriundus fuit e civitate Thecue (c. I, 1), quae duodecim milliaribus romanis Hierosolyma distabat.

Vaticinatus est hebraice in Bethel, urbe regionis Israël, sub Ieroboamo II rege Israëlis, et sub Ozia rege Iudae.

§ CLV. Argumentum et stylus vaticiniorum Amos.

395. Vaticinia haec regnum Israël potissimum respiciunt. Exprobrat propheta israëlitis sua crimina, et idololatriam, ac illis suam captivitatem assyriacam praedicit. Regno

(1) Conf. Calmet, cap 3, Ioël, v. 2 et Bergier, dict. théol., art. Vallée de Josaphat.

quoque Iudae ac vicinis regibus (c. I-II), suum exitium annuntiat. Praedicit dein reditum israëlitarum ex captivitate, thronique Davidis restitutionem (c. IX, 11-12). Cum ab Amasia sacerdote vitulorum aureorum in Bethel vexaretur, illi praenuntiavit uxorem eius in Samaria prostituendam esse, et ipsius filios ac filias gladio perituros (c. VII).

Stylus Amosi est poëticus et nequaquam humilis. Tropi et alia ornamenta dictionis deprompta sunt ab obiectis, quae pastoribus familiaria sunt. Ex notionibus geographicis, astronomicis et historicis, quae in hisce prophetiis occurrunt, patet Amosum pastorem haud incultum fuisse.

DE PROPHETIA ABDIAE

§ CLVI. Abdias. Lingua, aetas et argumentum prophetiae Abdiae.

396. I Par. III, 21; IX, 16. II Par. XVII, 7, XXXIV, 12. I Reg. XVIII, 3, varii occurrunt Abdiae; utrum noster propheta sit aliquis eorum, isque speciatim, qui (II Par. XXXIV, 12) sub Iosia rege reparando templo praepositus fuit, incertum est.

Vaticinatus est hebraice postquam Hierosolyma iam sub ditione chaldaeorum erat, abducto Iechonia (v. 20), et ante excidium huius urbis (v. 12-14).

Abdias, seu Obadias, in sua prophetia unius capitis, quod fragmentum esse videtur, praedicit exitium idumaeis iudaeos affligentibus, praenuntiatque iudaeos, atque ipsas decem tribus, regionem suam recuperaturos, et Idumaeam ac Philisthaeam possessuros.

S. Hieronymus de Abdia ait: « Propheta parvus supputatione ver» suum non sensuum (1). »

(1) Hier. comment. in Abdiam.

DE PROPHETIA IONAE

§ CLVII. Ionas. Lingua et aetas eius libri.

397. Ionas, filius Amathi (c. I, 1), vaticinatus est sub Ioas et Ieroboam II regibus Israël, et sub Ozia, seu Azaria, rege Iuda (IV Reg. XIV, 25). Praedixerat pristinos limites regni Israël restituendos esse, quod sub Ieroboam II contigit (ib. v. 25).

Lingua hebraica huius libri variis verbis chaldaicis mixta est; quare cl. Iahn illum post captivitatem babylonicam et destructionem Ninives compositum fuisse credit. Verum indoles linguae libri non semper est certum testimonium illius aetatis (n. 300).

§ CLVIII. Argumentum libri Ionae.

398. Ionas a Deo iussus praedicare in urbe Ninive, in qua tum temporis Phul regnasse videtur (IV Reg. XV, 18-20), conscensa in Ioppe navi, Tharsim in Ciliciam aufugere tentat. Verum a Deo tempestate ingenti immissa, nautae iaciunt sortem ad sciendum cuius causa Numen hanc tempestatem immisisset. Sors autem in Ionam cadit; quare hic in mare proiectus fuit, et tempestas cessavit (c. I).

Ionas iussu Dei deglutitus fuit a magno pisce, in cuius ventre tribus diebus, totidemque fere noctibus delituit, Deumque deprecatus est, tertia vero die piscis illum in littus evomuit (c. II).

Ionas tum secundo Ninivem adire iussus, Deo paret. Ninivitis annuntiat ruinam Ninives post 40 dies, nisi poenitentiam agant, quare ninivitae poenitentiam agunt, Deusque illis parcit (c. III).

Ionas autem ideo iratus mortem sibi optat, Deo ait se iam praesensisse quod Ninivi parciturus foret, ideoque Tharsim aufugere voluisse. Extra urbem sibi umbraculum ex-

truit, expectans quid Ninivi accideret. Deus hederam crescere facit, sub cuius umbra Ionas sedet. Sed cum Deus a verme hanc hederam corrodi iussisset, ita ut haec exaresceret, Ionas, ardentibus solis radiis percussus, denuo sibi mortem optat. Verum Deus illum reprehendit quod ob interitum huius hederae tantopere commoveatur, nec tangatur miseratione in ninivitas, ac nolit ut Deus parcat urbi poenitenti, in qua erant 120,000 infantium (c. IV).

§ CLIX. Difficultates libri Ionae.

399. Veritati historicae huius libri opponitur:

1° Historia profana de illa extraordinaria et miraculosa commoratione Ionae in ventre piscis nihil omnino commemorat.

2° Finis tanti miraculi Deo dignus haud perspicitur.

3° Incredibile est regem Ninives ac ninivitas ad praedicationem viri ignoti conversos fuisse, regem praecepisse hominibus et animalibus abstinentiam ab omni re, omnesque subditos iussisse saccos lugubres induere.

4° Ionas in calido ventre istius piscis tempore trium dierum ac noctium consumi, et defectu puri aëris suffocari debuisset. Quomodo Ionas huiusmodi carcere inclusus mentis compos manere, Deumque orare potuit?

400. Ob hasce potissimum difficultates plures recentiores historiam Ionae parabolam esse dicunt.

Verum huic sententiae obstat 1° quod in libro Ionae occurrant characteres historiae, nomina propria nempe Ioppe, ubi Ionas navim conscendit, Tharsis, quo navigare meditabatur, Ninives, ubi praedicavit, minuta adiuncta rerum. etc., quae parabolae haud inseruntur: nam « parabolae illae sunt, ubi ponuntur exempla, et tacentur nomina » ait s. Chrysostomus (1).

2° Christus (Luc. XI, 32) ninivitarum poenitentiam iudaeis ut exemplum proposuit: « Viri ninivitae, ait, surgent in iudicio cum generatione hac, et condemnabunt illam: quia poenitentiam egerunt ad praedicationem Ionae (conf. Matth. XII, 41). » Christus profecto hic ninivitarum poenitentiam ut certam non posuisset, si illa numquam contigisset. Matth. XII, 40, Christus aeque certam posuit moram Ionae in ventre piscis, cum dixit: « Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, etc. »

401. Ad allatas difficultates sequentia respondemus:

1° Historici profani multa alia facta miraculosa librorum sacrorum non commemorant, quin ideo quis eorum falsitatem historicam inde colligat. Antiqui pagani nullum fere commercium cum parva natione Iudae exercebant; quare mirum non est, eos multa facta iudaeis propria ignorasse. Cum insuper iudaeos contemnerent, odioque haberent, mirum non esset, si nequidem facta aliqua particularia, quae noscebant, sive ex contemptu et odio, sive ex incredulitate haud retulissent. Caeterum fabula Herculis, qui iuxta nonnullos mythologos tribus diebus in ventre piscis fuit, et inde depilatus dumtaxat sed incolumis egressus est (2), facile ex historia Ionae proficisci potuit.

2° Multorum aliorum miraculorum veteris foederis finis pariter non perspicitur: num ideo negantur? Interea finis miraculi Ionae causa patrati Deoque dignus est, punitio contumacis Ionae, et conversio ninivi-

(1) Hom. de divite.

(2) Theophylactus comment. in cap. II Ionae, Lycophron tragoed. Herculis.

tarum. Hi audito hoc miraculo facilius profecto conversi fuerunt.

3° Priscis illis temporibus, quibus homines audiendis oraculis adsueti erant, credebatur Deum quibusdam hominibus res futuras, suamque voluntatem manifestare: ideoque prophetis apud hebraeos, et vatibus apud gentiles, ius erat nomine Dei, vel deorum, vel ipsis principibus vitia exprobrandi. Quare rex Ninives, ac ninivitae, suorum criminum probe conscii, ob ingens miraculum quod Ionas ad eos adduxerat, quodque rei caput est, ob illustrationem gratiae divinae, dictis Ionae facile fidem adhibuerunt, ac poenitentiam extraordinariam peregerunt.

4° Difficilius non fuit Deo conservare Ionam incolumem in ventre istius piscis, quam servare illaesos tres iuvenes in ardente fornace Babylonis, atque servare infantes novem mensibus in sinu matrum. Qui de infantibus in sinu matrum viventibus atque crescentibus nihil umquam audiisset, ratiocinaretur haud secus, ac illi, qui ob hanc quartam difficultatem mansionem Ionae in ventre piscis negant.

Caeterum piscis iste Ionam bene valentem, vestibusque indutum non tam cito digerere debebat, et aër, quem spirando ducebat, erat Ionae salutaris.

402. Credunt nonnulli piscem, qui deglutivit Ionam, fuisse balaenam eo quod haec sit maximus piscis, et quod piscis Ionae (Matth. XII, 40) vocatur *cetus*.

Ast balaena tam angustum guttur habet, ut vix mediocres pisces deglutire possit, nec propter ingentem corporis molem sat prope littus venire potuisset ad Ionam evomendum, nec in mari mediterraneo, ubi Ionas deglutitus fuit, commoratur. Vox vero cetus piscem grandem generatim significat.

Textus hebraicus, et versio vulgata (Ion. II), speciem istius piscis non determinant, aiuntque solummodo, Ionam deglutitum fuisse a *pisce grandi;* quare piscis iste facile esse potuit carcharia, seu lamia (gallice *requin*, ital. *pesce-cane*); carchariae autem in mari mediterraneo, ubi Ionas fuit, haud raro homines deglutiunt; sic narrat D. Müller (1), nauticum quemdam anno 1759 in mare mediterraneum lapsum, illico vasto oris hiatu carchariae fuisse exceptum, hoc vero monstrum ictu tormenti bellici mox percussum, deglutitum nauticum, modice laesum evomuisse. Carcharia ista dein capta fuit, atque decem cubitos longitudinis, et quatuor latitudinis habebat.

Nicaeae et Massiliae carchariae captae fuerunt, in quorum stomachis homines integri, immo unus armatus, inventi fuerunt (2). D. Rondelet refert captas fuisse lamias, quae 30,000 librarum pondo erant. In tanta anthropophagi mole Ionas profecto consistere potuit.

DE PROPHETIA MICHAEAE

§ CLX. Michaeas Lingua, aetas, argumentum et stylus eius vaticiniorum.

403. Michaeas, seu Michas, Morasthites dicitur (c. I, 1), a loco nativitatis ut distinguatur a Michaea filio Iemlae (III Reg. XXII, 8).

Vaticinatus est hebraico idiomate sub Ioathan, Achaz et Ezechia regibus Iudae (c. I, 1).

Invehitur Michaeas in iudaeorum crimina, praedicit captivitatem decem tribuum regni Israël apud assyrios, exilium duarum tribuum regni Iuda apud chaldaeos, earum liberationem per Cyrum, restaurationem Hierosolymae ac templi, huiusque

(1) Versuch einiger Unterhaltungsstunden, Augsburg, 1792.

(2) V. Valmont de Bomare, dict. art. Requin.

celebritatem. C. V, 2, designat Bethlehem ut locum nativitatis Messiae.

Stylus huius prophetae est poëticus, vehemens, sublimis, clarus et adcuratus. Tropi sunt varii ac elegantes, et increpationes vitiorum acerrimae.

DE PROPHETIA NAHUM

§ CLXI. Nahum. Lingua, aetas, argumentum et stylus vaticiniorum eius.

404. Nahum Elcesaeus a loco nativitatis, ut videtur, vocatus (cap. I, 1), scripsit pura lingua hebraica, a verbis exoticis immuni.

Vaticinatus fuisse videtur ultimis Ezechiae vel primis Manassis annis. Praedicit Nahum ruinam urbis Nin ives, eversionem monarchiae assyriorum, qui hebraeos oppresserant, ac restitutionem regni Iudae.

Diodorus Siculus (l. 2, c. 32) ex Ctesia refert Niniven primum sub Sardanapalo ab Arbace medorum gubernatore, et Belese, seu Nabonassare, Babyloniae praeside, octavo saeculo ante Christum natum eversam fuisse, et paulo post restauratam secundi regni assyriorum sedem regiam evasisse, dein sub Chinaladano a Nabopolassare, et Astyage Cyaxaris I filio, 626 circiter anno ante Christum secundo excisam, et non amplius reaedificatam fuisse (conf. n. 222, 250, 2°; et 253; 2°).

Stylus Nahum est ornatus, elegans, pluresque tropos continet.

DE PROPHETIA HABACUC

§ CLXII. Habacuc. Aetas, lingua, argumentum et stylus eius vaticiniorum.

405. Quis sit iste Habacuc, a LXX interpretibus Ἀμβακούμ, *Ambacum* dictus, et qua aetate vixerit, haud certo constat. Verisimiliter autem vaticinatus est primis annis regni Manassis, cuius crimina referre videtur (c. I, 2-4), et a propheta Habacuc (Dan. c. XIV) diversus esse videtur (n. 387); aetati Manassis convenit puritas linguae hebraicae, qua Habacuc scripsit.

Praedicit propheta iudaeorum exitium per chaldaeos inferendum, chaldaeorum punitionem, et excidium Babylonis. C. III occurrit sublime canticum. Stylus huius prophetae est elegans, sublimis, ornatus, et stylo plerorumque prophetarum, praesertim c. III, superior.

DE PROPHETIA SOPHONIAE

§ CLXIII. Sophonias. Aetas, lingua, argumentum et stylus eius vaticiniorum.

406. Sophonias filius Chusi fuit (c. I, 1), et vaticinatus est sub Iosia rege Iudae (ib.) verisimiliter antequam hic rex iudaeorum mores emendasset.

Linguae hebraicae, qua scripsit Sophonias, nonnulla verba exotica admixta sunt.

Constat Sophoniae prophetia tribus capitibus: (c. I et II) praedicuntur captivitas iudaeorum apud babylonios, devastatio Iudaeae, exitium philisthaeorum, moabitarum, ammonitarum, aethiopum, assyriorum ac urbis Ninives, quae 626 circiter annis ante Christum reapse destructa fuit (n. 404), atque reditus iudaeorum in suam patriam.

C. III. Propheta redarguit crimina iudaeorum, promittitque post reditum de exilio babylonico verae religionis propagationem, constantiam in Dei cultu, ac felicitatem.

Stylus huius prophetae, licet non sit humilis, stylum tamen plurium prophetarum non adaequat; est vehemens, et similis stylo Ieremiae, cuius abbreviator creditur.

DE PROPHETIA AGGAEI

§ CLXIV. Aggaeus. Aetas, lingua, argumentum et stylus eius vaticiniorum.

407. Quis fuerit iste Aggaeus, scriptura sacra haud dicit. Votici-

nari coepit Hierosolymis post captivitatem babylonicam secundo anno regni Darii Hystaspis (c. I, 1).

Eius lingua hebraica ad dialectum chaldaicam accedit.

C. I. Iudaeos increpat, quod neglecto templo propria sua aedificia extruant; ait Deum ob hanc causam immisisse sterilitatem, hortaturque Zorobabelem, ducem iudaeorum, Iesum filium Iosedec summum sacerdotem, atque alios iudaeos, ut aedificationem templi prosequantur, quod hi etiam fecerunt.

C. II. Refertur, quod Aggaeus consolatus sit senes, qui magnificentiam templi Salomonis olim viderant, et qui contristabantur quod secundum hoc templum priori magnificentia inferius fore crederent: dicebat propheta hoc secundum templum primo fore magnificentius, non quidem auri, argentique abundantia, sed quod Desideratus cunctis gentibus illud sua gloria illustraturus esset. Deum inquit praeteritam sterilitatem in fertilitatem mutasse, eo quod templum reaedificabatur, promittit dein *Zorobabel* protectionem divinam.

Stylus Aggaei est in increpationibus vehemens, et in vaticiniis est sublimior quam in aliis rebus.

DE PROPHETIA ZACHARIAE

§ CLXV. Zacharias. Aetas et lingua eius vaticiniorum.

408. Zacharias fuit filius Barachiae, et, ut Aggaeus, secundo anno Darii Hystaspis Hierosolymae vaticinari coepit (c. I, 1).

Quinque occurrunt Zachariae, primus sacerdos, filius Ioiadae pontificis, qui iussu regis Ioas in atrio templi lapidatus fuit (II Par. XXIV, 20, etc.); secundus filius Barachiae, de illo loquitur Isaias (c. VIII, 2). Vixit post primum sub rege Achaz; tertius est noster propheta, quartus Zacharias pater Ioannis Baptistae (Luc. c. I), et quintus est Zacharias filius τοῦ Baruch, qui, teste Fl. Iosepho (1), tempore ultimae obsidionis hierosolymitanae a seditiosis occisus fuit. Cum Christus (Matth. XXIII, 34-36) scribis et pharisaeis dicat: « Mitto ad vos prophetas... » et ex illis occidetis... ut veniat » super vos omnis sanguis iustus, » qui effusus est super terram a » sanguine Abel iusti usque ad san» guinem Zachariae filii Barachiae, » quem occidistis inter templum et » altare, » haec vero nulli Zachariae praeterquam nostro prophetae convenire videantur, crediderunt multi Zachariam auctorem nostrae prophetiae a iudaeis inter templum et altare occisum fuisse; sed sententia isthaec maximis difficultatibus subiacet.

Lingua hebraica Zachariae a verbis chaldaicis non est immunis.

§ CLXVI. Argumentum et stylus vaticiniorum Zachariae.

409. Haec prophetia in duas partes dispesci potest, quarum prima potissimum agit a c. I ad VIII, de eventibus proximis, et praesertim de restauratione templi, ad quam propheta hebraeos, ut Aggaeus, adhortatur. Praedicit futurum regnum sacerdotum, et ieiunium ob calamitates praeteritas institutum abolendum iri.

Pars secunda a c. IX ad XIV continet vaticinia eventuum remotiorum, de clade syrorum ac philisthaeorum, de Messia, de Machabaeis, de propagatione verae religionis, etc. Zacharias cap. IX, 9, de Messia fere ut evangelista loquitur, dum ait: « Exulta satis filia Sion: *Ecce* » *rex tuus* veniet tibi iustus et sal» vator: ipse pauper, et ascendens » super asinam, et super pullum

(1) Fl. Ios. de bello Iud., l. 4, c. 19.

» filium asinae » Conf. Matth. XXI, 1-5.

Partem tertiam horum vaticiniorum a Zacharia compositam esse cl. Iahn contra adversarios solide probat (1).

Stylus Zachariae quandoque est prosaicus, et quandoque poëticus, plures in eo occurrunt figurae, tropi, allegoriae et aenigmata, quae explicantur. Prophetia Zachariae 14 capita complectens est omnium prophetiarum minorum longissima et obscurissima.

DE PROPHETIA MALACHIAE

§ CLXVII. Malachias. Aetas, lingua, argumentum et stylus eius vaticiniorum.

410. Malachias contemporaneus fuit Nehemiae (n. 239), ut argumentum eius prophetiae evincit. Caeterum de illo scriptura sacra nihil refert. Vaticinatus est post reaedificatum sub Zorobabele templum; hoc enim ut extans sumit. Lingua eius hebraica est quandoque duriuscula.

Redarguit Malachias iudaeos ingratitudinis in Deum, ac sacerdotes impietatis, eo quod de multis laboribus et exiguis reditibus conquerebantur, ac sacrificia illicita admittebant. Reprehendit hebraeos, qui coniuges suas arbitrario repudiabant, mulieres alienigenas ducebant, et decimas retinebant. Praedicit Messiam, aitque magnum legatum divinum, quem quod ad spiritum Eliam vocat, ante Messiam mittendum esse. Iudaeam vero praedicit perpetuo anathemate damnandam esse.

Stylus Malachiae in reprehendendis vitiis est vehemens, caeteroquin prosaicus et duriusculus (conf. n. 34-36 et 417-422).

(1) Iahn. Introd. in L. S. V. F., cap. V, § 161, Viennae, 1804.

DE I ET II LIBRO MACHABAEORUM

§ CLXVIII. Nomen Machabaeorum. Auctores I et II libri Machabaeorum. Eorum lingua et aetas.

411. Hi libri Machabaeorum vocantur, eo quod gesta eorum referunt. Origo nominis Machabaei communiter derivatur a litteris initialibus verborum hebraicorum: *Mi Camoca Beelim Iehovah*, quae hanc sententiam efficiunt: *Quis ut tu inter deos, Iehovah?* Hae litterae initiales putantur vexillis iudaeorum adversus syros pugnantium intextae, et in hanc formam contractae MCBEI fuisse, ac nomen *Machabaei* effecisse, quod Iudae Machabaeo, ac deinceps omnibus qui adversus syros pro religione et patria decertarunt, datum fuisset. Romani ita vexillis suis intexebant S. P. Q. R., contractio senatus populique romani.

Contendunt alii nomen Machabaei provenire a voce hebraica *Malleum et Malleatorem* significante, idque Iudae a factis heroicis datum fuisse, ut postea Carolo principi gallo nomen *Martelli* datum fuit. Ast Iudam Machabaeum vocatum fuisse ante bellum adversus syros patet ex I Mach. c. II, 4, ubi singuli filii Mathathiae nomina propria habent, et solus Iudas vocatur Machabaeus.

Iudaei hosce libros etiam appellant librum assamonaeorum aut hasmonaeorum, a nomine familiae Mathathiae.

412. Auctor libri Machabaeorum scripsit hebraice, ut frequentes eius hebraismi in versione graeca testantur. S. Hieronymus scribit se hunc librum hebraice conscriptum reperisse, et Origenes refert illum hebraice inscriptum fuisse *Sarbèt Sar-Bené El: Virga rebellium adversus Dominum*, vel *sceptrum principum filiorum Dei* (2).

(2) Hier. Prolog. Galeat. et Orig. apud Euseb., l. 6, cap. ult.

Textus autem hebraicus modo deperditus est, et versio nostra vulgata e versione graeca descendit.

Auctor vixisse videtur circa tempora pontificatus Ioannis Hircani, cuius annales (c. XVI, 24) citat.

Auctor II libri Machabaeorum scripsit graece, ut ex eius graecismis, observante iam s. Hieronymo (1) patet. Lingua eius graeca est pura, et quandoque elegans. Videtur auctor scripsisse aliquo tempore post gesta quae refert.

Ambo auctores utuntur aera Seleucidum seu graecorum, quam iudaei *aeram contractuum* vocant *.

§ CLXIX. Argumentum I libri Machabaeorum.

413. Antiochus Epiphanes, occupato regno Syriae anno 175 ante Christum, et devicto Ptolemaeo rege Aegypti, Hierosolymam depredatus est, iudaeos alios interemit, alios captivos duxit, templum spoliavit et profanavit, libros sacros combussit, idola erexit, et ea adorare renuentes trucidari iussit.

Mathathias sacerdos cum quinque suis filiis exercitum collegit iudaeorum in avita religione perseverantium, atque regionem perlustrans praefectos regios Antiochi, et iudaeos apostatas occidit. Mathathiae, anno 166 ante Christum defuncto, successit filius Iudas Machabaeus ut dux militiae, qui ingentes syrorum exercitus paucis copiis profligavit. Illi anno 160 ante Christum in praelio occiso successit frater Ionathan, qui hostium insidiis periit anno 142 ante Christum. Ipsi successit Simon, primogenitus filius Mathathiae, qui principatum et summum sacerdotium iure haereditario accepit, sed anno 135 ante Christum a genero Ptolomaeo interfectus fuit.

Continet itaque hic liber historiam 40 annorum, ab initio scilicet regni Antiochi Epiphanis usque ad mortem Simonis summi sacerdotis.

§ CLXX. Argumentum II libri Machabaeorum

414. C. I, 1-9 occurrit epistola hebraeorum Hierosolymae et Iudaeae ad hellenistas Aegypti. In ea dicitur, sacrificia denuo in templo hierosolymitano offerri, festum encoeniorum celebrari, et ad eius celebrationem hellenistae invitantur.

C. I, 10-II, 19. Extat antiquior epistola ab incolis Iudaeae, senioribus et Iuda ad Aristobulum regis Ptolemaei paedagogum, et ad hellenistas Aegypti scripta. Referuntur in illa pericula magna, quibus iudaei sub Antiocho Epiphane obiecti fuerant, huiusque regis obitus. Hellenistae Aegypti excitantur ad celebrationem festi encoeniorum, et ignis sacri.

C. II, 20-33. Occurrit libri praefatio, in qua auctor dicit se Iasonis Cyrenaei historiam quinque voluminibus comprehensam in compendium redegisse. Narrat dein iuxta Iasonem persecutiones et bella, quae sub Antiocho Epiphane, et Eupatore eius filio, in Iudaea locum habuerunt. Duo ultima capita auctor ipse adiecisse videtur, eo quod Iason iuxta c. II, 21, non scripsit nisi quae sub Antiocho Epiphane et Eupatore in Iudaea gesta erant. C. IV et c. V facta quaedam occurrunt, quae persecutioni Antiochi Epiphanis occasionem praebuerunt.

(1) Hier. loc. cit.

* Aera Seleucidum incipit anno 308 ante Christum, et anno 312 ante aeram vulgarem, quo anno Seleucus I rex Siriae, quondam Alexandri Magni belli dux, Babploniam recnperavit. Hic annus incidit in Olympiadem 117.

Continet Olympias spatium 4 annorum. Ludi Olympici, qui evolutis 4 annis in Elide ad Olympiam urbem maximo cum Graecorum concursu celebrabantur, incipiunt ab anno 884 ante aeram vulgarem, quo anno ab Iphito, rege Elidis, instaurati fuerunt, 442 annis ab eorum institutione per Herculem, ut fertur, facta; sed communiter initium Olympiadum non numeratur nisi ab Olympiade 28 ubi Coraebus victor extitit anno 776 ante aeram vulgarem.

Cum ambo libri Machabaeorum eamdem fere historiam referant, seque mutuo illustrent, a lectore continuo comparandi sunt.

§ CLXXI. Difficultates II libri Machabaeorum.

415. Inter varias huius libri difficultates venit potissimum

Varia et contradictoria relatio de morte Antiochi Epiphanis. II Mach. c. I, 13-17 dicitur hunc regem in Perside in templo Naneae, quod spoliare meditabatur, a sacerdotibus lapidibus obrutum, et in frusta dissectum fuisse.

II Mach. c. IX legitur Antiochum, e Perside reducem, ab urbe Persepoli pulsum esse, vivum vermibus corrosum fuisse, et « peregre in » montibus miserabili obitu vita » functum esse. »

I Mach. VI, 1-16 refertur Antiochum obsidionem urbis Elymaidis in Perside solvere coactum, reversum esse Babylonem, eum in Perside, audita clade sui exercitus in Iudaea, in extremam melancholiam lapsum, ibidem mortuum esse.

Verum relatio mortis Antiochi (II Mach. I, 13-17) est in epistola hebraeorum Iudaeae, et non in ipso libro auctoris. Iudaei isti de morte Antiochi non bene edocti fuerant. Idem dicendum est de nonnullis aliis rebus singularibus, quae in hac secunda iudaeorum epistola occurrunt. Duae epistolae, quae praefationem libri antecedunt, possunt ab alio quam ab auctore libro praemissae esse : si vero ab ipso auctore adiectae sunt, probant eius fidelitatem in rebus referendis, utpote qui ne quidem istam contradictionem cum cap. IX sui libri sustulit.

Inter II Mach. c. IX et I Mach. c. VI nulla est contradictio; nam utrobique dicitur Antiochum mortuum esse in Perside, quod est caput rei, et utrobique legitur illum antea Persepoli pulsum fuisse; Elymais enim (I Mach. c.VI) est Persepolis. Auctor (I Mach. c.VI) omittit morbum Antiochi, et designationem loci eius mortis. Morbum autem terribilem huius regis (I Mac. c. VI) pro certo poni, ex verbis et lamentis Antiochi satis colligitur.

416. II Mach. c. XIV refertur suicidium Raziae, quod deistae ab auctore libri adprobari contendunt. En factum !

Razias, nobilis senex, de iudaeis adeo bene meritus, ut eorum pater diceretur, apud Nicanorem, Demetrii Syriae regis belli ducem accusatus fuerat, quare: « Misit Nicanor, » ait auctor (c. XIV, 39-46), milites quingentos, ut eum comprehenderent; putabat enim, si illum » decepisset, se cladem iudaeis maximam illaturum. Turbis autem » irruere in domum eius, et ianuam » disrumpere, atque ignem admovere cupientibus, cum iam comprehenderetur, gladio se petiit, eligens nobiliter mori potius quam » subditus fieri peccatoribus, et contra natales suos indignis iniuriis » agi. Sed cum per festinationem » non certo ictu plagam dedisset, et » turbae intra ostium irrumperent, » recurrens audacter ad murum, » praecipitavit semetipsum viriliter » in turbas: quibus velociter locum » dantibus casui eius, venit per mediam cervicem, et cum adhuc spiraret, accensus animo surrexit: et » cum sanguis eius magno fluxu deflueret, et gravissimis vulneribus » esset saucius, cursu turbam pertransiit. Et stans supra quamdam » petram praeruptam, et iam exsanguis effectus, complexus intestina » sua, utrisque manibus proiecit super turbas, invocans dominatorem » vitae et spiritus, ut haec illi iterum redderet; atque ita vita functus est. »

Verum numquid in adiunctis, in quibus Razias versatus fuit, illi facile persuasum esse non potuit suicidium esse licitum? Num Razias decipi haud potuit? aut etiam a Deo summo vitae necisque hominum domino ad αὐτοχειρίαν (sui interfectionem) inspirari? Sed hoc ultimum deistis asserere necesse haud est: auctor enim libri laudat Raziam, quod religioni iudaicae addictissimus, ac de patria sua et concivibus bene meritus fuerit, quod Deum moriendo invocaverit, et quod in suicidio admittendo fortem animum exhibuerit; ast non laudat, nec excusat eius suicidium. Si Razias romanus vel graecus fuisset, deistae eius animi magnitudinem non minus ac illam Catonis laudibus extollerent (conf. n. 34-36 et 417-422).

Ex iis quae hactenus persecuti sumus de auctoribus librorum sacrorum Pentateucho posteriorum, aut de eorum ex coaevis authenticisque documentis excerptione, atque de fide, quam vel historice tenus merentur, illorum authentia satis in aperto posita est, de ipsa tamen paucis adhuc ex professo agemus: quare

§ CLXXIII. Libri sacri veteris foederis Pentateucho posteriores sunt genuini.

417. Hosce libros esse compositos ab auctoribus quibus tribuuntur, ea aetate cui assignantur, aut quam (si auctores incogniti sint), interiores libris ipsis rationes deprehendunt, evincitur ex historia et argumento ex intimis librorum rationibus desumpto. Ac

1° Quidem tota natio hebraica antiqua et recens testatur, hosce libros variis temporibus, partim ante, partim post captivitatem babylonicam, a variis scriptoribus hebraeis aliis cognitis, et aliis incognitis esse exaratos; proinde nisi dicere velimus integram gentem in re summi momenti deceptam fuisse, credere debemus hosce libros esse genuinos. Profecto si opera antiquorum scriptorum profanorum genuina credimus propter multorum vivorum traditionem, an genuinos esse non credemus eos libros sacros, quos tales esse natio integra testatur?

Integer autem populus hebraeus nec deceptus fuit, nec alios decipere voluit, hoc suo testimonio; nam cum hosce libros genuinos esse adfirmet, licet ingentia eius crimina, perpetuae rebelliones in Deum suosque principes, idololatria, ac inaudita pertinacia et mentis caecitas ibi ad vivum delineentur, oportet illum de illorum authentia plenissimam habuisse persuasionem. Cum igitur populus hebraeus sit testis contra semetipsum, eius testimonium est omni exceptione maius; consequenter insanum foret adserere, illum alios decipere voluisse, semetipsum infamem reddendo.

418. 2° Argumentum non minoris roboris eruitur ex rationibus intrinsecis horum librorum; primum enim in libris posterioribus librorum antea conscriptorum frequentes occurrunt citationes et allusiones ad eorum argumenta, adeo ut liber posterior frequentissime anterioris existentiam ponat; tum diversitas linguae hebraicae, cuius sanitas antiquiorum librorum propria sensim in posterioribus decedit, varietas styli, ordinis, sententiarum ac symbolorum, descriptio profectus iudaeorum in moribus, scientia ac urbanitate, modus ille mirabilis, quo tum per progressum culturae ingenii humani, tum per varias Dei revelationes, tum per varios rerum eventus, in his libris via ad evangelium sternitur, et quidem ita ut Pentateuchus ope horum librorum intermediorum cum evangelio arcte colligetur, aperte demonstrant libros

sacros veteris foederis Pentateucho posteriores vario tempore a variis auctoribus fuisse in natione hebraica conscriptos.

§ CLXXIII. Libri sacri veteris foederis, post Pentateuchum conscripti, quod ad substantialia integri extant.

419. Maxima reverentia, qua totus populus hebraeus hosce libros semper prosecutus est, et hodieque prosequitur; frequens illorum praelectio, omnibus iudaeis fieri solita (Act. XIII, 27); ingens copia exemplarium, quae ante et post Christi adventum inter hebraeos, ubique terrarum degentes, distributa fuerunt; versio graeca horum librorum, tertio circiter saeculo ante Christum facta; exemplaria fere innumera, quae post Christum inter christianos disseminata fuerunt, non modo hosce libros quod ad substantiam integros servarunt, sed immo eorum corruptionem substantialem impossibilem reddiderunt.

§ CLXXIV. Libri sacri veteris foederis Pentateucho posteriores veridici sunt.

420. Eorum enim auctores 1° veritatem eorum quae scripserunt scire potuerunt, 2° in iis conscribendis sinceri fuerunt, et 3° aliis falsum obtrudere ne quidem impune potuissent, etiamsi voluissent; quare illorum libri omnem fidem merentur. Atque

1° Quidem omnes isti auctores fuerunt indigenae, alii rebus gestis quas retulerunt fuerunt coaevi, alii tametsi rebus gestis non aequales, ad sua tamen scripta conficienda usi sunt documentis coaevis, annalibus publicis, tabulisque genealogicis suae gentis. Hi vero scriptores fuerunt vel reges, vel principes, vel summi sacerdotes, vel viri docti, et virtutibus conspicui. Quare rerum quas scripserunt probe gnari esse potuerunt.

421. 2° Etiam sinceri fuerunt in suis scriptis, ut patet: — ex ingenua confessione criminum et errorum suae nationis, eiusque virorum illustrium; — ex insigni illorum modestia; — ex eminenti ipsorum pietate; — ex consensu eorum inter se quod ad eadem facta; — ex consensu illorum cum historia profana antiqua, quae ad nos pervenit; — et demum ex maxima veneratione, qua iudaei hosce libros semper prosecuti sunt, et hodieque prosequuntur, licet inter omnes nationes dispersi sint.

422. 3° Sed aliis falsum nequidem impune obtrudere potuissent, etiamsi voluissent; nam referunt res, quae aut recenter contigerant, aut ex documentis antiquis vel traditione cognitae erant, quas inter multae toti nationi iudaicae summam ignominiam creabant. Quare si scriptores veraces non fuissent, iudaei illis ut mendacibus adversati fuissent, atque universa natio ipsis fidem haud adhibuisset (conf. n. 34-36).

SECTIO III.

DE LIBRIS SACRIS NOVI FOEDERIS

§ CLXXV. De evangeliis.

423. Εὐαγγέλιον, *Evangelium*, graece *faustum nuntium* significat, ac continet historiam adventus, vitae, doctrinae, factorum, mortis et resurrectionis Iesu Nazareni, Messiae, Filii Dei. Hanc historiam conscripsere ss. Matthaeus et Ioannes, qui testes oculati et auriti factorum ac dictorum Iesu fuerunt, atque ss. Marcus et Lucas, qui testibus oculatis et auritis accensendi sunt, eo quod apostolorum comites, et primus s. Petri, alterque d. Pauli, potissimum discipulus fuerit, ac proinde uterque suam doctrinam ab apostolis acceperit.

DE EVANGELIO SECUNDUM MATTHAEUM

§ CLXXVI. Matthaeus. Aetas et lingua eius evangelii.

424. Matthaeus, qui et Levi nuncupatur (Luc. V, 27), filius Alphaei (Marc. II, 14), natione galilaeus, professione publicanus fuit (Matth. IX, 9).

Scripsit suum evangelium iuxta omnes codices graecos anno 41 aerae vulgaris, seu 8 post Christi gloriosam resurrectionem.

425. Usus est hebraeorum lingua vernacula, quae erat hebraica, seu syro-chaldaica, ut Papias, Origenes, Irenaeus, Eusebius, Hieronymus, Epiphanius, Cyrillus hieros., Chrysostomus, Augustinus, Auctor synopseos, Theodoretus, et omnes antiqui patres testantur (1).

Evangelium hoc illico in linguam graecam versum est, haecque versio prae textu primitivo adeo invaluit, quippe qui ab ebionitis fuerit corruptus, ut hic neglectus, et saeculo secundo deperditus sit. Quare textus hebraicus, qui modo extat, nihil aliud est quam versio translationis graecae, uti et nostra Vulgata.

Erasmus, Clericus, Lightfoot et nonnulli recentiores, quos inter cl. Hug (2), existimant linguam primigeniam evangelii s. Matthaei esse linguam graecam.

Verum haec sententia 1° antiquorum patrum testimonio repugnat, et 2° licet lingua graeca vigeret in Palaestina, iudaei tamen, populus praesertim, loquebantur communiter lingua hebraica, verbis chaldaicis et syriacis mixta, ut patet inde, — quod Christus ista lingua locutus sit. Verba eius in cruce: *Eloi, Eloi, Lamma sabachthani*, a s. Marco (15, 34) relata, sunt syriaca; — quod s. Paulus Hierosolymis captus idiomate hebraico, seu syro-chaldaico populum fuerit allocutus (Act. XXI, 40). Proindeque — Paraphrases Onkeli et Ionathan aliquanto post eadem lingua factae sunt. 3° Ex decem locis in hoc evangelio e veteri foedere citatis septem desumpti sunt e textu hebraico, et si tres reliqui e versione graeca LXX interpretum deprompti esse videntur, ratio est, quod tempore apostolorum versio graeca eiusdem cum textu hebraico esset auctoritatis; quare scriptores sacri novi foederis etiam iuxta illam scripturam sacram allegarunt. Caeterum interpres graecus haec loca e LXX interpretibus desumere potuit.

Occurrunt quidem nomina hebraica et syriaca, graece declarata, ut *Emmanuel*, *Golgotha*, *Haceldama*, *Eloi, Eloi*, *Lamma sabachthani;* at haec declaratio interpreti graeco est attribuenda.

(1) Papias apud Eusebium hist., l. 3, c. 39. Orig. ibid. l. 6, c. 25. Iren., l. 3, adv. haeres., c. 1 et 11. Euseb., l. 3, c. 24. Hier. Praef. in quator evang. Epiph Haer. 29. Cyril. catech. 14. Chrys. hom. 1 in Matth. August. de consensu evangelistarum, l. 1, c. 2.

(2) Hug Einleitung in die Schriften des neuen testaments, Tübingen, 1808.

§ CLXXVII. Locus scriptionis, et occasio proxima evangelii s. Matthaei. Pro quibus proxime scriptum? Eius scopus.

426. S. Matthaeus, fide aliquot annis in Iudaea annuntiata, ibidem et verisimiliter Hierosolymis, suum evangelium scripsit.

Occasionem proximam ei praebuerunt iudaei, qui Iesum Nazarenum e Davidis stirpe oriundum, e Maria natum, et miraculorum patratorem fatebantur quidem, ast illum Messiam esse inficiabantur. Quare s. Matthaeus scripsit hoc suum evangelium, et quidem proxime pro iudaeis christianis, quod vel elucet ex annotationibus morum, sectarum, opinionum, et rerum geographicarum, quas sine declaratione perstringit, utpote lectoribus horum gnaris supervacanea.

Scopus vero s. Matthaei fuit iudaeis probare, Iesum Nazarenum esse illorum Messiam, a prophetis praedictum, quod patet ex multis eiusdem citationibus vaticiniorum ac locorum veteris foederis, quibus Iesum Messiam esse ostendit.

Hinc patet, Matthaeum scripsisse dogmaticam Messiae historiam. Biographiam chronologicam Iesu haud scripsisse videtur, eo quod tres alii evangelistae alium ordinem teneant, Lucas praesertim, qui (c. I, 3) ait se omnia *ex ordine* scripturum.

§ CLXXVIII. Difficultates c. I et II evangelii Matthaei.

427. Nonnulli recentiores protestantes dubia movent, num haec duo capita sint s. Matthaei: 1° quod veteres aliqui de iis non loquantur; 2° quod genealogia c. I, 1-17, relata, contradicere videatur genealogiae Iesu a s. Luca c. 3, 23-38, traditae; et 3° quia c. 2 nonnulla occurrunt, quae apud alios evangelistas non leguntur.

1° Ast quod ebionitae haec duo capita reiecerint, et nonnulli antiqui de illis haud meminerint, minime impedit quominus sint s. Matthaei; nam: — Omnes emendatiores codices manuscripti, qui extant, omnesque antiquae versiones, haec duo capita ut s. Matthaei referunt; — patres antiquissimi, ut Iustinus, Irenaeus et Tertullianus (1), cum loca inde desumpta allegent, eo ipso probant, illa in antiquissimis manuscriptis fuisse; — argumentum horum capitum, v. gr. genealogia Iesu (c. I, 1-17), eorumque stylus, cum fine huius evangelii, atque stylo aliorum capitum ita conveniunt, ut illa capita s. Matthaeo auctori attribuenda esse clare pateat.

2° Antilogia autem inter genealogias Matthaei et Lucae, quam primus Iulianus imp., dein Bolingbrock aliique deistae, nuncque recentiores nonnulli acatholici obiiciunt, nonnisi apparens est; aliam enim uterque evangelista genealogiam scripsit, Matthaeus nempe naturalem Iosephi, et Lucas genealogiam Mariae (conf. 536-539).

3° Si vero pericopa alicuius evangelii ideo reiicienda esset, quod ab aliis evangelistis non referatur, multa e s. Luca, et totum fere evangelium s. Ioannis reiicienda forent, utpote quae ab aliis evangelistis non recensentur. Quisque evangelista in scribendo suo evangelio finem proprium sibi proposuit, et ad hunc finem selegit e vita Iesu ea facta et dicta, quae ad scopum suum aptiora erant, atque propterea apud aliquos evangelistas quaedam occurrunt, quae apud alios desunt.

DE EVANGELIO SECUNDUM MARCUM

§ CLXXIX. Marcus. Occasio proxima et aetas eius evangelii. Locus ubi scripsit, et pro quibus.

428. Marcus, natione hebraeus, ut eius hebraismi evincunt, discipu-

(1) Iust. in dial. Iren., l. 3, c. 9. Tert., l. 3. Marc., c. IX.

lus ac interpres fuit s. Petri, ut Papias, Irenaeus aliique antiqui scriptores testantur (1). S. Petrus eum (I Epist. 5, 13) suum filium appellat. Alius est ab illo Ioanne Marco, Mariae filio, de quo Act. XII, 12, mentio fit; veteres enim illum numquam Ioannem Marcum, sed simpliciter Marcum nuncupant, et Eusebius hos duos viros expresse distinguit.

Occasionem proximam huic evangelio praebuerunt, testibus Papia, Clemente Alex. (2), Epiphanio ac Hieronymo, christiani romani, qui Marcum rogarunt, ut quae Petrus praedicabat conscriberet; quare Marcus eorum votis annuens, ex praedicationibus s. Petri, quas, testibus Papia et Clemente Alex., notis excipiebat, atque ex evangelio s. Matthaei, cuius textum graecum prae oculis habuit, pro romanis suum evangelium scripsit Romae, iuxta codices graecos anno 45, et iuxta multos auctores anno 47 vel 48 aerae vulgaris. Illum proxime pro romanis scripsisse, insuper patet ex eo quod quae illis ex iudaeorum moribus, ritibus, etc., ignota esse poterant, explicet accurate; sic exponit (c. VII, 2), quod manducare κοιναῖς χερσίν, *communibus manibus* significet *non lotis nanibus* comedere, τοῦτ' ἔστιν, ait, ἀνίπτοις; c. XII, 42 monetam apud hebraeos usitatam λεπτόν, *Lepton*, romane aestimat κοδράντην, *quadrantem;* c. XV, 42 dicit Παρασκευή, *Pasceve*, esse προσάββατον, *ante sabbatum* etc.

§ CLXXX. Lingua et scopus evangelii s. Marci.

Scripsit autem Marcus graece, et non latine, ut eius graecismi hebraismis mixti evincunt, et antiqui fere omnes tradunt. Romani, praesertim nobiles, pro quibus teste Clemente Alex. potissimum scripsit, et apud quos commorabatur, atque alexandrini, ad quos profecturus erat, graeca praesertim lingua utebantur. Versio nostra vulgata sane textum graecum sapit. Quare manuscriptum latinum, cuius viginti prima folia Venetiis, et octo posteriora Pragae adservantur, nonnisi antiqua versio est textus graeci.

Scopus vero s. Marci est probare Iesum Nazarenum esse *rerum omnium dominum*, ut liquet ex adlegatione operum divinae eius potentiae, quae singulis fere capitibus refert.

§ CLXXXI. Comparatio evangelii s. Marci cum evangelio s. Matthaei.

430. Si Marci evangelium cum evangelio Matthaei comparetur, ambo evangelistae eadem facta referre videbuntur, excepto quod in Matthaeo sint tria facta, quae desunt in Marco, et quatuor in Marco, quae non sunt in Matthaeo. Facta a Marco omissa sunt: 1° de centurione (Matth. VIII, 5-9); 2° de illo, qui Christum sequi, sed prius patrem sepelire volebat (Matth. VIII, 19, etc.); ac 3° de immundo spiritu (Matth. XII, 43), etc. Facta a Matthaeo omissa sunt 1° de Daemonio immundo in synagoga (Marc. I, 23-25); 2° de parvulis ad Christum accedentibus (Marc. X, 14-15); 3° sanatio surdi et muti ope sputi (Marc. VII, 31, etc.), et 4° sanatio caeci in urbe Bethsaida (Marc. VIII, 22, etc.)

Habuit Marcus textum graecum evangelii Matthaei prae oculis, ut frequentes locutiones evincunt, quae in textu graeco s. Matthaei eaedem sunt; atque ex illo, et ex praedicatione s. Petri suum evangelium confecit. Cum autem Marcus scriberet pro gentilibus, omisit ex Matthaeo quae iudaeos tantum respiciebant, addidit autem quatuor nova facta, et nonnulla rerum adiuncta.

(1) Pap. ap. Euseb. l. 2, c. 14. Iren., l. 3, c. 1.

(2) Apud Euseb., l. 2, c. 16.

Marcus comparatus cum Luca, ordinem chronologicum servasse videtur.

Nonnulli Marcum Matthaei compendiatorem dixerunt, at perperam: 1° Matthaeus quaedam habet, quae desunt in Marco, ac vicissim; 2° ordo factorum in Marco, diversus est ab illo Matthaei, et 3° Marcus particularia rerum adiuncta, mores et ritus iudaeorum communiter explicat, quod Matthaeus haud facit.

Marcus frequentem mentionem facit Petri, omittit vero aut leviter tantum attingit quae alii evangelistae in eius laudem referunt; et praeconium, quod Christus de illo, postquam ab ipso ut filius Dei agnitus esset, edidit, haud refert, triplicem autem illius negationem sat fuse narrat; qua re confirmatur antiquorum traditio, Petrum Marci evangelium perlegisse, et sua auctoritate munitum ecclesiis legendum dedisse, indeque antiqui Marci evangelium κήρυξιν Πέτρου, *praedicationem Petri* appellarunt.

§ CLXXXII. De proto-evangelio Matthaei et Marci.

431. Nonnulli recentiores existimant, Proto-evangelium extitisse, e quo Matthaeus et Marcus suum evangelium desumpserint.

Ast nemo veterum scriptorum huiusmodi evangelii mentionem fecit. Si s. Iustinus, ad quem adversarii allegant, quaedam loca aliter citat, atque in evangeliis Matthaei et Marci legimus, hoc dumtaxat probat, Iustinum quaedam scripturae loca quod ad sensum solummodo adlegasse, cum eumdem textum variis in locis aliter citet, idemque nonnulli alii patres antiqui pariter fecerunt (conf. n. 506). Caeterum hypothesis ista est omnino inutilis; ad consensum et dissensum Matthaei et Marci explicandum sufficit cum antiquis patribus dicere, Marcum ex evangelio Matthaei, et ex praedicatione Petri suum evangelium confecisse.

§ CLXXXIII. Difficultates capitis 16 evangelii s. Marci.

432. Nonnulli recentiores protestantes dubitant, num 12 ultimi versus capitis XVI sint s. Marci: 1° aiunt, desunt in multis antiquis codicibus, testibus Gregorio Nyss. et Hieronymo (1). Hieronymus: « Hoc » Marci testimonium, inquit, in raris fertur evangeliis, omnibus graecis libris pene hoc caput non habentibus » (2). 2° Versus 9 contradicit Matth. XXVIII, 1.

Sed 1° pericope isthaec aut amanuensium incuria aliquando descripta non fuit, aut de industria omissa est ob apparentem antilogiam. Nulla occurrit ratio, cur evangelio s. Marci addita fuerit, si illius non esset; illam autem esse s. Marci liquet: — ex omnibus fere antiquis manuscriptis extantibus, impressisque codicibus, qui illam continent; — ex antiquissimis patribus, ut Irenaeo, Tertulliano, Clemente, Hippolyto, Ambrosio, Augustino et aliis. S. Hieronymus ipse hosce versus explicat ex recensionibus Origenis, Hesychii ac Luciani, in quibus reperitur; — ex consensu omnium antiquorum exemplarium latinorum, syriacorum, arabicorum, etc.; — ex ipsa terminatione versus 8; non enim verisimile est, Marcum conclusisse suum evangelium hisce verbis: *Timebat enim,* atque omisisse praecipuum miraculum Iesu, eius nempe gloriosam resurrectionem.

2° Antilogia ista nonnisi apparens est, uti videbimus n. 561.

DE EVANGELIO SECUNDUM LUCAM

§ CLXXXIV. Lucas. Occasio proxima, lingua et aetas eius evangelii.

433. S. Lucas patria Antiochenus (Euseb. l. 3, c. 4), arte medicus

(1) Greg. Nys. orat. 2, de resurrect.

(2) Hier. Epist. ad Hedibiam.

fuit (Colos. IV, 14, Hier. de Script. Eccles.) Aliis videtur fuisse iudaeus hellenista, quod scripturam sacram iuxta LXX interpretes adleget, aliis vero gentilis, quod d. Paulus (Coloss. IV, 10, 11, 14) illum a iudaeis distinguere videatur. Discipulus ac coadiutor fuit s. Pauli (Philem. v. 24), quem in omnibus fere itineribus comitatus est, ut ex actibus apostolorum constat.

Occasionem proximam huic evangelio praebuerunt facta et adiuncta a Matthaeo et Marco omissa, et narrationes haud omnino accuratae vitae Iesu, quas nonnulli contexuerant.

Accepit autem Lucas materiam sui evangelii ab apostolis et discipulis Iesu, ut ipse (c. I, 1-2) tradit.

Scripsit eleganti sermone graeco, iuxta multos auctores anno 53, et iuxta codices graecos 51 aerae vulgaris.

§ CLXXXV. Locus ubi hoc evangelium scriptum est. Pro quo? Eius scopus.

434. Scripsit Lucas suum evangelium in Achaiae Baeotiaeque partibus, ait s. Hieronymus, probabiliter Corinthi, et quidem proxime in gratiam cuiusdam Theophili (c. I, 1-4), qui vir princeps romanus fuisse videtur, eo quod titulus *Optimus*, quo illum compellat, tribui dumtaxat soleret summis sacerdotibus, provinciarum praesidibus, summis aedilibus, etc., quodque nomina propria sine necessitate pro nominibus appellativis sumi non debeant.

Cum Lucas proxime scripserit in favorem Theophili gentilis ad fidem conversi, nomina hebraica *Rabbi*, *Amen*, graece reddidit per Διδάσκαλον, Ἐπιστάτα, *Magistrum*, et ἀληθῶς, *vere*, eidemque proinde explicat quaenam sint civitates Capharnaum, Nazareth, ubi sit regio gerasenorum, mons Oliveti, etc. In actibus vero apostolorum, quos ut evangelium Theophilo dedicavit, Italiae Siciliaeque urbes, ut Puteolum, Regium, Syracusas, etc. sine explicatione nominet utpote Theophilo notissimas.

Scopus autem Lucae est probare, Iesum Nazarenum esse verum hominum salvatorem, ut ex factis et adiunctis vitae Iesu, quae refert, patet; insuper nonnulla a Matthaeo et Marco omissa supplere, et parum accuratas narrationes vitae Iesu oblitterare.

§ CLXXXVI. Comparatio evangelii Lucae cum evangeliis Matthaei et Marci.

435. Prae manibus habuit Lucas textus graecos evangeliorum Matthaei et Marci, ut ex multis, quae ex illis in eius evangelio ad litteram occurrunt, constat: sic ex Matthaei cap. VIII, 9, 19; etc. XII, 43, etc. eisdem verbis refert c. VII, 8; IX, 57, etc. XI, 24, facta de centurione, de illo qui Christum sequi, sed prius patrem mortuum sepelire volebat, et de immundo spiritu, quae Marcus omisit. Ex Marco narrat, quae Matthaeus omiserat, et verbotenus ex Marci c. I, 24-25; X, 14-15, recenset c. IV, 34-35 factum de daemonio immundo in synagoga, c. XVIII, 16-17, factum de parvulis ad Christum venientibus, etc.

Refert Lucas omnia quae in evangeliis Matthaei et Marci occurrunt, praeter sequentia: — factum de discipulis in mari navigantibus, quibus apparet Christus super fluctus incedens (Matth. XIV, 23, etc. Marc. VI, 45, etc.); — historia de pharisaeis conquerentibus, quod discipuli Iesu illotis manibus manducarent (Matth. XV, 1, etc. Marc. VII, 1, etc.); — eiectio daemonis e filia mulieris chananaeae (Matth. XV, 21, etc. Marc. VII, 24, etc.); — sanatio surdi et muti adhibito sputo (Marc. VII, 31, etc.); — refectio 4,000 hominum (Matth. XV, 32, etc. Marc. VIII, 1, etc.); — historia

pharisaeorum a Christo signum petentium (Matth. XVI, 1, etc. Marc. VIII, 11, etc.), discipulorum, qui a fermento pharisaeorum cavere iubentur (Matth. XVI, 5, etc. Marc. VIII, 14, etc.), ac sanationis caeci in urbe Bethsaida (Marc. VIII, 22, etc.).

Cum Lucas Marcum communiter sequatur, et ista facta ab illo praetermissa a Marco referantur partim ante duo miracula, quibus Christus primum 5,000 et dein 4,000 hominum cibavit, et partim immediate post secundum hoc miraculum; cumque Lucas referat quae primum istud miraculum in Marco antecedunt, ac secundum consequuntur (Marc. VI, 14, etc. VIII, 27, etc. Luc. IX, 7, etc. ac v. 18, etc.); atque post narrationem primi miraculi illico transeat ad ea, quae secundum miraculum subsequuntur; suspicantur nonnulli, amanuensium negligentia ob similitudinem duorum miraculorum omissa esse e Luca non modo quae in Marco deprehenduntur, verum etiam alia, quae in nullo quidem evangelista leguntur, sed tamen a primis ecclesiae patribus ut dicta et facta Iesu commemorantur; eo magis quod Lucas promittat, se *omnia ex ordine* scripturum (c. I, 3). Immo ipse Lucas (Act. XX, 35) hanc sententiam ut dictum Iesu celebrat: *Beatius est magis dare quam accipere;* licet in suo evangelio eiusdem mentionem non faciat. Verum cum nullus antiquus pater, nullusque antiquus codex insinuet, quaedam e Luca esse deperdita; oportet illa aut primis ecclesiae temporibus ex eius evangelio excidisse, aut numquam inibi fuisse.

Lucas in eis, quae cum Matthaeo ac Marco communia habet, ordine rerum ac dictionis pressius sequitur Marcum, ut patet in textu graeco ex collatione descriptionum miraculi 5,000 hominum nutritorum (Matth. XIV, 15. Marc. VI, 36. Luc. IX, 12); missionis discipulorum ad praeparandum pascha (Matth. XXVI, 18; Marc. XIV, 23; Luc. XXII, 10): iuvenis, qui Christum sequi volebat (Matth. XIX, 16; Marc. X, 17; Luc. XVIII, 18); resurrectionis, filiae Iairi, et haemorrhoissae (Matth. IX, 18; Marc. V, 23; Luc. VIII, 40, etc.) Lucas Marcum dumtaxat deserit, quando eius dictio aut est obscura, aut non satis graeca, aut hebraizans.

Marcionitae, qui solum Lucae evangelium agnoscebant, duo priora eiusdem capita reiiciebant (Tert. cont. Marcion. l. 5. Epiph. Haer. XLII).

Tertullianus et auctor Synopseos existimant evangelium Lucae proprie esse evangelium d. Pauli. Verum doctor gentium illud solummodo adoptarat. Paulus de eo loqui creditur quando (Rom. II, 16) ait: Κατὰ τὸ Εὐαγγέλιόν μου, *iuxta evangelium meum.* Conf. c. XVI, 25; II Cor. VIII, 18; II Tim. II, 8.

§ CLXXXVII. Difficultates Luc. XXII, 43-44.

436. Historia de sudore sanguineo Christi, ac angeli illum consolantis (Luc. XXII, 43-44), teste s. Hilario (1), in multis graecis latinisque codicibus defuit, et teste Photio (2), ab armenis e Lucae evangelio deleta fuit.

Verum duo isti versus amanuensium incuria omissi, vel de industria expuncti sunt a viris, qui perperam metuebant, ne haec humanae Christi naturae testimonia eius divinitati obessent, ut observat s. Hieronymus (3).

Armeni falso putabant, hanc historiam divinitate Christi indignam esse, ut Nichon (4) testatur, eorum

(1) Hil., lib. 1, de Trinit., cap. 41.
(2) Epist. 158.
(3) Dial. 2, cont. Pelag.
(4) De Pess. Rel. Arm. apud Calmet.

autem errorem damnat ipse Photius (1).

Reperitur vero haec historia in plerisque graecis ac latinis codicibus, ac versionibus antiquissimis, citaturque ab Ireneo, Iustino, Epiphanio, Hyppolyto, Chrysostomo, Augustino, etc. (2).

S. Epiphanius (3) scribit, fuisse exemplaria evangelii s. Lucae, ubi versus 41 cap. 19 de fletu Iesu sublatus erat; observat autem, illum ablatum fuisse a viris, qui perperam existimabant, ploratum Christo indignum esse. Versus iste in melioris notae exemplaribus reperitur, adlegaturque a s. Irenaeo, qui (lib. 1, c. 21 contra Haer.) eum refert.

DE EVANGELIO SECUNDUM IOANNEM

§ CLXXXVIII. Ioannes. Occasio proxima eius evangelii. Pro quibus est proxime scriptum?

437. S. Ioannes, frater s. Iacobi maioris, Bethsaidae, urbe Galilaeae, ex Zebedaeo et Salome natus (Matth. XXVII, 56 coll. cum Marc. XV, 40) professione piscator fuit. Iuvenis admodum erat cum a Christo in discipulum electus fuit, ut liquet e longo tempore, quo post Christi mortem vixit. Christus illi et eius fratri nomen Boanerges, id est *filii tonitrui,* imposuit (Marc. III, 27). Christi dilectus fuit discipulus, atque ita ipse se designat (c. XIII, 23; XIX, 26; XX, 2; XXI, 20). Interfuit Christi transfigurationi cum fratre Iacobo ac Petro (Matth. XVII, 1). Cum Iacobo fratre ac Petro Christum comitatus est in hortum Gethsemani (Matth. XXVI, 37), illumque cum matre eius in montem Calvariae secutus est, ubi eum Christus e cruce pendens matri suae commendavit hisce verbis : *Mulier: Ecce filius tuus,* illique de divina sua matre: *Ecce,* inquit, *mater tua,* XIX, 25-26. Ab hoc tempore Ioannes matrem Christi secum sumpsit.

Ioannes plures in Asia minori erexit ecclesias, quibus diu placide praefuit, usque dum sub persecutione *Domitiani,* vel iam antea sub Nerone (n. 495), Romam duceretur, ubi iuxta testimonium Tertulliani(4), quod sequitur Hieronymus (5), dolio effervescentis olei immersus fuit, indeque illaesus exivit. Dein vero in insulam Pathmos in mari Aegaeo relegatus fuit (6). Ab exilio liberatus Ephesum rediit, ubi iuxta Polycratem, Irenaeum, Tertullianum, Eusebium, Hieronymum, Ambrosium, Chrysostomum, concilium ephesinum, omnesque antiquos scriptores ecclesiasticos, mortuus ac sepultus fuit anno tertio imperii Traiani seu 101 aerae vulgaris iuxta Eusebium, aetatis anno circiter 100.

Occasionem huic evangelio praebuerunt omnes fere Asiae episcopi ac legati plurium ecclesiarum Asiae (7), Ioannem deprecantes, ut authenticum testimonium ederet contra Cerinthum, Ebionem et Valentinum, qui Christi divinitatem negabant atque multa facta et dicta Iesu a Matthaeo, Marco et Luca omissa impugnabant (8). Ex quibus patet, Ioannem historiam dogmaticam Iesu conscripsisse, et proxime quidem pro christianis Asiae.

§ CLXXXIX. Locus scriptionis huius evangelii Eius aetas, lingua et scopus.

438. Veteres nonnulli existimarunt, Ioannem suum evangelium scripsisse in insula Pathmos; at communiter creditur, eum illud conscripsisse Ephesi, post suum reditum ex

(1) Loco cit.
(2) Iren., lib. 3, c. 33. Iust. dial. cum Triph. Epiph. Anchor., cap. 31. Hippol. cont. Noctum, c. 15. Chrys. hom. 84, in Matth. Aug. de concord. vang.
(3) Anchor. 21.

(4) Lib. praescrip., c. 36.
(5) Lib. 1 contra Iovinian.
(6) Euseb., l. 3, c. 18.
(7) Hieron. praef. in comment. in Matth. et de scrip. eccles. Ioannes. Euseb., l. 6, c. 14.
(8) Euseb. l. 3, c. 24. Hier. de scrip. eccles.

laudata insula, iuxta nonnullos codices graecos anno 64, iuxta alios anno 94, et iuxta plures auctores anno 97 aerae vulgaris.

Contendunt alii Ioannem suum evangelium in insula Pathmos scripsisse, ac dein Ephesum misisse ad Caium quemdam; adlegant I Epistolam Ioannis, quam ut epistolam dedicatoriam evangelii habent, et ex insula Pathmos Ephesum missam fuisse credunt. Cum Ioannes in hac epistola dicat: *Quod audivimus, quod vidimus... annuntiamus vobis*, etc., aiunt hunc prologum indicare historiam Iesu, quae in hac epistola non reperitur. Ast communiter haec epistola scripta esse creditur Ephesi, ut evangelium.

Lingua primigenia huius evangelii est lingua graeca.

Scopus Ioannis in suo evangelio est: 1° probare divinitatem Iesu Nazareni, ut colligitur tum ex c. XX, 31, ubi ait: « Haec autem scripta » sunt, ut credatis, quia Iesus est » Christus filius Dei, et ut credentes » vitam habeatis in nomine eius; » tum ex c. IX, 35-38; X, 30; XI, 1, 27; XII, 44-49, tum ex testimoniis Irenaei, Clementis Alex., Origenis, Eusebii, Athanasii ac Hieronymi.

2° Voluit Ioannes supplere evangelia Matthaei, Marci et Lucae, ut ex Eusebio, Hieronymo (2), et ex collatione eius evangelii cum tribus superioribus liquet.

§ CXC. Comparatio evangelii Ioannis cum evangeliis Matthaei, Marci et Lucae.

439. Si comparetur evangelium Ioannis cum evangeliis trium aliorum evangelistarum, patet Ioannem, paucis factis exceptis, alia ut nota sumere, et quamplurima nova facta et dicta Iesu, rerumque adiuncta referre, ut historiam initii praedicationis Iesu usque ad captivitatem Ioannis Baptistae, varia adiuncta passionis, mortis et resurrectionis Iesu. Inter alia silentio praeterit professionem divinitatis Iesu a daemone in synagoga Capharnaumi, et a daemonibus regionis gerasenorum expressam, et cui ipse interfuerat (Matth. VIII, 29; Marc. I, 29; V, VII, 37; Luc. VIII, 28, 51), notam ponit transfigurationem Iesu, cui pariter praesens fuerat (Matth. XVII, 1; Luc. IX, 28), silentio premit baptisma Christi, eius testimonium coram Caipha, confessionem Petri, praedictionem Iesu de ruina Hierosolymae, quae quando scripsit Ioannes iam adimpleta erat, etc., licet haec ad eius scopum imprimis conduxissent. Unde liquet, Ioannem tres alios evangelistas supplere voluisse. Scripsit proinde post ipsos Ioannes suum evangelium.

Pro consensu quatuor evangelistarum Matthaeus ex Marco, hi ambo ex Luca, et omnes tres ex Ioanne supplendi sunt.

§ CXCI. Difficultates Ioan. VIII, 2-12.

440. Historia mulieris adulterae c. VIII, 2-12, relata pluribus in antiquis codicibus, praesertim graecis, patrum operibus, allegationibus, ac in versionibus syriaca et coptica deest. Maldonatus de illa: « Consului, » inquit, veteres graecorum codices » multos, nullus ex Mss. habebat » praeter unum (2). »

Verum reperitur haec historia:— in multis codicibus graecis antiquissimis meliorisque notae, quos Millius allegat. Beza ipse (in annotationibus): « Ex vetustis nostris co- » dicibus septemdecim, inquit, u- » nus dumtaxat illam non habet.» — Legitur in omnibus exemplaribus latinis, et in versione arabica. — De illa loquuntur Ammonius ac Tatianus (3), Auctor synopseos, Augusti-

(1) Euseb., l. 3, c. 24. Hier. de script. eccles.

(2) Maldon. comment. in Ioan.
(3) In Harmonia.

nus, Chrysostomus, ac Euthymius(1). Eusebius in canonibus ex Ammonio collectis hanc historiam genuinam praedicat, licet (lib. 3, c. XXXIX) dicat illam in evangelio secundum hebraeos reperiri. — Nexus ipse hanc historiam genuinam esse ostendit; versu enim 12 legitur: « Iterum ergo eis Iesus locutus est, » ubi vox *iterum* evincit Iesum iam antea pharisaeis locutum esse, quod falsum oret, si historia isthaec abscinderetur. — Ratio dissensionis inter codices antiquos est isthaec: graeci christiani, nimium delicati, existimarunt, ut observat Augustinus(2), laudatam historiam in ecclesiis publice praelegendam non esse, ne mulieribus peccandi licentia dari videretur. Alii vero metuebant, ne gentiles ex hac historia ansam sumerent christianos perperam incusandi, quod crimina publica excusarent. Hinc facile contigit, ut haec historia primum obelo notaretur, dein in codicibus publice praelegendis haud scriberetur, ac ita error in aliquos alios codices irreperet.

§ CXCII. Difficultates Ioan., c. XXI.

441. Ioannes, inquiunt nonnulli protestantes recentiores, c. XX, 31, finem suo evangelio imponit; proinde caput XXI illius non est. Hoc 1° innuunt quae c. XXI, 23, leguntur de Ioannis immortalitate: « Sic eum volo manere donec veniam; » 2° pluralis *scimus*, etc. qui v. 24 occurrit; 3° hyperbole v. 25, quod totus mundus capere haud posset libros, qui omnia dicta et facta Iesu continerent; 4° antilogiae; nam Iesus apparens apostolis (c. XX, 26) illis praecipit ne Hierosolymis discedant ante adventum Spiritus sancti, ut liquet ex Luc. XXIV, 49, et Act. I, 3-4. Iuxta hoc caput XXI apparet Christus apostolis ante adventum Spiritus sancti in Galilaea, egressis proinde Hierosolyma.

Ast finis capiti XX impositus solummodo arguit Ioannem tum evangelium suum finiendi animum habuisse. Ratio, cur caput XXI postea adiecit, est nexus, qui inter visionem ab apostolis (c. XX, 26-2[9]) habitam, illamque hoc capite XX[I] narratam, intercedit. Ioannes autem, ut constaret caput XXI ab eo esse, hanc adhibuit cautionem ut v. 24 suam personam indigitaret, ac v. 2[5] finem toti evangelio imponeret.

Caeterum hoc caput Ioannis esse constat ex notis libro interioribus: — ex abundantia narrationis adiunctis vestitae, quae nonnisi testi oculato et piscatori nota esse poterant (conf. v. 7, 8, 11); — ex consensu factorum cum characteribus personarum (conf. v. 7, 15-19); — ex stylo, qui est idem ac in caeteris capitibus; — ex patribus antiquissimis, vetustissimisque codicibus atque versionibus.

2° Iuxta textum graecum legendum est: « Si, ἐὰν eum volo mane- » re donec veniam, quid ad te? »

3° Nihil mirum, quod Ioannes hic pluralem adhibeat; adhibuit enim pariter c. I, 14; III, 11; I Epist. I, 1-3.

4° Hyperboles huiusmodi orientalibus familiares sunt, ut constat ex huius evangelii cap. XII, 19 coll. Gen. XI, 4; Num. XIII, 33, etc.

5° Prohibitio Hierosolymis non discedendi apostolis facta est post quam Iesu apparuit in Galilaea, ut ex Matth. XXVI, 32; XXVIII, 7, 10, certum est; ibi enim legitur, Christum promisisse, se primum appariturum apostolis in Galilaea.

442. Existimarunt plures veteres quatuor evangelistas in quatuor animalibus Ezechielis (c. I), et Apo-

(1) August. de coniug. adulter., l. 2, c. 7. Chrys. hom. 60 in Evang. Io. Euthym. comm.

(2) Loco cit.

calypseos (c. IV) praesignatos fuisse; de applicatione autem horum animalium ad evangelistas haud concordes fuerunt. Sed saeculo quinto praevaluit opinio s. Hieronymi, quam Sedulius, illius aevi poëta, sequentibus versibus exprimit:

Hoc Matthaeus agens hominem generaliter implet.
Marcus ut alta fremit vox per deserta leonis.
Iura sacerdotii Lucas tenet ore iuvenci.
More volans aquilae verbo petit astra Ioannes.
Quatuor hi proceres, una te voce canentes,
Tempora seu totidem latum sparguntur in orbem (1).

DE ACTIBUS APOSTOLORUM

§ CXCIII. Auctor, occasio proxima, lingua et aetas Actuum Apostolorum. Locus eorum scriptionis.

443. Actuum apostolorum auctor est Lucas evangelista, qui eos dicavit eidem Theophilo, cui suum evangelium dedicaverat (n. 434).

Occasionem illis dederunt varia fabulosa apostolorum acta (n. 22), et inspiratio Spiritus sancti miracula sua in serae posteritatis memoriam utilitatemque conscribi volentis.

Scripsit Lucas hosce Actus lingua graeca. Stylus eius est nobilis, et orationes sunt elegantes. Tempus, quocum desinunt hi actus, probat Lucam hanc historiam conscripsisse Romae, circa finem secundi anni, quo Paulus Romae degebat in domo quam conduxerat, anno scilicet 63 aerae vulgaris, ita ut hi Actus complectantur historiam 30 circiter annorum (conf. n. 477).

§ CXCIV. Argumentum et scopus Actuum Apostolorum.

444. Continent Actus apostolici generatim executionem illius praecepti, quod Christus apostolis dederat dicens: « Euntes in mundum u» niversum, praedicate evangelium » omni creaturae » (Marc. XVI 15); recensentur in eis purissima nostrae religionis primordia in Iudaea, illibati primitivorum christianorum mores, fervor ac sanctitas, et enarratur quomodo lumen fidei gentilibus sit communicatum, ac quomodo Petrus et Paulus illud longe dissitis regionibus intulerint.

Unum ex factis maxime stupendis est conversio Pauli, quae Georgium Littleton, celebrem deistam anglum, ad Christum reduxit (2).

Scopus Lucae est veram primitivae ecclesiae historiam contexere, ut eam falsis historiis opponat, atque miracula Spiritus sancti serae posteritatis memoriae transmittat. Ponit haec historia christianis ob oculos aureum ecclesiae saeculum, eisque exempla intemeratae vitae tradit.

« Acta apostolorum, ait Hierony» mus, nudam quidem videntur so» nare historiam, et nascentis ec» clesiae infantiam texere: sed si » noverimus scriptorem eorum esse » Lucam medicum, cuius laus in e» vangelio fuit, animadvertemus pa» riter omnia verba illius esse me» dicinam (3). »

DE EPISTOLIS D. PAULI

§ CXCV. Paulus.

445. Paulus, antea *Saulus* nuncupatus, parentibus hebraeis de tribu Beniamin (Rom. XI, 1) Tarsi in Ciliciae metropoli natus (Act. XXII, 3), proindeque ob romanum ius civitatis, huic urbi ab Augusto imp. concessum, civis romanus fuit (Act. XXII, 25-27). Artibus liberalibus imbutus, Hierosolymis a Gamaliele, doctore pharisaeo (Act. V, 34), in lege Moysis eruditus fuit (Act. XXII, 3), sectamque pharisaeorum secutus est (Phil. III, 5). Iudaeorum more litterarum studio opificium

(1) De evangelistarum symbolis vide Du Pin: Dissert. prélim. sur la Bible, t. II, § 2; et Saurin: Discours des quatres evangélistes avec leurs symboles

(2) Scripsit Littleton dein opus inscriptum: Religio christiana demonstrata per conversionem et apostolatum s. Pauli.

(3) Hier. de script. eccles.

coniunxit, et commendatam apud cilices artem tentoria ex corio in usum militiae conficiendi exercuit, eamque, inter gentiles evangelium annuntians, ne alicui esset oneri, continuavit (II Thess. III, 8). Cum esset pharisaeus zelosus, christiani nominis hostis infensissimus fuit (Phil. III, 6).

Interfuit caedi Stephani protomartyris, custodivitque lapidantium vestes (Act. VII, 57). Orta Hierosolymis in christianos persecutione, Paulus illos inquirebat atque iudicibus condemnandos tradebat (Act. VIII, 3). Cum fideles ob persecutionem dispergerentur, ac ita evangelium propagaretur, Paulus a summo sacerdote petiit ac obtinuit litteras, quibus poterat christianos Damasci capere, vinctosque ducere Hierosolymam puniendos (ib. c. IX, 1-2). Caedem igitur christianorum spirans, se itineri commisit, sed prope Damascum humi prodigiose prostratus, et Christi voce perculsus atque commotus, ad eumdem se convertit (Act. IX), Damasci dein ab Anania baptizatus, et a caecitate liberatus, mox Christi evangelium ingenti zelo intrepide annuntiavit, atque ita suum apostolatum auspicatus est (ib.). Maximis exantlatis laboribus, periculis quam plurimis superatis, multifarias aerumnas pro Christo forti animo perpessus, et longe lateque christiana religione propagata, anno 66 aerae vulgaris Romae sub imperatore Nerone capite plexus, mercedem gloriosam laborum, palmamque martyrii nactus est.

§ CXCVI. De epistolis d. Pauli generatim.

446. Scripsit hic doctor gentium quatuordecim epistolas, quae in bibliis disponuntur iuxta dignitatem ecclesiarum, ad quas missae sunt, et iuxta materiam quam complectuntur, neutiquam iuxta ordinem chronologicum.

En earum ordinem chronologicum

			Anno aerae vulg.
I ad Thessalonicen.	scripta	Corinthi	52
II ad Thessalonicen.		Corinthi	53
Ad Galatas		Ephesi	55 vel 56
I ad Corinthios		Ephesi	56 vel 57
II ad Corinthios		in Macedonia	57 vel 58
Ad Romanos		Corinthi	57 vel 58
Ad Philemonem		Romae	61
Ad Philippenses		Romae	62
Ad Colossenses		Romae	62
Ad Ephesios		Romae	63
Ad Hebraeos		Romae	63
I ad Timotheum		In Macedonia	64
Ad Titum		Nicopoli	64
II ad Timotheum		Romae	65

Subscriptiones, quae in textu graeco extant, non a d. Paulo, sed serius adiectae esse videntur; quare in Vulgata non leguntur.

§ CXCVII. Stylus d. Pauli.

447. Paulus, licet optime in rhetorica et philosophia versatus, iis tamen suis in epistolis artificiose non utitur: « Sermo meus, ait, et prae» dicatio mea, non in persuasibili» bus humanae sapientiae verbis, » sed in ostensione spiritus et vir» tutis (I Cor. II, 4). »

Cum multiplicibus gravaretur curis, spirituque Dei vehementer incitaretur, potius ad rerum substantiam quam dictionem attendebat. Quare eius lingua graeca quandoque pura non est, locutionesque crebro hebraicum potius quam graecum idioma sapiunt. Frequenter, neglecta constructione, incipit periodos, quas haud absolvit, rerum potius earumque notionum, quam verborum nexus studiosus. Cum ardenti animarum zelo aestuaret, veritates fidei, quae illi assidue ob oculos versabantur, suis lectoribus simul ingerere volebat; indeque tot digressiones, parentheses, ac traiectiones in eius litteris occurrunt, quae una cum altitudine sublimioris doctrinae, illius stylum intellectu difficilem reddunt: quare s. Petrus de epistolis d. Pauli dicebat: « In quibus sunt

» quaedam difficilia intellectu, quae » indocti ac instabiles depravant (II » Pet. III, 15-16). » Nihilominus doctor gentium sua argumenta mire amplificat aut perstringit; lectores modo erigit, modo percellit, modo leniter et modo vehementer afficit, atque in eis varios affectus pro diversitate argumenti excitat: « Quo» tiescumque lego Paulum, aiebat » Hieronymus, videor mihi non ver» ba sed audire tonitrua (1). »

DE EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD ROMANOS

§ CXCVIII. Locus scriptionis, aetas et lingua epistolae ad Romanos.

448. Scripta fuit haec epistola, dictante s. Paulo, ab amanuensi Tertio (c. XVI, 22) Corinthi, Achaiae metropoli, et Romam delata apparet per Phoeben diaconissam seu ministram ecclesiae cenchreensis. Erant Cenchrae portus urbis Corinthi (c. XVI, 1-2). Corinthum esse locum scriptionis huius epistolae, patet tum quod epistola per Phoeben corinthiam missa appareat, tum quod Paulus (c. XVI, 23) mittat salutationem sui hospitis Caii, qui Corinthi habitabat (I Cor. I, 14), tum quod subscriptio graeca habeat: Ἐγράφη ἀπὸ Κορίνθου, *scripta a Corintho*. Videtur epistola isthaec scripta anno 57 vel initio anni 58 aerae vulgaris.

Linguam primigeniam huius epistolae esse graecam et non latinam liquet, tum ex consensu omnium fere interpretum, tum ex graecismis in illa occurrentibus, tum ex agendi ratione interpretum, qui in dubiis de versione vulgata ad textum graecum tamquam ad fontem recurrunt.

§ CXCIX. Occasio proxima epistolae ad Romanos.

449. Occasionem proximam huius exarandae epistolae Paulo dedit gravis et perniciosa disceptatio Romae exorta inter gentiles conversos et iudaeos christianos, utraque parte contendente, se prae altera vocationem ad fidem meruisse. Gentiles christiani gloriosius iactitabant suorum philosophorum doctrinam, virtutes morales, ut philosophiae partus, docilitatem in amplectenda fide, levitatem suorum peccatorum, utpote ex ignorantia potius quam ex malitia idololatriae propria admissorum; proindeque iudaeos ut Christicidas adspernabantur.

Iudaei conversi e contra magnificentius extollebant proavorum sanctitatem, suam in populum praedilectum electionem, promissionem Messiae suae genti factam, custodiam eloquiorum Dei ipsis concreditam, observationem legalium, etc.; propterea que gentiles ut idololatras despiciebant.

§ CC. Argumentum et scopus huius epistolae.

450. Paulus igitur in hac epistola in eo versatur, ut gentiles perinde atque iudaei conversi superbiam ponant; ipsis ostendit, vocationem ad fidem, seu gratiam Christi, non attribuendam esse antecedentibus meritis, vel operibus legis naturalis aut mosaicae, sed gratiae misericordiaeque Dei. Gentiles itaque et iudaeos in negotio salutis adaequat. Tandem postquam apostolus de paucitate iudaeorum, qui Christi fidem amplexi erant, et de reliquorum obstinata caecitate verba fecit, c. XI, 25-27, iudaeos omnes tandem aliquando Christo nomen daturos esse praedicit.

C. IX, 6-24, scribit doctor gentium, Iacobum electum, Esau vero reprobatum fuisse secundum propositum electionis, antequam aliquid boni aut mali egissent; Deum Iacobum dilexisse, Esau autem odio habuisse; cuius vult misereri, quemque

(1) Hier. epist. 61 ad Pammachium.

velit, indurare vicissim; quemadmodum figulus eadem ex massa vas in honorem, et vas in contumeliam efficit. Unde *reformati* colligunt Deum ita agere in negotio praedestinationis et reprobationis.

Ast ibi de praedestinatione ad gloriam et reprobatione aeterna sermo non est: loquitur ibi apostolus de multorum iudaeorum reiectione a fide, et de gentilium vocatione ad ecclesiam, quam ad se tantum pertinere iudaei pertinaciter asserebant; nulla enim inter gentiles et iudaeos Romae commorantes tum movebatur controversia de praedestinatione et reprobatione, sed de discrimine gentiles inter ac iudaeos quod ad vocationem ad fidem. Paulus, ut occurrat obiectioni quod Deus sit iniustus, adducit exemplum Iacobi et Esau de electione unius ac reiectione alterius quod ad bona temporalia.

Agit haec Paulus undecim primis capitibus, quae partem dogmaticam huius epistolae constituunt. Pars altera moralis incipit cum capite XII, et in ea apostolus varias tradit institutiones, pacem, unitatem, et varias obligationes, praecipue erga praepositos civiles, inculcat, quid de legalium observantia tenendum sit, tradit, etc.

Ex dictis liquet scopum huius epistolae esse gentilium et iudaeorum superbiam deprimere, docere, vocationem ad fidem gratiae Christi acceptam referendam esse, pacem ac concordiam inculcare, atque varia praecepta tradere.

DE I EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD CORINTHIOS

§ CCI. Locus scriptionis, lingua, aetas et occasio proxima I epistolae ad Corinthios.

451. Scripta fuit haec epistola Ephesi, metropoli Asiae minoris, ut patet ex c. XVI, 8, neutiquam vero Philippis, ut legitur in subscriptione graeca. Exarata autem fuit graece anno 56 vel 57 aerae vulgaris.

Condiderat Paulus Corinthi, Achaiae metropoli, ecclesiam; sed post suum ex hac urbe discessum pseudodoctores successerant, qui doctrinam evangelicam corruperant; hinc natae erant variae sectae christianae, quae suos asseclas habebant. Hi nomine sui antesignani gloriantes dicebant: *Ego sum Pauli, ego Apollo,* etc. Christiani corinthii, quorum alii primum gentiles fuerant, alii e iudaismo conversi, eloquentiae fastui, philosophicisque disputationibus adsueti, Paulum ut virum humilem et imperitum despiciebant, atque moribus corruptis erant, quod in hac urbe magnus numerus meretricum aleretur, unde graeci dicebant Κορινθιάζεσθαι, *Corinthizare* pro *fornicari*, et κορινθία κόρη, *puella corinthia,* pro *meretrice;* immo quidam corinthius publice cum sua noverca incestuose vivebat.

Solebant primi fideles ad eucharistiam accessuri, ad exemplum Christi communem coenam seu agapas instituere; sed magni abusus in hasce agapas irrepserant, ita ut divites haud expectatis pauperibus, aut ad aliam mensam separatim accumbentes, cibis delicatis meroque usque ad temulentiam se ingurgitarent. Ostentabantur insuper dona Spiritus sancti, varia de statu coniugum, virginum, etc., iactabantur. Cum Paulus haec percepisset ex domesticis mulieris Chloës (c. I, 11), et ex Stephana, Fortunato et Achaico ad ipsum missis (c. XVI, 15-17), corinthiis hanc I epistolam scripsit, quam verisimiliter misit per Stephanam eiusque socios (c. XVI, 17); ex quibus occasio proxima huius epistolae intelligitur.

§ CCII. Argumentum et scopus I epistolae ad Corinthios.

452. Argumentum et scopus huius epistolae in eo est, ut Paulus introductos abusus tollere conetur, et respondeat ad quaestiones ipsi propositas sive verbo tenus a domesticis Chloës, Stephana, etc., sive per litteras quas Stephana eiusque socii attulerant.

Epistola haec in tres partes dividi potest; in prima parte, quae complectitur capp. I-VI, redarguit corinthiorum factiones, sectas, ambitionem vanae sapientiae, fornicationes, conniventiam rectorum spiritualium erga incestuosum, moremque fidelium, qui potiusquam suas lites inter se componerent, adibant iudices paganos. Incestuosum corinthium satanae tradit ad tempus, seu excommunicat. Haec excommunicatio est primum exemplum excommunicationis in ecclesia.

In secunda parte, quae continet capp. VII-XV, respondet Paulus ad varias quaestiones, ex contentionibus docentium enatas, et ad ipsum perlatas, ut de coniugio, virginitate, delectu ciborum, et idolothytis, apostolatum suum commendat, et agit de velamine mulierum, de coena eucharistica, de usu donorum Spiritus sancti, de excellentia charitatis, de resurrectione mortuorum, etc.

Parte tertia, quae continetur c. XVI, commendat collectam in gratiam pauperum christianorum Palaestinae, agit de suo adventu, de Timotheo, de Stephana, Fortunato, Achaico, etc.

Ex c. V, 9, et II Cor. X, 10-11 nonnulli conficiunt Paulum iam antea corinthiis scripsisse epistolam, quae deperdita sit; alii vero haec de praesenti epistola intelligunt.

Ex hisce liquet scopum Pauli esse sectas et abusus inter corinthios tollere, concordiam inter illos stabilire, et ad varias propositas quaestiones respondere.

DE II EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD CORINTHIOS

§ CCIII. Locus scriptionis, lingua, aetas et occasio proxima II epistolae ad Corinthios.

453. Haec epistola scripta fuit iuxta subscriptionem graecam Philippis in Macedonia; contendunt autem alii, eam exaratam fuisse Thessalonicae, aliique nonnulli Troade. Conscripta fuit graece, nomine Pauli ac Timothei, anno 57 vel 58 aerae vulgaris.

Occasionem proximam huic epistolae dederunt quae Titus, Pauli discipulus, ei de corinthiis retulerat, corinthiorum nempe multos per priorem epistolam salutari dolore fuisse adfectos, sed omnes abusus haud esse sublatos, et pseudoapostolos, observantias legales christianae religioni adnexas esse tradentes, Paulum adhuc criminari; quare doctor gentium II hanc epistolam ad corinthios misit per Titum (c. VIII, 16-17).

§ CCIV. Argumentum et scopus huius epistolae.

454. Argumentum et scopus huius epistolae in hoc versantur: Paulus corinthios aliquantulum consolatur, abusibus apud eos adhuc obtinentibus medetur, suumque apostolatum vindicat.

In prima parte, capp. I-VII, se excusat quod iuxta promissa sua Corinthum non venerit, hortatur ut incestuosus, qui resipuerat, communioni fidelium restituatur, apostolatus sui instituit apologiam, quem comparat cum munere Moysis, ostenditque quantum gaudium sibi ex corinthiorum conversione obvenerit.

Parte secunda capp. VIII-IX sollicite commendat collectam pro pauperibus christianis Palaestinae faciendam, cuius iam in priori epistola mentionem fecerat (n. 452).

Parte tertia seu capp. X-XIII, perstringit pseudoapostolos, suamque commendat auctoritatem apostolicam, recensendo suos pro evangelio exantlatos labores, facta egregia et revelationes, quas tamen modeste omnino refert, quin se ipsum nominet.

Ex quibus patet scopum apostoli esse corinthios consolari, reliquos abusus tollere, et apostolatus sui auctoritatem adversus pseudoapostolos confirmare.

DE EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD GALATAS

§ CCV. Locus scriptionis, lingua, aetas et occasio proxima epistolae ad Galatas.

455. Haec epistola graece scripta fuit Ephesi anno 55 aerae vulgaris; contendunt alii eam exaratam fuisse Antiochiae in Syria, circa annum 50 aerae vulgaris, et alii illam multo serius scriptam fuisse Romae, ut nonnullae subscriptiones graecae habent; tamen non est verisimile, cum apostolus in ipsa nullam mentionem faciat suae captivitatis, prout solet in epistolis Romae scriptis, cumque exarata sit paulo post galatarum conversionem.

Paulus in Galatia, quae est provincia Asiae minoris, ecclesiam fidelium stabilierat (Act. XVI,6; XVIII, 23); sed post eius discessum pseudoapostoli iudaizantes apud galatas Pauli doctrinam corruperant, illisque persuaserant circumcisionem, aliorumque legalium observantiam, cum doctrina Christi necessario coniungendam esse. Auctoritatem Pauli contrarium docentis elevaturi, effutiebant illum cum Christo non fuisse, eum apostolorum dumtaxat discipulum esse, ipsiusque doctrinam apostolorum doctrinae, Petri praesertim, esse oppositam.

§ CCVI. Argumentum et scopus huius epistolae.

456. Argumentum igitur et scopus huius epistolae eo tendunt, ut Paulus suo apostolatui divinam auctoritatem vindicet, et pseudoapostolorum doctrinam refellat. Quare

In prima parte, quae complectitur capp. I-III, dicit galatis, se mirari quod tam cito a vera fide defecerint, et suam ad illud usque tempus vitae rationem illis exponit; ait se puram Christi doctrinam ipsis tradidisse, quam primi apostoli approbarant; se non ab hominibus, sed a Christo immediate suam doctrinam accepisse. Inutilitatem legalium observantiae ostendit, narratque se Cepham, seu Petrum, Antiochiae publice reprehendisse, eo quod se eo modo gereret ac si legalia observanda essent.

In parte secunda capp. IV-VI galatarum inconstantiam exprobrat, illisque pseudoapostolorum prava consilia detegit. Caput rei probat exemplo Abrahae, qui filium Ismaël ex Agar ancilla susceptum reiecit, et Isaac ex Sara uxore progenitum haeredem instituit. Haec partem dogmaticam huius epistolae spectant; quae sequuntur sunt moralia. Galatas ad constantiam in vera fide, ad virtutem et iustitiam hortatur; eos edocet quomodo se erga invicem, et erga pseudoapostolos gerere debeant, etc.

Nulla epistola Pauli hac est concitatior et vehementior: reprehendit apostolus galatas acerrime, ut quos forte ratio ab errore non revocaret, reduceret scribentis auctoritas. Scripta fuit haec epistola manu propria Pauli (c. VI, 11).

DE EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD EPHESIOS

§ CCVII. Locus scriptionis, lingua, aetas et occasio proxima epistolae ad Ephesios.

457. Conscripta fuit haec epistola Romae sermone graeco, tempore primae Pauli captivitatis (c. IV, 1; VI, 20), circa annum 63 aerae vulgaris; atque Ephesum delata per Tychicum diaconum (c. VI, 21-22).

Occasio proxima huius epistolae ex sequentibus intelligitur. Ephesus, urbs Ioniae, Asiae minoris metropolis, et celeberrimum totius Asiae citerioris emporium, artibus magicis addictissima erat, ut satis liquet ex eo quod ephesii ad Pauli praedicationem tot libros magicos combusserint, ut eorum pretium iuxta Lucam (Act. XIX, 19) quinquaginta millia denariorum * aequaret, atque hinc Ἐφέσια γράμματα, *characteres ephesii*, in proverbium abierant, ad characteres magicos designandos.

Ephesus non minus dedita erat cultui idolorum, praesertim Dianae Multimammiae, quam graeci omnium animantium nutricem perhibebant **.

Paulus ex hisce superstitiosis atque idololatris ephesiis complures ad Christi fidem converterat. Audierat autem Romae in carcere, verisimiliter ab Epaphra (n. 461), ephesios istos in primitivo suo fervore persistere, falsos autem doctores conatos esse errores ipsis obtrudere. Erant hi falsi doctores iudaei et philosophi pagani, qui vocationem suam ad fidem, etc., observantiae legis mosaicae legisque naturalis adscribebant, Pauli aliorumque apostolorum auctoritatem vellicabant, tradebant homines colere debere angelos ut mediatores Deum inter ac hominem, ut ita se adversus malos spiritus praemunirent, coniugia ut quid illicitum habebant, etc.

§ CCVIII. Argumentum et scopus huius epistolae.

458. Argumentum igitur atque scopus huius epistolae eo spectant, ut ephesii in vera fide confirmentur, et contra pseudodoctorum errores praemuniantur. Itaque

In parte prima, seu cap. I-III, quae est dogmatica, describit apostolus magnitudinem beneficii quod ephesiis per Christi religionem obvenerat, illos hortatur ut in vera fide perseverent, et ad perfectionem progrediantur; iis mysteria incarnationis, redemptionis, gratuitae praedestinationis, ac vocationis gentilium aperit, atque ipsis in memoriam revocat, quales fuerint cum vitiis dediti impiis spiritibus servirent, qualesque sint modo a vitiis purgati Christoque servientes. Monet ne affligantur quod ipse pro Christo in vincula coniectus sit.

In parte secunda, cap. IV-VI, quae est moralis, praestituit varia officia, omnibus christianis communia, exponit speciatim, quaenam sint officia coniugum, liberorum, dominorum, servorum, etc.

DE EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI
AD PHILIPPENSES

§ CCIX. Locus scriptionis, lingua, aetas et occasio proxima epistolae ad Philippenses.

459. Scripsit Paulus suo ac Timothei nomine hanc epistolam, graeco idiomate, Romae, tempore primae suae captivitatis (c. I, 13, II, 23-24; IV, 22), circa annum 62 aerae vulgaris, ad urbis Philipporum fideles, diaconos et episcopos, hoc est *presbyteros*, cum Philippis plures haud essent episcopi.

Occasio proxima huius epistolae haec fuit: fideles Philipporum, quae est una ex primariis urbibus Macedoniae, a Paulo conversi, apostolum maximo amore prosequebantur, ei-

* Si denarii isti sunt romani, et aequant 10 sol. gallicos, ista 50,000 denariorum efficiunt 25,000 lib. gal.

** Erat quondam Ephesi Dianae templum antiquissimum, sumptuosissimum atque amplissimum, et inter septem miracula mundi adnumeratum. Plinius scribit (Hist. nat. lib. 36, c. 14), templum hoc 220 annis, tota Asia sumptus ad id laboremque conferente, extructum fuisse, ipsum 425 pedes longitudinis et 220 latitudinis habuisse, atque 127 columnis, per totidem reges factis, et 60 pedum altitudinis ornatum fuisse. Erostratus, seu Eratostratus, ephesius, obscurum sui nomen immortalitate stolide donaturus, huic templo magnificentissimo ignem admovit nocte nativitatis Alexandri magni, 356 annis ante Christum.

que Thessalonicam (c. IV, 15-18), Corinthum (II Cor. II, 9), et tandem per Epaphroditum eius cooperatorem, etiam Romam subsidium pecuniae (c. II, 25; IV, 15-18) miserant. Audierat apostolus ab Epaphrodito dissidia nonnulla orta esse inter Evodiam et Syntychen (c. IV, 2-3), atque dissensum inter nonnullos christianos circa doctrinam christianam (c. II, 1-5). Haec moverunt Paulum, ut hanc epistolam per Epaphroditum, e morbo Romae contracto convalescentem, ad philippenses mitteret.

§ CCX. Argumentum et scopus huius epistolae.

460. Argumentum igitur, quod est fere totum morale, atque scopus epistolae in hisce versantur: laudat Paulus philippenses de misso benevolentiae in illum testimonio, deque eorum fervore; illos consolatur de dolore quem ceperant ex eius captivitate, et hortatur ad concordiam, mutuum amorem, et ad conservationem purae doctrinae; ait se Epaphroditum remisisse, missurum quampridem Timotheum; atque confidere se ipsum venturum. Monet ut sibi caveant a iudaizantibus, ut vitam christianis dignam ducant, etc., ac illis gratias agit de misso subsidio. Varia doctrinam dogmaticam spectantia variis locis inserta sunt.

DE EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD COLOSSENSES

§ CCXI. Locus scriptionis, lingua, aetas et occasio proxima epistolae ad Colossenses.

461. Scripta fuit haec epistola Romae sermone graeco Pauli ac Timothei nomine, tempore primae apostoli captivitatis, circa annum 62 aerae vulgaris, atque Colossas delata fuit per Tychicum et Onesimum, ut liquet ex subscriptione graeca, et ex c. IV, 7-9.

Occasionem proximam illi dederunt sequentia: Epaphras Colossis, quae erat magna urbs Phrygiae Laodiceam inter ac Hierapolim *, verisimiliter Pauli discipulus, ecclesiam fidelium condiderat (c. 1, 7, 12-13). Venerat Epaphras Paulum Romae vinctum invisurus, ac probabiliter, de variis rebus consulturus. Paulus, qui Colossis non fuisse videtur (c. 2, 1), ab eo didicerat colossenses ad Christi fidem esse conversos, sed pseudodoctores doctrinam evangelii pervertere. Erant hi doctores partim simoniani, qui tradebant Iesum non esse salutis auctorem, et angelos, ut mediatores Deum inter ac hominem, esse colendos, etc., partim apostoli philosophi, qui Platonis principiis innixi, fucatae philosophiae argutationibus, tum admodum vigentibus, puritatem fidei corrumpebant, atque partim iudaei conversi, qui legalium observantiam colossensibus obtrudere conabantur.

§ CCXII. Argumentum et scopus huius epistolae.

462. Itaque argumentum et scopus epistolae circa haec versantur: Parte prima cap. I-II, quae est dogmatica, Paulus colossensibus suum gaudium ob susceptam ab iis fidem, fervorem, etc. testificatur, Epaphram laudat, Iesumque unicum mediatorem Deum inter ac hominem dicit, per quem salus est obtinenda; monet ne se pseudoapostolorum magniloquentia seduci patiantur, atque unicum Iesum sequantur, qui omnibus angelis supereminet, et in quo conversi ac baptizati fuerant.

Parte secunda cap. III-IV, quae est moralis, hortatur ad officia generalia christianae religionis, ac ad particularia variarum conditionum.

Cum Paulus c. IV, 16 dicat: « Cum » lecta fuerit apud vos epistola haec, » facite ut et in laodicensium eccle-

* Hae tres urbes anno 66 aerae vulgaris terrae motu corruerunt.

» sia legatur: et eam quae laodicen» sium est vos legatis,» existimarunt aliqui, Paulum epistolam ad laodicenses scripsisse; verum apostolus loqui videtur de epistola a laodicensibus ad ipsum data, tum quia, si Paulus ad laodicenses scripsisset, ipse eos in sua epistola salutasset, neque per colossenses salutari curasset, ut v. 15 legitur; tum quia textus graecus habet pro, *eam quae laodicensium est:* τὴν ἐκ Λαοδικείας, *eam ex Laodicaea* scriptam.

DE I EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES

§ CCXIII. Locus scriptionis, lingua, aetas et occasio proxima I epistolae ad Thessalonicenses.

463. Exaravit Paulus hanc epistolam suo, Silvani seu Silae, ac Timothei nomine, idiomate graeco, Corinthi, anno 52 aerae vulgaris, non vero Athenis ut subscriptiones graecae, syriacae et arabicae tradunt. Constat hoc ex illius occasione proxima, quae fuit isthaec.

Paulus Thessalonicae, in urbe Macedoniae metropoli, ecclesiam fidelium instituerat (Act. XVII, 1-4). Inde a iudaeis pulsus, petiit Beroeam, ac postea Athenas (ib. V-15). Ex hac urbe misit Timotheum Thessalonicam, ut statum novae ecclesiae thessalonicensis inspiceret (I Thess. III, 1-2). Rediit Timotheus mox ad Paulum, qui tum erat Corinthi (Act. XVIII, 1-5), eumque de statu thessalonicensium certiorem reddidit; quare Paulus Corinthi I ad thessalonicenses dedit epistolam.

§ CCXIV. Argumentum et scopus huius epistolae.

464. Argumentum huius epistolae versatur circa ea, quae apostolus a Timotheo acceperat, ecclesiam nempe thessalonicensem bene esse constitutam, nonnullos autem fideles edocendos *de statu defunctorum, de adventu Domini et de ultimo iudicio*, aliquos esse inquietos, et quosdam otio indulgere.

Paulus igitur thessalonicensibus gratulatur de eorum in fide constantia, de qua ait, in aliis ecclesiis honorificam fieri mentionem, se non nisi aegre eos deseruisse, Timotheum ad illos misisse, ut de eorum statu certior fieret, idque factum fuisse; illos edocet de *statu mortuorum, de adventu Domini, ac de ultimo iudicio*. Hortatur eos ad castimoniam, charitatem mutuam, diligentiam, et patientiam, atque ipsis varia officia particularia inculcat.

Scopus Pauli est thessalonicenses ad constantiam et perfectionem in fide excitare, dubios ac ignaros varia docere, et errantes leniter corrigere. Haec epistola ordine temporis omnium epistolarum paulinarum prima communiter creditur (conf. n. 455).

DE II EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD THESSALONICENSES

§ CCXV. Locus scriptionis, lingua, aetas et occasio proxima II epistolae ad Thessalonicenses

465. Scripsit Paulus hanc epistolam, ut priorem, graece, suo, Silvani seu Silae, et Timothei nomine, circa annum 53 aerae vulgaris, Corinthi, non vero Athenis ut subscriptio graeca habet, nec Laodicaeae in Pisidia ut versio syriaca legit; nam apostolus remansit sesqui anno Corinthi, et Silas ac Timotheus, quorum nomine haec epistola, ut prima, est exarata, adhuc cum illo erant quando hanc epistolam scripsit.

Occasio proxima epistolae haec fuit. Iam in prima epistola ad thessalonicenses Paulus mentionem fecerat erroneae quorumdam opinionis circa diem ultimi iudicii. Post adventum illius epistolae Thessalonicam pseudodoctores acrius adhuc contendebant, diem ultimi iudicii instare, sive quod priorem epistolam comparate ad hunc diem male intel-

lexissent, sive, ut ex c. II, 2, c. III, 17, sequi videtur, quod iactitarent revelationem aliquam et epistolam Paulo perperam attributam. Paulus igitur hosce pseudoapostolos coërciturus, eorumque errores correcturus, hanc secundam ad thessalonicenses dedit epistolam.

§ CCXVI. Argumentum et scopus huius epistolae.

466. Hortatur apostolus thessalonicenses ut inter afflictiones in suscepta fide constantes permaneant; monet ne audiant istos pseudodoctores, qui tradebant ultimum iudicii diem iamiam instare, insinuatque ante hunc diem futuram universalem fere defectionem a fide, ac dein venturum antichristum. Reprehendit inquietos atque otiosos, eosque ad quietam, christianam atque actuosam vitam agendam hortatur. Tandem notat quo signo eius epistolae dignoscantur (c. III, 17).

DE I EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM

§ CCXVII. Timotheus.

467. Timotheus Lystris in Licaonia ex patre gentili, et matre Eunice iudaea natus (Act. XVI, 1; II Tim. I, 5), in christiana religione a sua matre, et avia Loide instructus fuerat (II Tim. I, 5). Paulus illum Lystris sibi socium praedicationis et laboris adiunxit, sed ut illum conversioni iudaeorum maiori cum fructu adhiberet, ipsum antea circumciderat (Act. XVI, 3). Timotheus doctorem gentium in omnibus fere itineribus comitatus est, illiusque nomine varias visitavit ecclesias, ut thessalonicensem (I Thess. III, 2), philippensem (Phil. II, 19) et corinthiam (I Cor. XVI, 10).

Tandem Paulus Timotheum Ephesi episcopum reliquit, ut curam ecclesiarum Asiae gereret, et ad illum duas scripsit epistolas.

§ CCXVIII. Locus scriptionis, lingua, aetas, occasio proxima et scopus primae epistolae ad Timotheum.

468. Scripsit Paulus hanc epistolam idiomate graeco, verisimiliter in quarto itinere per Macedoniam circa annum 64 aerae vulgaris. Subscriptio graeca tradit eam scriptam fuisse Laodicaeae, quae est metropolis Phrygiae Pacatianae.

Occasionem proximam huic epistolae dedit zelus Pauli Timotheum plenius in munere pastorali, regimine et disciplina ecclesiae instruere cupientis; quare eius scopus patescit.

§ CCXIX. Argumentum huius epistolae.

469. Apostolus Timotheum ut collegam monet, ut a pseudodoctoribus eorumque erroribus sibi caveat, ut strenuum agat militem, aitque se Hymenaeum et Alexandrum ex ecclesia eiecisse. Docet pro principibus, licet ethnicis, orandum esse, eo quod ordo civitatis, et publica status tranquillitas ab eis pendeat. Tradit quinam in episcopos, presbyteros, et diaconos, ac quaenam mulieres in diaconissas * eligi, quas-

* Diaconissarum origo proinde ab apostolis repetenda est. Paulus Rom. XVI, 1 vocat Phoeben, ministram ecclesiae cenchreensis Διάκονον, *diaconon*. Plinius loquitur (l. 10, ep. 97) ad Traianum de duabus feminis christianis, quas *ministras* nuncupat. Hae diaconissae ab initio non nisi viduae unius viri, et 60 annorum erant. Hasce conditiones Paulus de eis requirit (I Tim. V, 9). Postea autem etiam virgines perpetuae diaconissae factae sunt. De virginibus diaconissis meminit s. Ignatius martyr (epist. ad Smyrn.). Labentibus annis concilium chalcedonense anno 451, can. 15 sancivit, diaconissas 40 annorum eligi posse. Munus diaconissarum postea abolitum fuit, sed non ubique eodem tempore. In Galliis abrogatum est per concilium eupanense anno 517, et per conc. aurelianense II an. 533.

Diaconissarum munera erant: 1° sacerdotibus feminas baptizantibus praestare operam, ut sexus pudori consuleretur, cum baptisma ea aetate per immersionem fieret; 2° cathecumenas domi religionem docere; 3° mulieres aegrotantes invisere; 4° martyribus ac confessoribus pro fide detentis opem adferre, dum diaconi haud poterant eos adire; 5° stare ad ecclesiae portas, per quas mulieres ingrediebantur, et suum cui.

que animi dotes habere oporteat. Docet quaenam familiae episcoporum debeat esse compositio, quid in coetibus ecclesiasticis deceat viros, quidque mulieres. Agit de cibis, de coniugio, de exercitatione virtutis; monet Timotheum ut pseudodoctores refellat, etc.

Cum Paulus in prima et in secunda epistola ad Timotheum, et in illa ad Titum, nonnullas leges pastoribus ecclesiae tradat, multaque pro primitivo ecclesiae regimine praescribat, quae per istas tres epistolas pro nata occasione sparsim distributa sunt, tres istae epistolae conferendae sunt, ut quae in una comparate ad idem obiectum haud plene descripta sunt, ex alia suppleantur.

DE II EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM

§ CCXX. Locus scriptionis, lingua, aetas, occasio proxima et scopus II epistolae ad Timotheum.

470. Scripta fuit haec epistola Romae idiomate graeco circa annum 65 aerae vulgaris, tempore secundae captivitatis apostoli, ut inde liquet, quod c. IV, 6 de sua morte uti proxima loquatur.

Occasio huius epistolae fuit Pauli desiderium carissimum suum discipulum Timotheum ante mortem adhuc semel videndi; quare etiam eum Romam vocat; indeque scopus epistolae perspicitur.

§ CCXXI. Argumentum huius epistolae.

471. Scribit Paulus se Timothei perpetuam habere memoriam, deque eiusdem zelo persuasionem; illum hortatur ad perseverantiam, et accuratam sui muneris satisfactionem; ipsum confirmat, ne persecutionibus deterreatur, sed suo exemplo ad martyrium praeparetur; praedicit venturos pseudodoctores, qui religionis praetextu multa mala sint patraturi. Timotheum dein urget, ut quam citissime Romam se conferat, et Marcum comitem sui itineris adsumat. Illi significat imminere diem mortis suae, Lucam solum secum esse, rogatque ut pallium, quod Troade reliquerat, secum Romam ferat, etc. Haec epistola ab antiquis patribus ut Pauli testamentum habita fuit.

DE EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD TITUM

§ CCXXII. Titus.

472. Titus ex gentilibus parentibus natus (Gal. II, 1, 3), post suam conversionem socius Pauli ac itinerum comes fuit. Paulus, orta quaestione de legalium observantia, illum secum Hierosolymam duxit (loc. cit.), eumque misit negotiorum ecclesiae causa Corinthum (II Cor. VII, 6, 15), quo et secunda vice Titus, rogante Paulo, profectus est, secundam ad corinthios deferens epistolam (loc. cit. c. VIII, 16-17). Ad Paulum venit Romam, unde ab illo in Dalmatiam fuit missus (II Tim. IV, 10). Constitutus fuit a Paulo episcopus insulae Cretae, modo Candiae vocatae, ubi Paulus eum iussit constituere per civitates presbyteros, idest episcopos (Tit. I, 5): «Eosdem » episcopos illo tempore, quos et

que locum in ecclesia adsignare. Diaconissae ad haec officia destinabantur per manuum impositionem, quam ab episcopo cum peculiari quodam velo accipiebant; haec autem manuum impositio non sacramentum, sed simplex caeremonia erat benedictionis adinstar. Diaconissarum consecrationes commemorat saeculo XI Ioannes XIX in litteris ad episcopum Sylvae Candidae (apud Mabillonium musaeum ital. Vide Morinum de ordinandis latinorum graecorumque diaconissis. De sac. ordinat. part. 3, exerc. 10, c. 1).

Graeci modo diaconissas vocant uxores diaconorum, et antiquitus quandoque diaconissae appellabantur diaconorum coniuges, ante diaconatum ductae, sicut presbyterorum ac episcoporum uxores, ante ordines sacros ductae, nuncupabantur presbyterae et episcopae, atque huc spectat conc. turonense II, can. 13 et 19; ac conc. antissiodorense, can. 21 (Collect. conc. Labbaci).

» presbyteros appellabant,» ait Hieronymus (in hunc locum).

§ CCXXIII. Locus scriptionis, aetas, lingua, occasio proxima, scopus et argumentum epistolae ad Titum.

473. Scripta fuit haec epistola iuxta subscriptionem graecam Nicopoli in Macedonia; at iuxta c. III, 12, Paulus in itinere Nicopolim versus illam scripsisse videtur, absoluta prima eius captivitate, circa annum 64 aerae vulgaris. Lingua huius epistolae est graeca. Occasionem huic epistolae dedit zelus Pauli Titum plenius instruendi; quare eius scopus in aperto est.

Argumentum epistolae simile est argumentis epistolarum ad Timotheum, praesertim argumento primae epistolae. Scribit Paulus ut quae ipse apud cretenses incoeperat, Titus absolvat, et per civitates constituat episcopos. Dotes episcopi idonei praescribit; monet Titum ut pseudodoctoribus fortiter resistat, et officia variarum personarum atque aetatum propria tradit, addens, a christianis obedientiam praestandam esse principibus et magistratibus etiam ethnicis. Inculcat christianis modestiam, mansuetudinem, etc., et Titum accersit Nicopolim.

DE EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD PHILEMONEM

§ CCXXIV. Locus scriptionis, aetas, lingua, occasio proxima, argumentum et scopus epistolae ad Philemonem.

474. Scripsit apostolus hanc epistolam Romae, circa finem primae suae captivitatis ad annum 61 aerae vulgaris, idiomate graeco.

Occasionem illi dedit Onesimus quidam, servus Philemonis civis probissimi colossensis (Col. IV, 9), a Paulo ad fidem conversi (H. Ep. v. 19). Hic Onesimus, Philemoni rebus quibusdam furto subductis, Romam fugit, ubi, divina disponente providentia, a Paulo conversus et baptizatus fuit (v. 10). Apostolus, Onesimum invito Philemone Romae nolens detinere (v. 13-14), ipsum ad herum suum remisit, eique, ut a Philemone veniam obtineret, hanc ad Philemonem dedit epistolam. Exinde eius argumentum et scopus intelliguntur.

Veteres nonnulli de canonica auctoritate huius epistolae dubia moverunt, male praetexentes eius brevitatem, simplicitatem, argumenti humilitatem, et styli diversitatem, quae difficultates ab Hieronymo (1), Chrysostomo (2), aliisque antiquis patribus solutae sunt. Epistola isthaec tenerrimam christianae amicitiae charitatem spirat.

(1) Hier. in epist. ad Philem.
(2) Chrys. ibid.

DE EPISTOLA B. PAULI APOSTOLI AD HEBRAEOS

§ CCXXV. De auctore epistolae ad Hebraeos. Difficultates adversus Paulum, qua eius auctorem.

475. Epistola ad hebraeos a graecis Paulo constanter adscripta fuit; non item a latinis usque ad saeculum quintum; alii enim eam s. Clementi, alii s. Barnabae, alii s. Marco, alii s. Lucae, et alii s. Paulo attribuerunt. Hieronymus ait: « Epi» stolam ad hebraeos omnes graeci » suscipiunt, et nonnulli latino» rum (3). »

Cum haec epistola quod ad substantiam doctrinae rerumque notiones, caeteris epistolis Pauli consona sit, dissona quod ad stylum, Origenes (4), ac nonnulli veteres existimarunt sententias eius esse Pauli, earum vero compositionem alterius.

Rationes ob quas haec epistola a multis occidentalibus Paulo abiudicata fuit, sunt

1° Quod aliae epistolae Pauli eius nomen ac salutationem in fronte gerant.

(3) Hier. epist. 126 ad Evagrium.
(4) Orig. apud Euseb. l. 5, c. 25.

2° Quod stylus et elocutio in aliis apostoli epistolis differant a stylo et elocutione huius epistolae.

3° Quod lingua graeca huius epistolae magis accedat ad graecum idioma actuum apostolorum Lucae, quam ad linguam graecam epistolarum Pauli.

§ CCXXVI. Solutio difficultatum.

476. Verum rationes istae rem non evincunt. Multi latini epistolam istam Paulo abiudicasse videntur, eo quod novatiani saeculo tertio ex male intellectis capitibus VI et X suos errores de poenitentia inde adstruere conarentur, et ariani saeculo quarto eadem abuterentur ad suam haeresim circa divinitatem I. C. stabiliendam. Inde factum videtur, ut haec epistola nonnullis latinis suspecta videretur (1); ast haec suspicio cum saeculo quinto disparuit.

1° Autem Pauli nomen, eiusque salutatio epistolae praescripta, non sunt signum apodicticum epistolarum paulinarum, cuiusmodi est salutatio in aliqua parte epistolae, ut apostolus ipse notat (II Thess. III, 17): « Salutatio mea manu Pauli, quod est signum in omni epistola, ita scribo. » Pauli autem salutatio ad finem epistolae ad Hebraeos reperitur.

Ratio cur Paulus nomen suum huic epistolae haud praescripserit, videtur esse quod proxime gentium esset apostolus, neutiquam vero hebraeorum, et quod nollet multos iudaeos christianos, qui illi haud favebant, hac sui nominis praescriptione ab epistolae lectione avertere.

2° Differentia styli et elocutionis, quae inter hanc et alias epistolas Pauli reperitur, oritur exinde, quod epistola haec scripta sit hebraice seu syro-chaldaice, dum aliae epistolae graece exaratae sunt, ita ut textus graecus epistolae ad Hebraeos non sit nisi versio textus primigenii, magna autem differentia est inter linguam primigeniam alicuius scripti, eiusque versionem.

3° Affinitas vero versionis graecae huius epistolae cum lingua graeca Actuum apostolorum inde oritur, quod, ut iam olim tradidit Clemens Alex. (2), Lucas, Actuum apostolorum auctor, hanc epistolam pro graecis ex sermone hebraico in linguam graecam transtulerit.

Dubium latinorum de authentia huius epistolae generale non fuit, et saeculo quinto evanuit; nam Clemens rom., Pauli contemporaneus, in sua epistola ad corinthios multa ex epistola ad hebraeos verbotenus refert (praesertim c. I, 3-9) (3); Irenaeus, qui saeculo secundo, et Tertullianus, qui eodem saeculo vixit, canonicitatem ipsius agnoverunt, licet Tertullianus eam sub nomine Barnabae citet (4). Hanc epistolam dein ex latinis ut canonicam agnoverunt Hilarius, Lucifer Calaritanus, Ambrosius, Ruffinus, Augustinus, Salvianus, Cassianus, Innocentius I, Hilarius Diaconus seu Ambrosiaster, Phoebadius, concilia iconiense anno 393, carthaginense annis 397 et 419, ac deinceps omnes alii patres ecclesiae (5).

Epistolam ad Hebraeos opus genuinum esse s. Pauli evincunt ipsius characteres intrinseci, nam: 1° in ea, ut in omnibus aliis epistolis, praeterquam in illis ad Galatas et ad Titum, charissimi sui Timothei men-

(1) Conf. Hier. lib. 2 adv. Iovinian. n. 5, et catal. script. eccles. Caius.
(2) Apud Euseb. lib. 16, c. 14.
(3) Apud Euseb. lib. 5, cap. 52.
(4) Iren. apud Euseb. lib. 5, c. 26.
(5) Hilar. l. 4 de Trinit. Lucif. in tract. de non conv. cum haeret. Ambr. lib. 1 de fide. Ruf. in exposit. symb. Aug. l. 2 de doctr. Christ. in catal. lib. s. Salv. l. 4 ad eccl. cath. Cass. coll. 1. Innoc. epist. ad Exsup. Hil. in epist. ad Titum. Phoeb. l. contra arianos. Vide n. 10.

tionem facit: « Cognoscite fratrem » nostrum Timotheum dimissum, » ait (c. XIII, 2-3); 2° illam eodem fere modo ac alias concludit per votum: « Deus pacis, inquit, aptet vos » in omni bono » (c. XIII, 20); per salutationem: « Salutate, ait, omnes » praepositos vestros, et omnes san- » ctos » (c. XIII, 24), et tandem per verba illa, quae in omnibus fere paulinis epistolis leguntur: « Gratia » cum omnibus vobis, amen » (c. XIII, 25). 3° Petrus ad hebraeos scribens (II Epist. III, 15) dicit illis: « Charissimus frater noster Paulus » secundum datam sibi sapientiam » scripsit vobis, etc.»

Cum haud alia, praeter hanc, epistola Pauli ad Hebraeos cognoscatur, oportet Petrum de hac esse locutum.

§ CCXXVII. Locus scriptionis, aetas et lingua epistolae ad Hebraeos.

477. Scripta fuit haec epistola in Italia (c. XIII, 24), verisimiliter Romae.

Ex collatione capitum X, 34, cum XIII, 23-24, liquet eo tempore primam apostoli captivitatem absolutam, et Paulum adhuc in Italia fuisse, quare hanc epistolam circa annum 63 aerae vulgaris exaratam esse oportet, cum eo tempore prima eius captivitas finem habuerit.

Lingua primigenia huius epistolae est hebraica seu syro-chaldaica, Pauli patria, et in Palaestina tum temporis adhuc vulgaris, ut ex sermone hebraico ab apostolo Hierosolymis ad populum habito constat (Act. XXI, 40).

Epistolam hoc idiomate exaratam fuisse patet: — ex manifesta differentia quae inter stylum huius epistolae, aliarumque epistolarum apostoli reperitur; — ex convenientia ut Paulus hebraeus ad hebraeos scriberet hebraice; hinc ait Hieronymus: « Paulus scripsit ut hebraeus he- » braeis hebraice (1).» — Ex testimoniis Clementis Alex., Oecumenii, Theodoreti, aliorumque quamplurium scriptorum ecclesiasticorum.

Lucas autem indivisus Pauli in conversione gentilium comes, qui tempore scriptionis huius epistolae adhuc cum apostolo verisimiliter Romae versabatur, quique eodem tempore Romae scripsit Actus Apostolorum (n. 443), hanc epistolam pro gentibus conversis ex lingua hebraea in graecum idioma vertisse creditur, ob similitudinem linguae graecae Actuum Apostolorum cum graeca versione huius epistolae. Cumque haec versio scriptionem huius epistolae mox fuerit consecuta, factum est ut haec praevaluerit, ita ut textus primigenius post aliquod tempus deperditus sit. Indeque etiam quod epistola isthaec in linguam graecam mox translata sit, intelligitur cur citationes veteris foederis iuxta versionem LXX interpretum adlegentur, et nonnulla verba hebraica explicentur.

§ CCXXVIII. Occasio proxima, argumentum et scopus epistolae ad Hebraeos.

478. Occasionem hanc epistolam exarandi Paulo dederunt persecutiones, quas iudaei in Palaestina, et praesertim Hierosolymis in iudaeos conversos exercebant (c. X, 34), atque periculum apostasiae, in quo iudaei tum versabantur; insusurrabant enim illis pseudoapostoli legalia Moysis et obligatoria esse et salutaria, proindeque in tanta persecutione non esse adhaerendum evangelio licet optimo salutis medio.

Quare argumentum epistolae hoc est: inculcat apostolus necessitatem fidei, et pseudoapostolorum praetextus refellit. Cum isti pseudodoctores in excellentiam legis mosaicae adlegarent angelorum dignitatem ac excellentiam, quorum ministerio lex

(1) Hier. de script. eccl. Paulus.

ista data erat, Paulus hebraeis conversis ob oculos ponit dignitatem ac excellentiam Christi, auctoris promulgatorisque novae legis, infinite superiorem esse dignitati et excellentiae angelorum (capp. I-II). Cum praetexerent excellentiam Moysis, ut legati divini, qui legem Dei promulgarat, Paulus ostendit excellentiam Christi illa Moysis esse infinite maiorem (capp. III-V, 1, 9). Cum obtenderent dignitatem sacerdotii Aaronis, tabernaculi et sacrificiorum veteris foederis, apostolus (cap. V, 10-XIII) ostendit summum sacerdotium Christi, quem in persona Melchisedech describit esse infinite maius illo Aaronis. Agit de sacrificiis veteris et novi foederis, de eorum efficacia, de tabernaculo, et evincit novam legem Christi legi veteri infinite eminere. Ostendit necessitatem fidei ad salutem, atque hortatur hebraeos ne in observantiam legalium relabantur, sed in suscepta fide Christi fideliter perseverent.

E quibus liquet scopum Pauli esse, hebraeos in Christi fide confirmare, et ab imminenti periculo apostasiae praemunire (1).

Epistolas Paulinas sequuntur septem epistolae aliorum quorumdam apostolorum, quae cum res omnibus fidelibus communes contineant, *catholicae* seu universales vocitantur.

DE EPISTOLA B. IACOBI APOSTOLI

§ CCXXIX. De auctore et auctoritate canonica epistolae Iacobi.

479. Nonnulli epistolam hanc Iacobo fratri, seu cognato I. C., qui a Iacobo minori distinctus ponitur, adscripsere.

Tres Iacobi in novo foedere occurrere videntur, primus est Iacobus maior, *Zebedaei* filius, fraterque Ioannis evangelistae (Matth. IV, 21), qui Herodis Agrippae iussu diu ante scriptionem huius epistolae occisus fuit (Act. XII, 2). Secundus est Iacobus minor, ita nuncupatus quod post priorem a Christo ad apostolatum vocatus fuit. Fuit hic *Alphaei*, seu *Cleophae*, filius (Matth. X, 3; Ioan. XIX, 25; Marc. XV, 40). Tertius Iacobus *frater Iesu* (Matth. XIII, 55), quem habent alii ut fratrem Christi, ex coniugio Iosephi cum prima uxore natum (2), et alii tantummodo ut cognatum Iesu, ex Maria Cleophae uxore et B. Virginis sorore progenitum (conf. Matth. XIII, 55, ac Ioan. XIX, 25, cum Marc. XV, 40). Cum autem Paulus (Gal. I, 19) Iacobum fratrem Domini vocet apostolum, oportet Iacobum minorem ex Alphaeo, seu Cleopha patre (Matth. X, 3), et Maria Cleophae uxore (Ioan. XIX, 25 coll. cum Marc. XV, 40), eamdem esse personam cum Iacobo fratre Iesu seu cognato (Matth. XIII, 55), proindeque cum auctore nostrae epistolae (conf. n. 491).

Obiecerunt quidem auctorem epistolae se initio non vocare apostolum, sed epistolam incipere: « Iacobus Dei ac Domini nostri Iesu Christi servus, etc.»

Verum etiam Paulus in epistolis ad Thessalonicenses, Philippenses et Philemonem se apostolum non inscribit.

Iacobus forte ideo se apostolum non vocat, quod ut episcopus hierosolymitanus continuo Hierosolymae commoraretur, contra morem aliorum apostolorum, et quod iudaeis conversis aliunde sat notus esset. Caeterum in aliquibus codicibus graecis, in ipsa Bezae editione, atque in versionibus syriaca, arabica et aethiopica nomen apostoli huic epistolae praescribitur.

Alii dixerunt auctorem epistolae

(1) In epistolas d. Pauli legi meretur analysis epistolarum b. Pauli apostoli ad usum seminarii Sylvae-Ducensis, Lovanii, 1810.

(2) Conf. Hier. de script. eccles. Iacobus

contradicere s. Paulo in doctrina de lege ac bonis operibus.

Verum Iacobus loquitur de lege naturae et de lege Christi, et Paulus de lege mosaica.

Quorumdam dubium de auctore huius epistolae in causa fuit, ut nonnulli deinceps de eiusdem auctoritate canonica dubitaverint. Hieronymus de Iacobo minore, apostolo, scribit: « Unam scripsit epistolam, » quae de septem catholicis est, quae » et ipsa ab alio quodam sub nomine » eius edita asseritur, licet paulatim » tempore procedente obtinuerit au» ctoritatem (1).»

De mente Eusebii varia est eruditorum sententia. Quidquid vero sit, testatur Eusebius (2), hanc epistolam suo tempore in plurimis ecclesiis lectam fuisse, et sub finem saeculi quinti evanuit dubium de eius canonica auctoritate, quae semper a potiore parte patrum fuit agnita, ut a patribus nn. 9-13 citatis, et ab Origene, concilio milevitano, Cypriano, Athanasio, Ephrem syro, Gregorio Nazianzeno, Hieronymo, Chrysostomo, Augustino, Hesychio, Gregorio Magno, Cassiodoro, Isidoro, etc. (3).

§ CCXXX. Locus scriptionis, lingua, aetas, occasio proxima, argumentum et scopus huius epistolae.

480. Iacobus minor, episcopus hierosolymitanus, iuxta testimonia antiquorum scriptorum ecclesiasticorum Hierosolymam numquam reliquit (conf. Gal. I, 18, 19. Act. XV, 12-13; XXI, 18); quare eius epistola Hierosolymis scripta fuit, idiomate graeco, circa annum 58-63 aerae vulgaris.

Occasionem huic epistolae dederunt persecutiones, quas iudaei a morte Stephani, protomartyris, in alios iudaeos conversos exercebant, necnon doctrina nonnullorum pseudodoctorum.

En igitur argumentum et scopum epistolae. Iacobus christianos, et praesertim iudaeos conversos, per Palaestinam aliasque regiones dispersos, a periculo apostasiae, et a perniciosa pseudodoctorum doctrina praeservaturus, agit de patientia christianis in variis tentationibus seu periculis, quibus obnoxii erant, necessaria (c. I).

Castigat acceptionem personarum, qua christiani nonnulli in suis conventibus religiosis divites aliis praeferebant, monetque christianum fidem suam per bona opera externa manifestare debere (c. II).

Docet linguam fraeno coërcendam esse, eo quod loquacitas multa mala pariat, et ostendit in quo vera consistat sapientia (c. III).

Indicat unde proficiscantur eorum discordiae; hortatur ad humilitatem, utque sibi a praecipiti iudicio praecaveant, etc. (c. IV).

Loquitur de infortuniis in divites ac avaros ruituris, de patientia, de iureiurando evitando, de extrema unctione infirmorum, de peccatis invicem confitendis, de efficacia orationis iusti, ac de meritis peccatores convertentium (c. V).

DE I EPISTOLA B. PETRI APOSTOLI

§ CCXXXI. Petrus.

481. Petrus, antea Simon vocatus, Bethsaidae, in vico Galilaeae (Ioan. I, 44) patre Iona seu Ioanne (ib. v. 42) natus, frater Andreae apostoli fuit (ib. v. 40), ac inter primos Christi discipulos electus (Matth. IV, 18-20). Christus ei per Andream ad se adducto, nomen Simonis in nomen Cephae mutavit, quod syriace

(1) Hier. de script. eccles. Iacobus.

(2) Euseb. l. 2, c. 25.

(3) Orig. hom. 7 in Iosue. Conc. Mil. can. 7. Cypr. l. ad Novatianum. Athan. l. de decret. syn. Nicaen. 7, epist. 114. Ephrem. serm. de poenit. Greg. Nazianz. serm. 28. Hier. epist. ad Paulin. Chrys. lib. 3 de sacerd. Aug. in Ps. 31, epist. 29, lib. 2 de doctr. Christ. Hesych. in Levit.

petram significat (Ioan. I, 42). Zelo ardenti et amore ingenti in Christum eminuit (Matth. XIV, 28-29. XXVI, 51. Ioan. XXI, 7); quare Christus illum principem collegii apostolici, caputque ecclesiae constituit (Matth. XVI, 15-19). Petrus antiochenam condidit ecclesiam, fidem praedicavit in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia et Bithynia, ut ex eius I epistola c. I, 1-2, ex Hieronymo (1), et ex Eusebio (2) constat. Testibus hisce auctoribus aliisque (3) Romam venit, quo sedem suam pontificiam transtulit, et ubi anno 66 aerae vulgaris, capite in terram verso, in crucem actus fuit. Ut apostolorum principis labores, zelus, potestas prodigiosa, atque merita accuratius noscantur, legantur Act. Apost. c. I, 15-22. c. II, 14-40. c. III. c. IV, c. V. c. VIII, 14-23. c. IX, 32-43, c. X. c. XI, 1-18. c. XII, 1-17. c. XIV, 7-29.

§ CCXXXII. Locus scriptionis, lingua et aetas I epistolae Petri.

482. Ex cap. V, 13 colligitur hanc epistolam scriptam esse Babylone. Huius nomine intelligunt alii antiquam Babylonem, alii novam Babylonem, Seleuciam nempe et Ctesiphontem (4), alii tandem mysticam Babylonem, Romam, quae propter idololatriam morumque corruptelam antiquae Babyloni persimilis christianis sub nomine Babylonis cognita fuisse videtur (conf. Apoc. XVI, 19, XVIII, 2, 10).

Lingua primigenia huius epistolae est graeca; delata fuit per Silvanum, seu Silam (c. V, 12), post Petri Hierosolymis discessum, circa annum 63 aerae vulgaris, ad christianos dispersos in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia ac Bithynia (c. I, 1). Petrum hanc epistolam misisse ad christianos e iudaismo et gentilismo conversos patet 1°, quod c. III, 6 mulieres christianas vocet Sarae filias; et 2°, quod c. IV, 3 christianos ut quondam idolorum cultores respicit.

§ CCXXXIII. Occasio proxima, argumentum et scopus huius epistolae.

483. Occasionem huic epistolae dedisse videntur persecutiones, quibus christiani tum obnoxii erant; quare argumentum et scopus spectat ad christianos praemuniendos ne a Christi religione deficiant.

Petrus igitur exhibet dignitatem christianae religionis, fidelesque hortatur ad vitam christiano nomine dignam ducendam, ac ad mutuam charitatem exercendam. Monet ut officiis suis rite fungantur, ne detrectent obedire magistratibus licet ethnicis, neque servi heris suis, quamvis gentilibus, denegent obedientiam. Hortatur apostolus mulieres ne maritos suos, etsi paganos, contemnant, virosque admonet ut coniugibus suis obsequantur. Exemplo Christi ad malorum tolerantiam provocat. Invitat ad sobrietatem, vigilantiam, orationem, hospitalitatem, etc. Edocet episcopos et fideles illis subiectos. Tandem christianos salutat nomine ecclesiae Babylonis, ac nomine Marci.

DE II EPISTOLA B. PETRI APOSTOLI

§ CCXXXIV. Auctor huius epistolae.

484. De auctore et auctoritate huius epistolae olim disputatum fuit, 1° quod scriptores ecclesiastici saeculi primi et secundi ad illam non provocaverint; 2° quod stylus eius diversus sit a priore Petri epistola; quod 3° Origenes affirmaverit (5) de illius auctoritate disputari. Hieronymus de Petro : « Scripsit, inquit, » duas epistolas... quarum secunda » a plerisque eius esse negatur (6). »

(1) Hier. de script. eccles. Petrus.
(2) Euseb. lib. 5, c. 1.
(3) Vide Iren. adv. haeres. l. 3, c. 1, 3. Tertul. de praescript. c. 36.
(4) Coniuncta scilicet rudera Seleuciae et Ctesiphontis, hodie Al-Modain.
(5) Orig. apud Euseb. l. 6, c. 25.
(6) Hier. de script. eccles. Petrus.

Didymus: « Non est ignorandum, » scribit, praesentem epistolam esse » falsatam, quae licet publicetur, » non tamen in canone est (1). » Eusebius: « Quae vero secunda (Pe- » tri) appellatur, inquit, eam qui- » dem inter sacros novi testamenti » libros recensitam non esse a ma- » ioribus accepimus (2). » Veteres syri eam ut spuriam in canonem non retulerunt, et syri recentiores, licet eam legant, ipsam tamen ut canonicam non habent.

Ast 1° probandum esset paucos istos scriptores ecclesiasticos primi et secundi saeculi, quorum opera ad nos pervenerunt, de illa loquendi occasionem aut necessitatem habuisse, illosve certis de causis ipsam reiecisse.

2° Differentia styli tanta non est ut alium signet auctorem; illa facile a diversis Petri interpretibus proficisci potuit, prout iam Hieronymus observavit.

3° Origenes (Homilia 7 in Iosue) scribit: « Petrus duabus epistolarum » suarum personat tubis, Iacobus » quoque et Iudas. »

Hieronymus expresse dicit: « Scripsit duas epistolas; » quare ipse censuit hanc epistolam esse Petri.

Utrum allegata verba sint Didymi, haud certum est; leguntur modo ad finem eius commentarii. Si secundam epistolam falsatam atque extra canonem credidisset, cur in illam commentarium scripsisset?

Eusebius adsertionem suam haud probat. Libro autem 3, c. XXV discrimen inter libros ὁμολογουμένους, *haud controversos*, ἀντιλεγομένους, *controversos*, ac νόθους, *spurios*, instituens, ait secundam epistolam Petri non ad *spurios*, sed ad *controversos* pertinere.

Particulare autem syrorum iudicium universalis ecclesiae iudicio haud officit.

Hanc vero epistolam esse Petri constat 1° quod (c. III, 1) dicat, se secundam *christianis scribere epistolam;* 2° quod (c. I, 16-18) scribat se Christi transfigurationi interfuisse; 3° quod (c. III, 15) Paulum fratrem seu coapostolum vocet; et 4° quod ab antiquis patribus ut Petri agnita fuerit, ut ab Irenaeo, Origene, Cyrillo hierosolymitano, Epiphanio, Macario, Athanasio, etc., (n. 9-17).

§ CCXXXV. Locus scriptionis, lingua, aetas, occasio proxima, argumentum et scopus II epistolae Petri.

485. Secundam hanc epistolam Romae scriptam esse circa annum 65 aerae vulgaris colligitur ex cap. I, 14, ubi Petrus de sua morte ut imminente loquitur: Romae enim diu in carcere detentus fuit, ac anno 66 cruci adfixus. Exarata est epistola graece, atque pro iisdem fidelibus scripta, ad quos prima epistola missa fuerat (c. III, 1).

Occasionem huic epistolae dedisse videntur quorumdam christianorum opinatio, vel pseudodoctorum doctrina, Christum iamdiu secunda vice advenire debuisse, christianorumque in fide relaxatio.

Quare argumentum et scopus circa haec versantur. Monet Petrus christianos, ut maximorum beneficiorum a Deo acceptorum memores, per varias virtutes sibi ingressum in regnum Domini comparent; dicit mortem sibi instare, ac suam doctrinam esse certam, eo quod illam habeat a Christo, quem in transfiguratione vox Patris coelestis, et antea prophetae commendarant (c. I).

Multos ait a pseudoprophetis seduci, sed falsos hos doctores vehementer esse puniendos, ut homines tempore diluvii, et sodomitae puniti fuerunt (c. II).

(1) Didym. Comment. in hanc epist.
(2) Euseb. l. 3, c. 3.

Fideles praemunit adversus pseudodoctores secundum Christi adventum negantes, dicitque Dominum brevi et insperato esse adventurum, et mundum renovandum esse. Laudat scripta Pauli apostoli, quae ab indoctis dicit depravari (c. III).

DE I EPISTOLA B. IOANNIS APOSTOLI

§ CCXXXVI. Lingua, locus scriptionis, aetas, occasio proxima, argumentum et scopus I epistolae Ioannis.

486. Scripta fuit haec epistola, ut quae sequentes, sermone graeco. Existimant alii, locum eius scriptionis esse insulam Pathmos (conf. n. 438), alii vero numero plures Ephesum. Aetas illius collocatur ad annum 66-97 aerae vulgaris. Cl. Schnappinger, qui novissimam horam (c. II, 18) accipit de extremis iudaeorum reipublicae temporibus (1), consequenter arbitratur hanc epistolam ante eversionem Hierosolimae, proinde ante annum 70 aerae vulgaris scriptam fuisse.

Haec epistola non ad peculiarem aliquam ecclesiam missa videtur, sed ad fideles Ephesi, in eiusque vicinia commorantes. Eius materia perinde in omnes christianos convenit.

Occasio huius epistolae fuisse videtur zelus Ioannis fideles in praecipuis veritatibus christianae religionis confirmandi, et ab erroribus contra divinitatem I. C. tum grassantibus praemuniendi.

Argumentum igitur et scopus epistolae huc faciunt. Inculcat Ioannes necessitatem fidei ad salutem in Iesum ut *filium Dei, redemptoremque nostrum*, atque commendat amorem proximi. Respicit autem ad errores ebionitarum, cerinthianorum, etc., qui tum temporis divinitatem I. C. negabant, et contra quos apostolus fideles praemunit.

(1) Schnappinger H. Schrift des n. B. Erste Brief. Joh. § 1. Mannheim und Linz 1808.

§ CCXXXVII De authentia versus 7 c. V I epistolae Ioannis.

487. *Obi.* Magna abhinc uno circiter saeculo inter eruditos orta est controversia de authentia huius versus: *Tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt.*

Praeter Christophorum Sandium, Clericum, Crellium, Woltzogenium, Grotium, Semlerum acatholicos, authentiam huius periochae impugnarunt Simon Richard, Du Four, Ludovicus abbas de Longuerue, etc. Rationes, quibus potissimum dimicarunt, sunt

I. Quod versus iste in antiquissimis probatissimisque codicibus graecis usque ad saeculum quartum decimum et in codice vaticano et alexandrino non reperiatur.

II. Quod desideretur in quibusdam versionibus, praesertim orientalibus.

III. Quod a patribus antiquis, ut ab Athanasio, Hilario, Gregorio Naz., etc., uti a concilio nicaeno primo et sardicensi contra arianos adhibitus non sit, dum eisdem argumentum irrefragabile adversus istos haereticos suppeditasset.

IV. Quod prisci patres ad adstruendam ss. Trinitatem versus 6 et 8, c. V primae epist. Ioannis adlegarunt, loco citandi versum 7, qui est apertissimus, quemque, aiunt, patres haud praetermisissent, si authenticum credidissent.

V. Alii asseruut arianos versum 7 adiecisse ut inde conficerent, quod sicut iuxta versum 8 *spiritus et aqua et sanguis... unum sunt* non natura, sed consensu testimonii, ita etiam *Pater, Verbum et Spiritus sanctus* sint *unum* non natura, sed consensu testimonii.

488. *Resp.* Verum versus 7 imprimis optime cohaeret cum antecedentibus et consequentibus, et

nullam suppositionis notam in se continet; consentit enim apprime non modo quod ad substantiam, sed etiam quod ad singula fere verba cum aliis dictis Ioannis: nam Christus in evangelio Ioannis Verbum vocatur (c. I, 14); tres personae ss. Trinitatis occurrunt (ib. c. XV, 26), Pater testatur de Christo (ib. c. V, 37; VIII, 18; X, 25), Christus testatur de seipso (ib. c. V, 36; VIII, 18; X, 25), Spiritus sanctus testatur de Christo (ib. c. I, 32; XV, 26). Quod autem *hi tres* testes *unum* sint essentia, dixerat iam Ioannes (ib. c. XVI, 13-15). Ad singula vero gradum facientes:

I. Fatemur laudatam pericopam in antiquis codicibus graecis non reperiri; verum probandum foret istos codices autographo Ioannis esse conformes. Paucissima epistolarum catholicarum extant exemplaria antiqua, nemoque gloriabitur se omnia vidisse, ut ex maiori aut minori numero laudatam pericopam continentium vel omittentium litem decidat. Continetur porro haec periocha in praestantissimis codicibus graecis et latinis.

Ex graecis sunt

1° Ii, quibus editionis complutensis auctores usi sunt. In praefatione illius card. Ximenes Leoni X inter alia: « Id aperte testari possumus, » inquit, maximam laborum partem » in eo praecipue fuisse versatam, » ut castigatissima omni ex parte » vetustissimaque exemplaria pro ar» chetypis haberemus, quorum qui» dem tam hebraicorum quam grae» corum ac latinorum multiplicem » copiam variis ex locis non sine » summo labore conquisivimus. At» que ex ipsis quidem graeca sancti» tati tuae debemus, quae ex apo» stolica bibliotheca antiquissimos » tum veteris tum novi testamenti » codices perquam humane ad nos » misisti, qui nobis in hoc negotio » maximo fuerunt adiumento (1). »

2° Codex britannicus, cuius auctoritate motus Erasmus pericopam Ioannis, quam in duabus editionibus omiserat, tertiae novi testamenti editioni anno 1522 inseruit.

3° Codex berolinensis a Ravio ex oriente adlatus, quem Stoschius, bibliothecae berolinensi praefectus, 400 annorum aetatem habere existimat.

4° Codex vaticanus vetustissimus, de quo loquitur Ancelotius.

5° Codex dublinensis, quem Usserius, Armachanus in Irlandia episcopus, habuit.

6° Codices, quos in editione novi testamenti adhibuit Laurentius Valla.

7° Codices, quos Hervagius ad biblia graeca veteris et novi testamenti Basileae anno 1545 typis mandanda secutus est.

8° Codices, queis Ben. Arias Montanus in regio opere anno 1571 usus est. De iis Arias in praefatione: « Granvellanus cardinalis, inquit, bi» bliorum graecorum exemplaria, » suis impensis ad vaticanam fidem » descripta, et diligentissime colla» ta, ad nos misit. »

9° Sexdecim codices Mss., quos Rob. Stephanus in elegantissima editione anno 1550 conficienda adhibuit; notat autem ex illis septem dumtaxat graecos fuisse, qui v. 7 voces ἐν οὐρανῷ, *in coelo*, non habebant, quas tamen, apposito obelo, ex aliorum codicum auctoritate adiecit.

10° Calvinus ac Beza prefatam pericopen suo tempore in optimis codicibus graecis extitisse testantur.

Ex latinis vero sunt

1° Codices, queis saeculo sexto usus est Aur. Cassiodorus.

(1) Quae contra codices editorum complutensium obiici solent soluta vide apud Ioach. Ehrenfried Pfeiffer: Triada Testium in coelo, Erlangae, 1771.

2° Codex vetustissimus olim s. Germani de Pratis anni 809.

3° Codex quondam pp. praedicatorum Parisiis anni 1236.

4° Codices duo constantienses, et unus basileensis, teste Erasmo.

5° Codices duo ienenses, Gerardo et Kettnero testibus.

6° Codices quinque veronenses, teste Maffeio.

7° Codices quinque bodleiani, teste Burneto.

8° Codex argentinensis, venetus, florentinus, et codex antiquissimus olim in Abbatia corbeiensi.

9° Lucas brugensis inter codices triginta tres septem dumtaxat reperit, qui dicta periocha carebant. Tandem ipse Simon Richardus ingenue fatetur circa saeculum decimum omnia fere exemplaria latina praefatam pericopen continuisse (1). Ex

II. Solummodo sequitur auctores harum versionum nactos esse exemplaria in quibus versus 7 deerat. At enim in quaestione hoc ipsum est, num huiusmodi exemplaria sint autographo Ioannis conformia. Reperitur autem praefata periocha in versione itala, apostolorum temporibus, ut creditur, facta, in versione armenica, teste Millio, in editione italica Brucioli anni 1532 et iuxta textum graecum facta. Tandem lutherani et calvinistae ipsam in suis bibliis recensent.

III. Quod patres nonnulli antiqui versum istum non citaverint haud probat eum non esse authenticum, neque enim qui locum aliquem bibliorum citare omittit, affirmat propterea ibidem desiderari. Ratio cur isti patres hanc pericopen non citaverint in eo est quod prae manibus haberent exemplaria, in quibus per amanuensium incuriam omissa fuerat, facile enim ob similitudinem cum versu 8 praetermitti potuit; vel quod ariani, qui late dominati sunt, illam in multis exemplaribus expunxissent, aut ipsam sublestae fidei accusarent; vel patres hunc versum non adlegarunt, ne ariani inde perperam colligerent, quod sicut iuxta versum 8 *spiritus et aqua et sanguis unum sunt* ratione consensus in testimonium, ita iuxta versum 7 *Pater, Verbum et Spiritus sanctus* unum sint non natura, sed ratione concordiae et voluntatis.

A conciliis nicaeno et sardicensi ac a nonnullis patribus antiquis non tam *trinitas personarum divinarum*, quam *divinitas I. C.* probanda erat; hanc autem ex aliis scripturae locis evincere malebat.

Ceterum laudata pericope Ioannis allegata fuit saeculo secundo a Tertulliano et Cypriano; saeculo quarto a Phoebadio, ab auctore Athanasii temporibus proximo in opere de *una deitate Trinitatis* (l. 1), ab auctore contra arianos scribente libro *Adversus Varimundum*; saeculo quinto ab Eucherio lugdunensi episcopo, et a plus quam 400 episcopis africanis, in formula fidei Hunerico vandalorum regi oblata, et in concilio facta, ut Victor Vitensis, in Africa episcopus, testatur. Saeculo sexto citata fuit ab Aur. Cassiodoro, a Fulgentio Ruspensi episcopo, qui ad auctoritatem Cypriani provocans: « Tres sunt.... inquit, quod etiam » beatissimus Cyprianus in epistola » de unitate ecclesiae confitetur di» cens: Tres sunt qui, etc.»

Ecclesia graeca hoc Ioannis testimonium suis libris ritualibus inseruit. Lectionarium illius ecclesiae, saeculo quinto confectum, illud refert, ac fidei professio graeco-latina in concilio lateranensi quarto, praesentibus et non reclamantibus graecis facta, illud continet (2).

(1) Simon Richard, critique du N. T. ch. 18.

(2) Tert. lib. contra Praxeam, cap. 31. Cypr. lib. de unitate ecclesiae. Phoeb. lib. contra aria-

IV. Exinde quod nonnulli patres antiqui versum 6 et 8 in sensu mystico de ss. Trinitate adhibuerint, praetermisso 7, sequitur dumtaxat patres istos versum 7 aut in suis manuscriptis non habuisse, aut illo ob rationes n. 3 adlatas uti noluisse.

V. Assertio ista nullo prorsus nititur fundamento: ratio vero ob quam ariani hunc textum epistolae Ioannis inseruissent, nullius ponderis fuisset; ex eo enim quod iuxta versum 8 *Spiritus et aqua et sanguis* unum dumtaxat sint ratione consensus testimonii, minime sequitur, iuxta versum 7, *Patrem, Verbum,* et *Spiritum sanctum* unum solummodo esse ratione consensus testimonii. Quis ignorat creatorem inter et creaturas immensam intercedere dissimilitudinem? Diversae substantiae creatae natura unum esse nequeunt, possunt autem personae divinae, cum eamdem habeant essentiam. Laudatus versus 7 mysterium ss. Trinitatis tam manifesto exprimit, ut cl. Conr. Fred. Stresow recte opinetur ideo plures illum impugnasse, quod nulla vel contorta interpretatione apertum eius sensum obscurare, aut incertum reddere possent (1) *.

DE II ET III EPISTOLA B. IOANNIS

§ CCXXXVIII. Auctor et auctoritas harum epistolarum.

489. Hae duae epistolae olim ab aliquibus Ioanni apostolo abiudicatae, et alteri Ioanni, presbytero ac Domini discipulo, adiudicatae fuerunt; 1° quod nomen apostoli in archetypo graeco non legatur, 2° quod auctor in duabus epistolis se vocet seniorem (II Ep. I, 1; III Ep. I, 1).

Occasionem huic nonnullorum opinioni dedit Papias qui duos Ioannes recensuit; inde *plures*, ait Simonius, *ex scriptoribus ecclesiasticis credebant eumdem* (Ioannem presbyterum) *II ac III Ioannis epistolae fuisse auctorem.*

Verum hae duae epistolae a saeculo quarto ut Ioannis apostoli ab universa ecclesia habitae fuerunt, earumque auctoritas a potioribus pa-

nos. Euch. formul. spirit. intelligentiae, cap. 9. Vict. lib. 5 de persec. vandalorum. Cassiod. complexion. ad c. V epist. Ioan. Fugl. lib. resp. ad obiect. arian. respons. 1.

(1) Stresow Freymüthiges Bekenntniss der Kristl. Dreyeinigkeits Lehre. Hamburg 1786, s. 25.

* Perspicuitatis causa en I Ioan. V, 6-8 explicationem:

V. 6. *Hic est qui venit per aquam et sanguinem Iesus Christus*, nempe qui per suum baptisma et passionem se verum Messiam ostendit: *non in aqua solum*, hoc est per baptisma aquae, quod instituit, *sed in aqua et sanguine*, sed et per salutare baptisma et per passionem cruentam pro salute hominum in cruce toleratam. Haec divinae eius missionis sunt certissima argumenta. *Et spiritus est, qui testatur quoniam Christus* (graece πνεῦμα, *spiritus*) *est veritas*, id est testatur spiritus doctrinae, miraculorum, etc., quae in probationem divinae suae missionis edidit. Spiritus autem Christi est veritas.

V. 7. *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus.* Iuxta legem Moysis duo testes veritatem sufficienter testantur, sed tres sunt in coelo, qui attestantur Christum esse verum Messiam, verum Filium Dei: Pater scilicet id testatus est tum in baptismate Christi, tum in eius gloriosa transfiguratione; Verbum id testatum est tum per divinam suam doctrinam, tum per miracula, resurrectionem etc., et Spiritus sanctus tum per descensum in apostolos, tum per gratias in fideles effusas. *Et hi tres unum sunt*, unam eamdemque veritatem testantur, atque unum idemque ens divinum sunt.

Nonnulli, ut cl. Schnappinger (H. Schrift des N. B. I. Ioh. V), haec ultima verba Ioannis de unitate testimonii in Christi divinam missionem intelligunt, tum quod haec verba v. 8 ita sumantur, tum quod scopus Ioannis fuisse dicunt hanc unitatem adstruere. Verum unitas testimonii unitatem essentiae divinarum Personarum minime excludit.

V. 8. *Et tres sunt qui testimonium dant in terra*, sunt adhuc tres testes in hac terra, qui Christum verum Messiam esse attestantur, *spiritus* nempe eius doctrinae etc., *et aqua*, seu baptismus eius salutaris, *et sanguis*, seu mors eius cruenta. Versu hoc repetitur versus 6 ad ostendendam multitudinem testium de divina Christi missione. *Et hi tres unum sunt*, unam eamdemque rem testantur.

Iuxta nonnullos v. 7, *Pater, Verbum et Spiritus sanctus*, testantur *Christi divinitatem*, et v. 8, *Spiritus, aqua et sanguis* attestantur eius *humanitatem*. Iuxta illos, *spiritus*, v. 8, significat spiritum, quem Christus in cruce in manus Patris commendavit, et *aqua* ac *sanguis* significant aquam et sanguinem in ara crucis e Christi perfosso latere egressa.

tribus ecclesiae semper agnita fuit, ut ab Irenaeo, Clemente Alex., Tertulliano, Athanasio, Ambrosio, Cyrillo Hieros., Auctore synopseos, Gregorio Naz., Concilio Laodiceno, Augustino, etc. Hieronymus: « Clangit, inquit, tuba evangelica filius » tonitrui, et quem Iesus amavit » plurimum, qui de pectore Salva» toris doctrinarum fluenta potavit, » presbyter Electae dominae et filiis » eius; quos ego diligo in veritate; » et in alia epistola, presbyter Caio » charissimo (1).

Caeterum stylus et scribendi ratio eadem prorsus sunt in hisce epistolis, ac in prima Ioannis epistola, et in eius evangelio. Porro

1° Nomen *apostoli* in textu quidem graeco non reperitur; at nec in epistolis ad Thessalonicenses, Philippenses et Philemonem hoc nomen occurrit; nemo autem ideo dubitat, num hae epistolae sint Pauli apostoli. Ioannes apostolus Electae et Caio, quibus has epistolas scripsit, aliunde sat notus erat.

2° Ioannes autem se *Seniorem* inscribit, eo quod aetate provectus hasce epistolas exaravit, aliosque apostolos vivendo superavit.

§ CCXXXIX. Locus scriptionis, aetas, lingua, occasio proxima, argumentum et scopus II et III epistolae Ioannis.

490. Epistolae istae scriptae fuisse videntur Ephesi. Similitudo earum argumenti atque primae epistolae Ioannis innuit eas conscriptas esse eodem circiter tempore ac primam epistolam circa annum nempe 66-97 aerae vulgaris. Exaratae autem fuerunt idiomate graeco.

Occasio earum fuisse videtur zelus apostoli, eos ad quos missae sunt, in fide et in virtute confirmandi; quare earum argumentum et scopus perspicua sunt. In secunda autem epistola Ioannes Electam dominam eiusque filios confirmat in charitate ac fide, hortaturque ut antichristos, seu haereticos, ac eorum doctrinam evitent, et illis ne quidem *ave* dicant. Haec praestat paucis, et plura se illis verbotenus dicturum esse pollicetur, quando ad eos venerit.

In tertia epistola Caium magnopere dilaudat ob religionis atque hospitalitatis in peregrinos studium in quo hortatur ut perseveret, Diotrephis calumniis ac inhumanitate neglectis. De Demetrio ut optimo christiano loquitur, additque se brevi Caium invisurum esse.

DE EPISTOLA B. IUDAE APOSTOLI

§ CCXL. Auctor et auctoritas huius epistolae.

491. Hanc epistolam esse Iudae fratris Iacobi ex v. 1 liquet, hunc autem Iudam esse apostolum et fratrem Iacobi minoris, proinde cognatum Iesu, ex Luc. VI, 16, coll. cum Matth. XIII, 55. Marc. VI, 3, patet (conf. n. 479). Vocatur Iudas etiam Thaddaeus Matth. X, 3. Marc. III, 18.

De auctore, ac consequenter de auctoritate huius epistolae, quondam a nonnullis addubitatum fuit. Hieronymus: « Iudas, inquit, frater » Iacobi, parvam quidem, quae de » septem catholicis est, epistolam » reliquit. Et quia de libro Enoch, » qui apocryphus est, in ea assumit » testimonium, a plerisque reiici» tur. » Sed addit: « Tamen auctori» tatem vetustate iam et usu meruit, » et inter sanctas scripturas com» putatur (2). » Eusebius admodum paucos ex antiquis huius epistolae meminisse scribit (3); sed alibi illam numero τῶν ἀντιλεγουμένων γραφῶν, *scriptorum controversorum*, accenset (4), et alio in loco ipsam cum

(1) Hier. epist. 85.
(2) Hier. de script. eccles. Iuda.
(3) Euseb. lib. 3, c. 3.
(4) Lib. 6, c. 14.

aliis ἀντιλεγουμένοις, Scriptis sacris *controversis* probatam multis esse testatur(1). Syri Iudae epistolam adhuc reiiciunt.

Rationes ob quas haec epistola ab aliquibus olim dubiae fidei habita, aut reiecta fuit, sunt:

1° Quod v. 9 occurrat altercatio Michaëlis cum diabolo ob corpus Moysis, quae nusquam in scriptura reperitur, sed ex libro spurio de Moysis assumptione desumpta videtur.

2° Quod v. 14 adlegari videatur liber Henoch, qui pariter est apocryphus.

3° Quod v. 17 dicatur: « Memores » estote verborum quae praedicta » sunt ab apostolis. »

Verum auctoritas epistolae Iudae a potioribus ecclesiis et patribus semper agnita fuit (conf. n. 9-17). Illam inter alios speciatim agnoverunt Clemens Alex., Origenes, Tertullianus, Epiphanius, Cyrillus Hier., Gregorius Naz. etc. (2). A quarto autem saeculo omnes patres, qui librorum sacrorum canonem texuerunt, Iudae epistolam inter scripturas canonicas retulerunt. Quod spectat allatas difficultates,

1° Narrat quidem Iudas quod diabolus mortui Moysis corpus auferre voluerit, ut iudaeos ad idololatriam pronos, ad illius tamquam summi viri legatique divini adorationem alliceret; quod Michaël diabolo restiterit, corpus Moysis abstulerit et absconderit, et tamen iudicium adversus diabolum ferre ausus haud sit, sed illud Deo reliquerit. Ex hac narratione, paucis perstricta, quia reliqua nota sumuntur, Iudas salutarem morum doctrinam deducit. Historia isthaec aevo Iudae nota omnino fuisse videtur, Iudas saltem illam ut talem ponit; quare potuit apostolus eam aliunde quam ex apocrypho libro de Moysis assumptione depromere.

Attamen etiamsi deprompsisset, nondum inde sequeretur eam falsam esse. Factum hoc extraordinarium quidem est, sed luctatio patriarchae Iacobi cum angelo, visio angeli Balaami asinam sistentis, loquela asinae, etc. non minus extraordinaria sunt. Paulus (Tit. I, 12) citat dictum poëtae Epimenidis, « Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri; » neque tamen alia Epimenidis dicta, vel fabulas, propterea approbare censetur. Quare etiamsi Iudas allatum factum ex libro apocrypho hausisset, minime fabulas in eo contentas approbare censendus esset. Iudam vero commemoratam narrationem iudaeis allegasse, ut se eorum opinioni, gustui ac captui accommodando, doctrinam eis salutarem inde efficacius deduceret, ut cl. Brentanno atque Schnappinger existimant, verbis Iudae adversari videtur, eo quod istam historiam expresse asseverateque narret (3).

2° Apocryphum librum Henoch (v. 14) allegari, ex loco isto non evincitur; ibi enim solummodo legitur: « Prophetavit autem de his septimus ab Adam Henoch. » Quae verba vaticinium aliquod Henochi indicant, quod Iudas e maiorum traditione, vel etiam ex revelatione (nemo enim illi divinam inspirationem abnegabit) scire potuit. In fragmentis vero, quae sub nomine Henoch circumferuntur, nihil de laudatis verbis Iudae reperitur.

3° V. 17. Iudas hoc tantum innuit, se idem tum scribere, quod antea alii quoque apostoli dixerant.

(1) Lib. 5, c. 25.
(2) Clem. lib. 5, strom. Orig. comm. in Matth. c 15; Tert. de habitu mul. c. 3.

(3) Brentanno Einleitung in den Brief des apost. Iud. Francfurt 1798. Schnappinger Brief des apost. Iud. v. 9. Mannheim, 1808.

§ CCXLI. Lingua, locus scriptionis, aetas, occasio proxima, argumentum et scopus epistolae Iudae.

492. Scripsit Iudas hanc epistolam graece, quo autem in loco haud constat; exarata autem videtur ante annum 70 aerae vulgaris eo quod secus v. 5-8 mentio de ruina Hierosolymae facta esset. Verisimiliter scripta fuit aliquantulum post secundam Petri epistolam cui analoga quaedam in hac epistola occurrunt, circa annum scilicet 66 aerae vulgaris.

Occasionem huic epistolae dederunt pseudodoctores seu haeretici, solam fidem sine bonis operibus ad salutem sufficere docentes.

Quare argumentum et scopus epistolae in hoc versantur. Monet apostolus fideles ut in suscepta fide perseverent, sibique caveant a pseudodoctorum impietate atque lascivia, quibus idem atque iudaeorum, angelorum ac sodomorum iudicium intentat. Variis adhibitis comparationibus perfecta horum seductorum imaginem exprimit. Agit de altercatione Michaëlis cum diabolo ob corpus Moysis, et loquitur de Henoch atque apostolorum praedictionibus.

DE APOCALYPSI B. IOANNIS APOSTOLI

§ CCXLII. Auctor Apocalypseos.

493. Ἀποκάλυψις, *Apocalypsis*, seu *Revelatio*, antiquitus a nonnullis Ioanni apostolo abiudicata fuit. Caius, scriptor latinus, qui saeculo tertio, tempore Zephyrini R. P. vixit, illam attribuit Cerintho haeretico quem existimavit, eam Ioanni apostolo attribuisse, ut suos errores facilius disseminaret (1). Dionysius Alex., scriptor tertii saeculi refert(2), aliquos veteres apocalypsim reiecisse, totam refutasse, eamque adscripsisse Cerintho haeretico: se autem credere illam esse alterius Ioannis, non vero apostoli. Graeci nonnulli aetate Hieronymi ipsam non agnoscebant. Alogi haeretici secundi saeculi, apocalypsim reiiciebant; eam Cerintho attribuebant, aiebantque ecclesiam Thyatirae, ad cuius episcopum Ioannes (c. II, 18) scribere iubetur, eo tempore nondum fuisse.

Rationes potissimae, ob quas nonnulli apocalypsim reiecerunt, sunt:

1° Magna eius obscuritas, quae omnem huiusce libri utilitatem perimere videtur.

2° Styli illius diversitas a stylo evangelii et epistolarum Ioannis apostoli.

3° Ipsius inscriptio in codicibus graecis: Ἀποκάλυψις Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου, *Apocalypsis Ioannis theologi*.

4° Frequens repetitio nominis Ioannis, ut (c. I, 1): *Mittens per angelum servo suo Ioanni* (ib. v. 4); *Ioannes septem ecclesiis* (ib. v. 9). *Ego Ioannes* (c. XXI, 2); *Ego Ioannes* (c. XXII, 8); *Ego Ioannes*, etc., dum Ioannes apostolus in evangelio et epistolis hoc non facit. Has ob rationes hodieque nonnulli recentiores protestantes de auctoritate Apocalypseos dubia movent.

§ CCXLIII. Solutio difficultatum adversus Ioannem apostolum qua auctorem Apocalypseos.

494. Causa praecipua, qua antiqui nonnulli moti sunt ut Apocalypsin reiicerent, fuit quidem eius obscuritas; ast haec postea imminuta fuit. Coniecturae autem istorum veterum omni prorsus fundamento erant destitutae; nam Cerinthum non esse auctorem Apocalypseos clare constat ex doctrina huius libri, quae doctrinae Cerinthi omnino opposita est. Regnum autem mille annorum Christi in hac terra c. XX, 2-5 occurrere falsissimum est, et Thyatirae, tempore quo scripta est Apocalypsis, non fuisse ecclesiam assertio est gra-

(1) Caius apud Euseb. l. 5, c. 28.

(2) Tract. de promissis.

tuita, nulla prorsus ratione suffulta, et Apoc. II, 18 refutata. Si graeci nonnulli paucique alii Apocalypsin reiecerunt, potiores tamen patres ecclesiae illam semper agnoverunt, ut saec. primo Papias; saec. secundo Irenaeus, Iustinus, Melito sardensis, Clemens Alex. et Hippolytus; saec. tertio Origenes et Tertullianus; saec. quarto Eusebius Caes., Hieronymus, Epiphanius (1), etc.

Quod spectat

1° Obscuritatem Apocalypseos, fatemur illam haud esse exiguam; minor autem nunc est, cum variae illius prophetiae adimpletae sunt, ac fuerit olim. Haec vero obscuritas rationem sufficientem praebere non potest reiiciendi librum, quem traditio ecclesiae ut genuinum opus Ioannis apostoli ad nos transmisit.

2° Stylum Apocalypseos interdum diversum esse a stylo evangelii et epistolarum Ioannis apostoli, praesertim quando verba angeli referuntur, non mirabitur quicumque attenderit materiam Apocalypseos esse propheticam per imagines et symbola orientalium modo poëtico propositam, materiam vero evangelii et epistolarum esse historicam ac didascalicam.

At collatione facta locorum Apocalypseos quae quod ad materiam analoga sunt, observatum est eius stylum generatim esse similem stylo evangelii et epistolarum Ioannis apostoli (2).

3° Inscriptio codicum graecorum auctorem a Ioanne apostolo diversum non arguit; nomen enim theologi Ioanni ob sublimem doctrinam de Deo et Christi divinitate in evangelio, quod ab aeterna generatione Verbi eiusque incarnatione temporali incipit, ab antiquis passim tributum fuit, ut ab Hippolyto, Cyrillo Alex. Cyrillo Hier., Chrysostomo, Auctore synopseos, Damasceno, etc. (3), et hinc Ioannes apostolus a Cyrillo Alex., nuncupatur τῆς Θεολογίας ὁ συγγραφεύς, *Theologiae scriptor*. Existimant autem nonnulli, laudatam inscriptionem graecam a saeculo quarto dumtaxat Apocalypsi adiectam esse.

4° Frequens repetitio nominis Ioannis repetenda est a prophetico libri argumento. Alii prophetae, ut Ieremias et Daniel, nomen suum frequentissime repetierunt. Haec autem ipsa nominis repetitio, aliique characteres intrinseci, aperte evincunt Ioannem apostolum Apocalypseos esse auctorem; nam: — auctor frequenter se vocat Ioannem, ut c. I, 1, 4, 9, c. XXI, 2, c. XXII, 8, etc., et quidem illum Ioannem, qui Iesum et eius facta ac dicta vidit et audivit, ut liquet ex c. I, 2, coll. cum eius prima epist. c. I, 1-2; — c. I, 9, scribit se *propter verbum Dei et propter testimonium Iesu Christi* fuisse in insula Pathmos, quod de uno Ioanne apostolo ecclesiastica refert historia.

§ CCXLIV. Lingua, locus scriptionis, aetas ac materia Apocalypsi substrata.

495. Scripta fuit Apocalypsis idiomate graeco. Locum scriptionis fuisse Pathmos, insulam maris Aegei, duodecim milliaribus ab Epheso dissitam, ex c. I, 9, constat.

Communis sententia fert illam scriptam fuisse sub Domitiano imperatore circa annum 96 aerae vulgaris. Alii vero existimant eam circa annum 50 sub Claudio imp., et alii circa annum 67 aut 68 sub Nerone

(1) Papias apud Andr. Caes. praef. in Apoc. Iren. lib. 4, c. 37. Iust. dial. mel. apud Euseb. l. 4, c. 26. Clem. paedag. l. 2, c. 10, 12. Hippol. lib. de antich. Orig. hom. 7 in Iosue, et apud Euseb. l. 6, c. 25. Tertul. adv. Marcion. l. 3, c. 14. Euseb. l. 5, c. 24, et l. 7, c. 25. Hier. epist. ad Dardan. Epiph. haer. 72 (conf. num. 9-17).

(2) Vide Millium in prolegomenis § 177, et Wolfium in cur. philos. t. 4.

(3) Hippol. orat. de consum. saec. Cyr. Alex. l. 5 de Trin. Cyr. Hier. cath. 12. Chrys. prooem in Ps. 57 Damasc. orat. de transfig.

imp. in insula Pathmos exaratam fuisse. Huic ultimae sententiae favent et versio syriaca, quae Ioannem apostolum sub Nerone in hanc insulam relegatum fuisse tradit, et multa, quae in Apocalypsi occurrunt de Hierosolyma, eius templo ac altari, quae sub Nerone imp. adhuc stabant.

Antiqui interpretes, licet agnoscerent in Apocalypsi varia contineri vaticinia, illam tamen vel sensu morali exposuerunt (1), vel interpretationes litterales de ea mutuo sibi oppositas dederunt.

Recentiores, quos inter cl. Bossuet, Calmet, Alcasar, Goldhagen, Veith, Schnappinger, etc., Apocalypsim, cum historia eventuum, quos praedicere videtur, collatam, maxima ex parte historice exposuerunt. Et profecto cum Ioannes c. I, 1, dicat res sibi revelatas cito adimpleri debere, oportet maximam earum partem iam contigisse.

Materia Apocalypsi substrata probe distinguenda est a symbolis orientalibus, quibus Ioannes, ut Ezechiel et Daniel, revelationes suas exprimit. Quinque autem praecipui eventus, Christi religionem spectantes, in Apocalypsi praedici videntur.

Primus est abrogatio cultus iudaeorum, ac subversio eorum reipublicae.

Secundus ruina paganismi in imperio romano, huiusque interitus.

Tertius victoria Christi religionis de iudaismo et paganismo, atque gloria religionis christianae post victoriam de duobus istis hostibus relatam.

Quartus est ultimum iudicium. Et Quintus felicitas veri nominis christianorum in coelo.

(1) Vide August. in Ps. 59, et de civitate Dei lib. 16, c, 23.

§ CCXLV. Scopus et argumentum Apocalypsis.

496. Libri sacri veteris foederis varios eventus, usque ad I. C. praedictos continent. Apocalypsis quae est ultimus liber novi foederis, diversos eventus futuros Christi religionis ac finem mundi complectitur, ita ut scopus Ioannis sit sortem christianae religionis atque finem huius mundi describere, fidelesque ad constantiam in vera religione excitare.

C. I-III, Ioannes titulum libri exponit, salutat ecclesias, quibus scribit, narrat quomodo sibi revelationes in libro consignatae contigerint, exhortatur ad virtutem particulares ecclesias, nominatim ephesiam, smyrnensem, pergamensem, thyatirensem, sardicensem, philadelphiam, et laodicensem. Sequitur dein descriptio visionum.

1° C. IV, Ioannes videt Deum throno insidentem, a viginti quatuor senioribus beatos repraesentantibus circumdatum manuque tenentem librum, a nemine praeterquam ab Agno, qui throno adstat, aperiendum.

C. V-VII, Ioannes videt aperiri librum, in quo magnae plagae notatae sunt, in Christi religionis hostes ruiturae. Fideles, seu signati in fronte, ab illis erunt immunes.

C. VIII-IX, 1-12 occurrit visio, in qua paratur executio plagarum indicatarum, quae dein in iudaeos ruunt. Iudaei inter se discordes fiunt, atque in romanos insurgunt.

C. IX, 13 - XI, romanorum exercitus Palaestinam occupat. Christiani dicuntur mox a iudaeorum persecutione liberandi, et Hierosolyma mox subvertenda, cuius ruina sequitur. Et en cultum et rempublicam iudaeorum destructa, et christianos ab illorum persecutionibus liberatos!

2° C. XII-XIV videt Ioannes Christi religionem gentilium romanorum persecutionibus obnoxam sub symbolo mulieris gravidae duodecim

stellis coronatae, et draconis septem capitum, infantem natum devoraturi. Mulier isthaec, ecclesiam repraesentans, duodecim stellis est exornata, quia Christi religio in Iudaea nata ex iudaeis duodecim tribuum constabat; sol, quo est amicta, et luna eius pedibus subiecta, symbola sunt et signa pompae et dignitatis mulieris coram Deo. Infans, quem est paritura, sunt gentiles Christo pariendi, et draco est imperium romanorum, et septem eius imperatores (c. XVII, 9), exterminium intentantes in omnes qui Christi religionem amplectebantur. Roma ut sedes et symbolum paganismi exhibetur; sycophantae ac tyranni, qui paganismum defenderunt ac propagarunt, atque opposita christianorum agendi ratio, describuntur. Proximus interitus Romae paganae indicatur, atque sub symbolis messis atque vindemiae praesens sistitur.

Per bestiam, de qua Ioannes XIII, 18 dicit: « Qui habet intellectum, » computet numerum bestiae. Numerus enim hominis est: et numerus eius sexcenti sexaginta sex, » antiqui intellexerunt antichristum, et in eius nomine numerum 666 invenire moliti sunt; recentiores vero per eam intelligunt paganismum romanum vel principem aliquem efferatum et impiissimum, cui nomen antichristi conveniat. Cl. Bossuet existimavit hunc principem esse Diocletianum imp., eo quod in his voci-

500. 1. 100. 50. 5. 5. 5.

bus D I o C L E S A U G U S T U S numerus 666 reperiatur; alii crediderunt eum esse imperatorem Iulianum, in cuius nomine *C. F. Iulianus Caes. Aug.* per numeros romanos ita transpositos IↃ CLXVI laudatus numerus 666 occurrit.

Verum cum ignoretur 1° utrum nomen bestiae, de qua loquitur Ioannes, desumendum sit ex lingua hebraica, syriaca, graeca vel latina et 2° utrum hoc nomen sit nomen personale, vel dignitatis, vel nomen aliquod quo vir iste ab eius sectatoribus donandus sit, vel quod eidem propter crimina sit attribuendum, nihil certi hac de re definiri potest.

C. XV. Septem angeli in procincto sunt ut septem ingentes plagas in romanorum paganismum effundant, dum christiani omnem suam fiduciam in Deum collocant.

C. XVI-XVIII. Multifaria mala in Romam ruunt. Obstacula omnia, quae ultimam eius ruinam possent praepedire, tolluntur. Roma destruitur, et eius ruina graphice depingitur ac lugetur. Contigit ruina Romae anno 410 aerae vulgaris per Alaricum gothorum regem, an. 455 per Gensericum regem vandalorum, an. 465 per Odoacrum, herulorum regem, anno 472 per Ricimerum patricium ducemque romanorum, et anno 547 per Totilam gothorum regem, ita ut haec urbs, quondam mundi regina, spatio 137 annorum quinquies capta et spoliata, pristinum suum splendorem prorsus amiserit. Et en paganismum, eiusque sedem et propugnaculum, imperium nempe romanorum, sublatum!

3° C. XIX-XX, 1-10. Fideles cantica triumphalia concinunt, triumphat Christi religio, cuius splendor describitur. Et en victoriam divinae Christi religionis de duobus suis acerrimis hostibus, iudaeis nempe et romanis paganis, relatam!

4° C. XX, 11-15. Exhibetur ultimum iudicium et mortuorum resurrectio.

5° C. XXI-XXII. Sistitur aeterna felicitas verorum christianorum sub symbolo pretiosissimae urbis exhibita, etc.

Tradita cognitione de auctoribus librorum sacrorum novi foederis, ac

de eorum scriptis, ad horum authentiam ex professo stabiliendam properamus.

AUTHENTIA LIBRORUM SACRORUM NOVI FOEDERIS

§ CCXLVI. Libri sacri novi foederis sunt genuini.

497. I. Fides publica 1° omnium catholicorum, 2° haereticorum, 3° iudaeorum, et 4° scriptorum paganorum, hosce libros semper ut opera apostolorum et evangelistarum Iesu habuit; proinde nisi pyrrhonismo universali in rebus historicis laborare velimus, agnoscere debemus hos libros esse auctorum, quibus adscribuntur. Talem fuisse fidem

498. 1° Catholicorum ex eo patet, quod primi scriptores ecclesiastici hosce libros apostolis et evangelistis Iesu adscripserint, ut Clemens Rom., apostoli Petri discipulus; Ignatius martyr, qui Christum redivivum vidit; Polycarpus, Ioannis evangelistae discipulus; Papias, Quadratus, Aristides, Hegesippus, Iustinus magnus, Melito, Theophilus Alex., Apollinaris, Irenaeus, aliique scriptores, ecclesiastici secundi saeculi. Item Clemens Alex., Apollonius, Polycrates, Origenes, Tertullianus, Hippolytus, Cyprianus, Dionysius Alex., pluresque alii patres tertii saeculi et quotquot scriptores saeculis subsequentibus in ecclesia floruerunt.

Deistae fatentur, a tempore concilii laodiceni, circa medium saeculi quarti celebrati, proinde ne trecentis quidem annis a morte apostolorum, libros sacros novi foederis, saltem protocanonicos, a christianis ut genuinos habitos esse.

Iam vero si hi libri tribus primis saeculis ecclesiae conficti fuissent, num fideles, ii praesertim ad quos primitus missi fuerant, id ignorassent? aut si scivissent, num eos ut genuinos et divinos approbassent?

499. 2° Eadem fuit haereticorum fides; nam cerinthiani, valentiniani, ebionitae, cerdoniani, etc., hos libros in heterodoxum sensum detorserunt, quaedam de illis reiecerunt, et etiam nonnulla ex eis expunxerunt; orthodoxi vero ipsis genuinum horum librorum sensum semper opposuerunt, fraudemque illis exprobrarunt. Manichaei iactitabant sibi perfectiorem quam apostolis revelationem esse factam; gnostici effutiebant apostolos pro populo, neutiquam vero pro philosophis scripsisse: ebionitae autumabant, scriptores novi foederis, Matthaeo excepto, nimium favisse gentilibus, ut ita suos errores facilius propagare possent. Nonne igitur hac agendi ratione libros sacros novi foederis genuinos esse non supposuerunt?

500. 3° Eadem fuit iudaeorum persuasio. Horum profecto intererat, hosce libros pro supposititiis habere, illosque ut tales omnibus exhibere; hoc autem numquam fecerunt; immo cum iudaei miracula in hisce libris relata modo artibus magicis, modo usurpato nomini Iehovae, modo fraudi tribuerint, et hodieque tribuant (in Thalmude), hosce libros genuinos agnoverunt, et adhuc agnoscunt.

501. 4° Antiqui scriptores pagani hanc eamdem fidem prodiderunt; Celsus enim, Porphyrius, Hierocles, et Iulianus imperator, infensissimi christiani nominis hostes, qui nihil intentatum reliquerunt, ad religionem Christi labefactandam, numquam haec scripta in dubium revocarunt: Celsus miracula Christi dicebat opera magica, Porphyrius contradictiones inter evangelistas frustra inquisivit, Hierocles Christi miraculis inepte opposuit falsa miracula Apollonii Thyanaei, Iulianus imp. candide fatetur, Petri, Pauli, Matthaei, Marci et Ioannis esse ea scripta, quae christiani illis attri-

buunt (1). Immo hi scriptores pagani plura ex libris sacris novi foederis suis in libris citarunt; tanta illis inerat persuasio hosce libros esse genuinos! Hoc argumentum ab acerrimis Christi hostibus petitum adversus deistas est peremptorium.

502. Characteres intrinseci aperte evincunt hosce libros esse opera genuina apostolorum ac evangelistarum; ex argumento enim illorum patet auctores fuisse: 1° natione et religione hebraeos, quod ex eorum lingua hebraico-graeca, ex frequentibus parabolis et allegoriis, et ex innumeris citationibus librorum sacrorum veteris foederis elucet; 2° eos primo saeculo ecclesiae vixisse; id enim patescit ex accuratissimis adiunctis Palaestinae et imperii romani, quae, prout tum erant, pro data occasione breviter recensent, ita ut illos hisce adiunctis contemporaneos fuisse necesse sit; 3° illos Christi factorum ac doctrinae testes, et Iesu discipulos fuisse; quod evincit tum narratio minimorum adiunctorum, quae nonnisi a testibus oculatis et auritis sciri poterant; tum consensus eorum quae in evangeliis, actibus et epistolis referuntur; tum omissio probationum, factorum, ac dictorum, quae narrant; tum amor ac reverentia, qua de Christo loquuntur; tum denique ardens studium, quo Iesu Christi doctrinam propagare nituntur; tandem 4° ipsos fuisse illiteratos; hoc enim stylus omni eloquentia destitutus, omissio obiectionum, quae fieri possent, et ipsae apparentes antilogiae evidenter comprobant. Patet igitur characteres intrinsecos horum librorum tales auctores nobis sistere, quales nobis traditio exhibet; proinde libros sacros novi foederis eorum esse auctorum, quibus tribuuntur.

(1) Iulianus apud Cyrillum Alex., lib. 10 contra Iulianum.

VINDICIAE LIBRORUM SACRORUM NOVI FOEDERIS UT AB APOSTOLIS AC EVANGELISTIS IESU SCRIPTORUM

§ CCXLVII. Num scriptores pagani de libris sacris novi foederis siluerint?

503. Deistae, ut Collins, Edelmann, de Voltaire, Tolland, Bolingbrock, etc. (2) probare vellent, apostolos et evangelistas non esse auctores scriptorum, quae illis attribuuntur; aiunt christianos testes esse in propria causa, quibus fides non sit adhibenda, scriptoresque gentiles de his libris haud esse locutos.

Verum si christiani tantum scripta sacra novi foederis apostolis et evangelistis Iesu attribuissent, num ideo sequeretur eorum testimonium esse falsum? Ineptum est postulare, ut inimici christianae religionis ferant testimonia de authentia eiusdem librorum sacrorum. Num Koranus non erit Muhammedis opus, nisi christiani, iudaei, tartari et indi id testentur? Num forte Lucianus, Iuvenalis, Tacitus et Suetonius recensere debuissent libros sacros christianorum, quos despectui habebant, quosque ex caeco odio appellabant homines *maxime superstitiosos, per flagitia invisos, cerdones*, etc.?

Deistae autem hoc obiecto aut crassam ignorantiam aut malam fidem produnt; paganis enim, infensissimis christianorum hostibus, primis ecclesiae saeculis adeo persuasum fuit libros apostolis et evangelistis Iesu adscriptos eorum revera esse, ut id ne in dubium quidem revocarint, sed vim miraculorum Christi modo inepto eludere conati sunt, ut fecerunt Celsus, Porphyrius, Hierocles, ac Iulianus imperator (n.

(2) Collins sur la *liberté de penser*. Edelmann Begierde nach der vernünftigen lautern Milch. s. 58. Voltaire *Evangile du jour*. Tolland in *Nazareno*. Bolingbrock in libro anglice inscripto *De studio et usu historiae*. Anonymus auctor operis: *Collection de lettres sur les miracles*.

501). Iulianus immo apud Cyrillum Alex. praecipuos novi foederis auctores recenset, dum atram suam bilem in christianos evomendo, « In » tantam, inquit, miseriam delapsi » estis, ut ea quae vos apostoli do- » cuerunt non tenueritis, qui vero » secuti sunt multo profundius in » impietatis abyssum vos demerse- » runt; etenim nec Paulus, nec » Matthaeus, nec Lucas, nec Marcus » dicere ausi sunt Iesum fuisse Deum; » sed bonus vir Ioannes, videns » quamplurimas urbes in Graecia et » in Italia hac insania laborare, id » omnium primus affirmare non e- » rubuit. »

§ CCXLVIII. De evangeliis apocryphis.

504. *Obi.* Fuerunt iam antiquitus, aiunt deistae, quam plurima evangelia et scripta apocrypha, scripta autem apostolis et evangelistis attributa non melioribus nituntur fundamentis, quam illa evangelia ac scripta apocrypha.

Resp. Fuerunt utique evangelia aliaque scripta apocrypha; at quando procusa sint haud constat. Ex patribus primus de illis locutus est Clemens Alex., qui saeculo secundo floruit, quique illa a nostris evangeliis authenticis probe distinguit. Falsum autem est tot fuisse diversa evangelia apocrypha, cum unum idemque evangelium crebro plures haberet titulos : sic evangelium secundum hebraeos, evangelium secundum nazaraeos, evangelium secundum duodecim apostolos, et evangelium s. Petri, videntur esse unum evangelium secundum Matthaeum, a nazaraeis et ebionitis corruptum. Alia vero triginta quinque evangelia apocrypha vix viginti evangelia diversa constituunt. Evangelia ista sunt :

1. Evangelium secundum aegyptios; 2. Evang. nativitatis B. M. V.; 3. Proto-evangelium s. Iacobi; 4. Evangelium infantiae; 5. Evang. s. Thomae, quod idem est ac proxime superius; 6. Evang. Nicodemi; 7. Evangelium aeternum; 8. Evangelium s. Andreae; 9. Evang. s. Bartholomaei; 10. Evang. Apellis; 11. Evangelium Basilidis; 12. Evang. Cerinthi; 13. Evang. ebionitarum, idem verisimiliter ac illum hebraeorum; 14. Evang. encratitarum vel Tatiani; 15. Evang. Hevae; 16. Evang. gnosticorum; 17. Evang. Marcionis; 18. Evang. s. Pauli, quod idem est ac superius; 19. Parvae et magnae interrogationes Mariae; 20. Liber nativitatis Iesu, idem atque proto-evangelium s. Iacobi; 21. Liber s. Ioannis, seu de obitu M. V.; 22. Evang. Matthiae; 23 Evang. perfectionis; 24. Evang. simonianorum; 25. Evang. secundum Syros; 26. Evang. secundum Tatianum, idem atque evang. encratitarum; 27. Evang. Thaddaei aut s. Iudae; 28. Evang. Valentini; 29. Evang. vitae aut Dei viventis; 30. Evang. s. Philippi; 31. Evang. s. Barnabae; 32. Evang. s. Iacobi maioris; 33. Evang. Iudae Iscariotis; 34. Evang. veritatis, idem atque evang. Valentini; 35. Evangelia Leucii, Seleuci, Luciani et Hesychii (1).

Ratio multiplicitatis horum evangeliorum reperitur partim in abusu nominis evangelii, quod cum faustum nuntium graece significet, primis saeculis ecclesiae tributum fuit non modo evangeliis proprie dictis, sed etiam omnibus aliis libris novi foederis, historiis Iesu et B. M. V.; immo datum fuit professionibus fidei, catechismis, librisque dogmaticis ac moralibus haereticorum; partim reperitur in simplicitate nonnullorum christianorum, conscribentium quae a discipulo alicuius apostoli audierant, suoque libro nomen

(1) Vide Fabricii codicem apocryph. N. T.

evangelii praebentium; tandem partim in malitia haereticorum, ope confictorum aut adulteratorum evangeliorum suos errores propagantium.

Porro evangelia isthaec ut apocrypha ab orthodoxis mox agnita, et reiecta fuerunt. Quatuor autem nostra evangelia ecclesiis ab apostolis tradita fuerunt. Evangelio Matthaei plures apostoli usi sunt, et Marcus illud Romae habuit (conf. n. 430). Evangelium Marci approbavit Petrus (ib.), et Lucas evangelia Matthaei et Marci habuit in Graecia (n. 435), ac Lucae evangelium Paulus suum vocavit (ib.); tria haec evangelia Ioannes, qui ultimus scripsit suum evangelium, revidit, et approbavit, ut testatur Eusebius Caesareensis(1). Cum autem hisce quatuor evangeliis uterentur omnes ecclesiae particulares catholicorum, publice praelegerentur, indeque multa liturgiis operibusque primorum patrum ecclesiae insererentur, liquet quam certo nitantur illa fundamento, quantaque securitate ab evangeliis apocryphis semper distincta fuerint.

§ CCXLIX. Num patres Iustino martyre antiquiores non nisi evangelia apocrypha citaverint? de interitu autographorum librorum sacrorum novi foederis, de ignorantia loci ac temporis, quo libri sacri novi foederis confecti sunt, et de reiectione quorumdam evangeliorum per haereticos.

505. *Obi.* Verum, prosequuntur deistae, 1° Patres Iustino martyre antiquiores non citarunt nisi evangelia apocrypha: sic Clemens Rom., observante Bayle, allegavit hunc locum: *Estote boni usurarii*, atque sequentem in secunda epistola ad corinthios: *Si in modico non fuisti fidelis, quis tibi maiora confidet? Amen dico vobis, qui fidelis est in minimo, in maximo fidelis erit.* Haec in evangeliis scriptisque apostolorum ac evangelistarum non leguntur.

2° Autographa librorum sacrorum novi foederis exhiberi non possunt.

3° Ignoratur quo in loco et quo tempore isti libri scripti sint.

4° Iam antiquitus evangelium Lucae reiectum fuit a Cerintho et Carpocrate, illud Ioannis ab Alogis, atque actus apostolorum, ac epistolae paulinae reprobata fuerunt a Severianis.

506. *Resp.* 1° Patres apostolicos Iustino martyre antiquiores nonnisi evangelia apocrypha citasse, est figmentum inimicorum christianae religionis. Si quae interdum occurrunt in eorum operibus, quae in evangeliis authenticis haud reperiuntur, perpendendum est: — omnia facta et dicta Iesu evangeliis haud esse inserta, ut testatur Ioannes (c. XXI, 25), et ea nonnullis patribus citari potuisse quae traditione tantum fuerant conservata; — nonnullos patres quandoque sensum dumtaxat alicuius loci biblici allegasse: sic sensus loci a Clemente Rom. in secunda epistola ad Corinthios citati idem est ac Matthaei c. XXV, 21: *Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis supra multa te constituam* (conf. n. 431). Sed etiamsi unus alterque pater locum aliquem ex evangeliis apocryphis allegasset, num hic error proprius esset omnium patrum Iustino martyre antiquiorum?

2° Fatemur autographa apostolorum et evangelistarum dudum periisse; sed num id probat libros illos non esse auctorum quibus tribuuntur? Num quis Demostheni, Tullio, Horatio, Fl. Iosepho, etc., sua opera abnegabit, eo quod eorum autographa non amplius habeantur? Provocatio deistarum ad ista autographa non est nisi effugium eorum incredulitatis: si illa adhuc extarent, dicerent ipsa fuisse ab aliis conficta.

Autographum Matthaei tempore

(1) Euseb. hist. eccles. lib. 5, cap. 4.

Origenis et Hieronymi adhuc extabat, sed ab hebraizantibus corruptum, et Petrus Alex. testatur suo tempore, saeculo nempe quarto, autographum evangelii Ioannis in ecclesia ephesina adhuc asservatum fuisse (1).

3° Locus et tempus scriptionis librorum sacrorum novi foederis adeo nota sunt, ac noscatur ubi et quando Plato, Aristoteles, Xenophon, Tullius, etc., sua opera scripserint. Ut constet num liber aliquis sit auctoris, cuius nomen prae se fert, profecto necesse haud est, ut sciatur qua in civitate et quo anno conscriptus sit. Huiusmodi ridicula deistarum effugia probant quam malam causam defendant (conf. n. 424, 426, 428, 433, 434, 438).

4° Quid authentiae librorum sacrorum novi foederis officit quod pauci et obscuri haeretici illorum aliquos reiecerint? Iuxta propriae doctrinae placita debebant aut illos reiicere, aut se haereticos victosque fateri. Commune fuit antiquis pseudodoctoribus, observante Hieronymo, « ut quidquid contrarium suo dog» mati viderant, vel eraderent, vel » etiam integre repudiarent. »

§ CCL. Libri sacri novi foederis quod ad substantialia incorrupti extant.

507. I. Constat id ex consensu versionum horum librorum; nam versio syriaca et itala, primis ecclesiae temporibus factae; versio arabica, aethiopica, coptica, armeniaca, persica, hieronymiana et gothica quod ad substantiam omnino conveniunt.

508. II. Codices antiquissimi a Millio, Wetstein, Küster et aliis maximo labore conquisiti, apprime cum antiquis versionibus ac cum Vulgata quod ad substantiam consentiunt. Millius quidem in maximo codicum numero 30,000 variantium lectionum annotavit; at hae variantes lectiones integritatem librorum sacrorum novi foederis confirmant, cum omnes nonnisi errores grammaticae, orthographiae, et mutationem synonymorum respiciant.

509. III. Argumentum horum librorum, prout hodie extant, reperitur in multiplicibus operibus primorum patrum ecclesiae; iste autem consensus operum patrum cum libris sacris novi foederis eorum incorruptionem quod ad substantiam probat.

510. IV. Hi libri numquam quod ad substantiam corrumpi potuerunt, 1° ob apostolorum, eorumque primorum successorum vigilantiam; 2° ob venerationem qua fideles eos semper prosecuti sunt. Haec veneratio tanta fuit, ut primis ecclesiae saeculis plurimi fideles maluerint martyrium subire, quam hosce libros gentilibus comburendos tradere. Versio Hieronymi diu in ecclesia recepta non fuit, eo quod, teste Augustino, in quibusdam verbotenus ab antiqua versione itala dissentiebat. Immo cum in quadam ecclesia africana (2) in prophetia Ionae ex versione Hieronymi legeretur *hedera* loco *cucurbitae*, quae ultima vox in priori versione erat, populus concitato tumultu episcopum coëgit ad primam versionem resumendam. Celso et Porphyrio, christianos accusantibus quod suos libros sacros immutarent, Origenes audacter respondit catholicorum codices ubique esse tales quales ab initio fuerant, illos haereticorum dumtaxat esse diversos; haeretici vero, quamvis continuo a catholicis corruptionis librorum sacrorum accusarentur, catholicos numquam huiusmodi criminis incusarunt, solis manichaeis exceptis, et aevo dumtaxat Augustini; hic vero doctor ecclesiae eos pro-

(1) Petr. Alex. tract. de paschate.

(2) August. epist. 71 et 82.

vocavit ut mendacem assertionem probarent.

511. V. Si in libris sacris novi foederis corruptio substantialis contigisset, illa facta fuisset vel a iudaeis, vel a paganis, vel a catholicis, vel ab haereticis; nihil autem horum dici potest: nam 1° non a iudaeis, hi siquidem ex iis expunxissent quae de eorum obstinatione, caecitate, de praedictione eversionis eorum reipublicae, metropolis ac templi ibi leguntur, atque tunc tanti criminis a christianis accusati fuissent; ceterum exemplaria omnia eorum potestati subiecta haud erant; 2° non a paganis, cum hi omnia exemplaria per orbem dispersa ad manum non haberent, de cetero ex iis abstulissent quae paganismum falsitatis arguunt; 3° non a catholicis, nam haeretici hanc eis infamiam exprobrassent; 4° tandem non ab haereticis, quia hi catholicorum exemplaria non habebant, et quando propria exemplaria corrumpebant, catholici continuo reclamarunt, atque ita haereticorum errores in catholicorum exemplaria non irrepserunt.

§ CCLI. Vindiciae incorruptionis librorum sacrorum novi foederis.

512. Opponunt deistae cum Collins (1): 1° Victor Tunonensis, episcopus africanus, in suo chronico ait: « Messala consule iubente, Anastasio imperatore sancta evangelia, tamquam ab idiotis evangelistis composita, reprehensa et emendata fuisse. » Idem Isidorus Hispalensis in chronico refert. 2° Innumerae lectiones variantes in antiquis codicibus reperiuntur.

513. Ast 1° Victorem Tunonensem et Isidorum falso rumore deceptos fuisse, inde patet: — quod alii historici et chronologi contemporanei, et illis celebriores, ut Procopius, Evagrius, Cedrenus, etc., qui facta impia Anastasii imperatoris recensent, de ista corruptione evangeliorum sileant prorsus; — quod codices graeci Anastasii temporibus antiquiores, opera patrum ante et post hanc epocham scripta, facta locosque varios evangeliorum referentia, atque versiones antiquae, inter se, et cum evangeliis modo extantibus apprime consentiant. — Impossibile fuisset Anastasio evangelia generatim corrumpere, cum exemplaria in regionibus eius potestati haud subiectis ad manum non haberet.

2° Istae variantes lectiones nonnisi verba afficiunt, neutiquam vero sensum, saltem in rebus fidei et morum (conf. n. 508).

§ CCLII. Libri sacri novi foederis veri sunt.

514. Cum constet omnes libros sacros christianorum Deo inspirante esse conscriptos (n. 34-42), proinde eos esse veros, superfluum foret veritatem librorum sacrorum novi foederis philosophice demonstrare, nisi occurrendum esset infidelibus, incredulis atque deistis ratiocinationibus tantum insistentibus, qui illam negant atque impugnant. Incredibile dictu est quot difficultates, frequenter ineptissimas, deistae ultimorum temporum contra veritatem scriptorum sacrorum novi foederis congesserint. At *O curas hominum, o quantum est in rebus inane!* Necessitati igitur nostri aevi consulturi, veritatem scriptorum sacrorum novi foederis fuse demonstrabimus, incredulorum deistarumque difficultatibus dein satisfacturi.

515. Apostoli et evangelistae in iis quae narrant I. *decepti non fuerunt*; II. *in narratione sinceri fuerunt*, seu alios decipere noluerunt; III. *immo alios ne decipere quidem potuissent*, etiamsi voluissent; consequenter eorum libr

(1) Collins sur la liberté de penser.

sunt *veri*, plenamque fidem merentur. Et

516. I. Quidem alii scriptores sacri novi foederis factorum et dictorum quae recensent, testes oculati et auriti fuerunt, ut Matthaeus, Ioannes, Petrus, Iacobus et Iudas; quare Ioannes: « Quod audivimus, quod » vidimus oculis nostris, inquit.... » testamur et annuntiamus (I Epist. » I, 1-2);» alii ut Paulus, Lucas et Marcus, scriptores synchroni fuerunt, et scripserunt quae ab apostolis immediate audierant, quae de illis viderant, a testibus fide dignis acceperant, et quae ipsi fecerant; quare Lucas: « Sicut tradiderunt no» bis, ait, qui ab initio viderunt, et » ministri fuerunt sermonis, visum » est et mihi assecuto omnia a prin» cipio diligenter ex ordine scribe» re (c. I, 2-3).»

Ex quibus patet, scriptores sacros novi foederis decipi non potuisse circa ea facta et dicta, quae litteris mandarunt, cum ad videndum et audiendum, atque testandum quae quis vidit et audivit nec philosophia nec scientiae requirantur. His adde scripta Pauli, Lucae et Marci, qui testes immediati factorum ac dictorum Iesu non fuerunt, a testibus immediatis esse approbata; Petrus enim approbavit evangelium Marci, et quasi suum fecit (n. 430); Paulus approbavit evangelium Lucae, ac adoptavit (n. 435), et Petrus Paulum approbavit (II Pet. III, 15-16). Pauca vero, quae de nativitate ac de infantia Iesu in evangeliis leguntur, plenam fidem a caeteris mutuantur.

517. At nec apostoli a Christo tamquam ab insigni sycophanta decepti fuerunt. *Quamquam animus meminisse horret luctuque refugit* nomen Christi sycophantae proferre, cum tamen increduli nonnulli eo impietatis progressi sint, ut blasphemare haud erubuerint Christum esse sycophantam *, opportunum est sycophantae ac fanatici notas apodicticas paucis tradere.

Sycophanta et fanaticus est 1° homo callidus, qui insane loquitur, furiosa saepe peragit aut patitur, qui se Deo acceptum iactat, et visiones venditat, quas se vidisse haud probat; 2° est potentiorum adulator; 3° impietati sanctitatem praetendit; 4° sua omnia studiose componit; 5° virtutem clam parvi facit; 6° propriis utilitatibus studet, illisque commoda publica postponit; potestatem atque honores quaerit; 7° adulando aliorum captat benevolentiam ; 8° orationis vanitate plausum vulgi aucupatur.

Huiusmodi speciem nobis praebent ratio et historia omnium sycophantarum, ut montanistarum, Muhammedis, primorum anabaptistarum et quacquerorum, fanaticorum caemeterii s. Medardi Parisiis, Schwedenborgii, Ioannae Southcotti, quae se anno 1814, Londini Messia gravidam esse iactitabat, multasque visiones venditabat. Hic ad incredulorum bonam fidem appello, si tamen in religionis negotio bonae fidei capaces sunt, ipsosque provoco

* Christum sycophantam fuisse insane effutiit anonymus auctor operis: *De scopo Iesu eiusque discipulorum*, germanice inscripti: *Von dem Zwecke Jesu und seiner Jünger*. Noch ein fragment des Wolfenbüttelischen Ungenannten, herausgegeben von Gotth. Ephr. Lessing. Braunschweig, 1788. Hic impius anonymus per philosophemata ex quatuor evangeliis probare frustra molitur, Christum et apostolos sycophantas fuisse, ac pro scopo habuisse ruinis destructae reipublicae iudaicae novum regnum temporale sibi superstruere (conf. n. 552).

Idem iam pridem deliraverat auctor anonymus infamis operis de *Tribus impostoribus*, Moyse nempe, Christo ac Muhamele, quondam perperam adscripti Frederico II imperatori et Petro des Vignes. Nonnulli viri docti negarunt quidem infandum hoc opus extitisse; at ipsum latine iam extitisse saeculo sexto decimo probat auctor libri germanice inscripti: *Das erste schlimmste Buch, oder historich-kritische Abhandlung von der religionslæsterlichen Schrift: de Tribus impostoribus*, Chemnitz 1764.

ut notas apodicticas sycophantae in vita Iesu Christi nobis exhibeant.

Aiunt quidem summam fraudis Iesu in eo ipso versari, quod hasce sycophantae notas sciverit occultare. At eo ipso fatentur se hasce notas in vita Iesu non deprehendere, probantque potius semetipsos esse sycophantas. Caeterum deceptori ac fanatico tam parum liberum est suam fraudem ac fanatismum semper occulere, quam furioso liberum sit nulla signa dare sui furoris, quod increduli fanatici suo exemplo demonstrant. Fanaticus impostor potest quidem inintelligibilia loqui, sibi videri quod sit filius Dei, et visiones revelationesque habeat; at haec veris miraculis cuiuscumque generis, vaticiniis eventu comprobatis, vocibusque coelitus delapsis confirmata fuisse nonnisi fanatici ac insanientis est credere.

Celeber deista I. I. Rousseau in *Emilio* (1): « Quod spectat, inquit, » revelationem, si melius ratiocina» rer, doctiorve essem, forte senti» rem eius veritatem, utilitatemque » pro iis qui eiusdem agnitione for» tunantur.» Dein cum videat probationes revelationis quas refellere non potest, et difficultates quas solvere nescit, ait se revelationem nec approbare, nec reiicere. Lumine autem veritatis revelationis mox perculsus: « Fateor etiam, inquit, me » in admirationem abripi a scriptu» rarum maiestate, sanctitateque e» vangelii commoveri. Libri philo» sophorum vel superbissimi, quam » humiles sunt in comparatione i» stius ! Liberne, adeo simplex et » simul adeo sublimis, erit opus hu» manum, et homo tantum, cuius » in eo narratur historia ? Hiccine » sermo fanatici vel ambitiosi cu» iusdam sectae auctoris ? Quae » mansuetudo, qui morum candor! » Quae in instructionibus comitas » atque venustas! Quae principiorum » maiestas! Quae in sermonibus sa» pientiae altitudo! Quae in respon» sionibus animi praesentia, quae » subtilitas, aequitas atque concin» nitas! Quodnam in omnes affectus » imperium! Ubi est homo ille, ubi » est sapiens, qui norit agere, pati » ac mori sine imbecillitate, ac sine » ostentatione?... Profecto si vita et » mors Socratis sapientem arguunt, » vita et mors Christi Deum osten» dunt *. » Colligat ergo quisquis

(1) Emile t, 3, liv. 4, Amst. 1768.

* En integrum locum gallice: « Je vous avoue » aussi que la majesté des écritures m'étonne, » la sainteté de l'évangile parle à mon cœur. » Voyez les livres des philosophes avec toute » leur pompe; qu'ils sont petits près de celui» là! Se peut-il qu'un livre à la fois si sublime » et si simple soit l'ouvrage des hommes? Se » peut-il que celui, dont il fait l'histoire, ne soit » qu'un homme lui-même? Est ce-là le ton d'un » enthousiaste, ou d'un ambitieux sectaire ? » Quelle douceur, quelle pureté dans ses » mœurs! Quelle grâce touchante dans ses ins» tructions! Quelle élévation dans ses maximes! » Quelle profonde sagesse dans ses discours! » Quelle présence d'esprit! Quelle finesse et » quelle justesse dans ses réponses! Quel em» pire sur ses passions! Où est l'homme, où est » le sage qui sait agir, souffrir et mourir sans » faiblesse et sans ostentation? Quand Platon » peint son juste imaginaire (de rep. dial. 1), » couvert de tout l'opprobre du crime, et digne » de tous les prix de la vertu, il peint trait » pour trait Jésus-Christ: la ressemblance est si » frappante, que tous les pères l'ont sentie, et » qu'il n'est pas possible de s'y tromper. Quels » préjugés, quel aveuglement ne faut-il point » avoir pour oser comparer le fils de Sophronis» que au fils de Marie! Quelle distance de l'un » à l'autre! Socrate mourant sans douleur, sans » ignominie, soutint aisément jusqu'au bout son » personnage; et si cette facile mort n'eût ho» noré sa vie, on douterait si Socrate, avec tout » son esprit, fut autre chose qu'un sophiste. Il » inventa, dit-on, la morale. D'autres avant lui » l'avaient mise en pratique; il ne fit que dire » ce qu'ils avaient fait, il ne fit que mettre en » leçons leurs exemples. Aristide avait été juste » avant que Socrate eût dit ce que c'était la » justice; Léonidas était mort pour son pays » avant que Socrate eût fait un devoir d'aimer la » patrie; Sparte était sobre avant que Socrate eût » loué la sobriété: avant qu'il eût défini la ver» tu la Grèce abondait en hommes vertueux. » Mais où Jésus avait-il pris chez le siens cette » morale élevée et pure, dont lui seul a donné » les leçons et l'exemple? Du sein du plus fu» rieux fanatisme, la plus haute sagesse se fit » entendre, et la simplicité des plus héroïques » vertus honora le plus vil de tous les peuples.

ultro caecutire nolit, Christum non decepisse suos apostolos.

518. II. Apostoli sinceri fuerunt, seu alios decipere noluerunt. Quem enim in finem orbem universum decepissent? an spe divitiarum, aut commodorum vitae? At sua sponte pauperrimi fuerunt, in carceres detrusi, flagris excepti, et morti traditi, prout praevidere debebant; quare Paulus corinthiis: « Nos stulti, inquit, propter Christum...esurimus » et sitimus, et nudi sumus, et colaphis caedimur...laboramus operantes manibus nostris, maledicimur et benedicimus, persecutionem patimur et sustinemus, blasphemamur et obsecramus, tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema » (I Cor. IV, 10-13).

Increduli quidem blasphemant apostolos ex fanatismo, et ob gloriam novae inventae religionis alios decepisse. At ex caracteribus intrinsecis eorum scriptorum evidentissime patebit neminem umquam a fanatismo et vana gloria magis remotum fuisse quam illos. Caeterum an fanatici et ambitiosi, quos increduli parum sibi constantes alias rerum omnium ignaros dicunt, doctrinam legi naturali tam conformem, tam simplicem et simul tam sublimem, hominumque cupiditatibus, quos decipere statuissent, adeo contrariam, excogitare potuissent, aut constituere? siccine agit sycophanta cum iis, quos decipere sibique devincire conatur? Apostoli igitur praedicarunt Christi religionem, eoquod de eius veritate persuasi omnino erant. Esto, ut increduli obganniunt, eos Christo vel ad extremum adductos adhaesisse ob spem terreni regni ab illo excitandi; sed cum haud adeo creduli essent, ut sacrae paginae testantur, quomodò hanc spem conceperunt, nisi per vera miracula a Christo in signum suae divinitatis edita? Quomodo post Christi ignominiosissimam mortem, dum illis nihil amplius ab eo expectandum erat, ei adhaesissent, nisi illum redivivum vidissent, prout ipsis promiserat? Quomodo duodecim piscatores idiotae ausi fuissent magistratibus iudaeorum miracula manifeste falsa obtrudere? Quomodo philosophis paganis, principibus et imperatoribus religionem falsam, ipsorum cupiditatibus adversam annuntiare, et Christum, paulo ante probrosissimae morti traditum, ut verum Deum praedicare praesumpsissent? An ab hebraeis et principibus paganis tormenta omnia, ipsaque mors ipsis pertimescenda non erant? Profecto nisi apostoli veritatem miraculorum Christi eiusque religionis plene persuasam habuissent, intelligi haud posset, quomodo consilium dumtaxat inire potuissent persuadendi iudaeis, hominem, quem paulo ante ultimo supplicio affecerant, eorum esse Messiam, et paganis, virum hebraeum, quem illis annuntiabant, esse verum Deum.

Sed apostoli suae persuasionis et sinceritatis signa evidentia dederunt, quod patet

519. Ex characteribus intrinsecis ipsorum scriptorum; id enim liquet 1° ex stylo simplici ac neglecto millenis adiunctis personalibus ac localibus intexto, et quo res maxime sublimes modo simplicissimo exponunt; hoc autem evincit illos nullius

« La mort de Socrate philosophant tranquillement avec ses amis est la plus douce qu'on puisse désirer; celle de Jésus expirant dans les tourmens, injurié, raillé, maudit de tout un peuple, est la plus horrible qu'on puisse craindre. Socrate, prenant la coupe empoisonnée, bénit celui qui la lui présente et qui pleure; Jésus au milieu d'un supplice affreux prie pour ses bourreaux acharnés. Oui, si la vie et la mort de Socrate sont d'un sage, la vie et la mort de Jésus sont d'un Dieu. » Emile t. 3, liv. 4, p. 117-119, Amst. 1768.

benevolentiam captasse, ipsosque de rebus, quas scribebant, certissimos fuisse; 2° ex contemptu gloriae; saepissime enim infimum ipsum ortum, professionem, ignorantiam, rusticitatem, errores ac imbecillitates profitentur; 3° ex eorum pietate sincera, et propriorum commodorum neglectu; quare Paulus: « Maledicimur, inquit, et benedicimus, » persecutionem patimur et sustinemus, blasphemamur et obsecramus, etc. Argentum et aurum aut » vestem nullius concupivi, sicut » ipsi scitis... Veni non in sublimitate sermonis aut sapientiae.... » Praedicamus Christum crucifixum » hebraeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam » (I Cor. IV, 12-13. Act. XX, 33-34. I Cor. II, 1 et I, 23); 4° ex modo, quo suum apostolatum auspicati et prosecuti sunt. An apostoli in metropoli Iudaeae, ipso die pentecostes, ubi, si falsa miracula ut vera et notoria praedicassent, a quocumque etiam rudissimo falsitatis argui potuissent, Christi miracula, ipsamque resurrectionem, cuius notitiam magistratus tot conatibus occulere tentarunt, palam et imperterrite annuntiassent, nisi bonae fidei fuissent? 5° ex consensu evangelistarum, qui licet diversis temporibus diversisque in locis scripserint, eadem tamen referunt; 6° tandem ex eorum consensu cum scriptoribus profanis (conf. n. 525).

520. III. Apostoli alios ne decipere quidem potuissent, etiamsi voluissent; 1° enim si falsa praedicassent, a iudaeis, qui cum Christo vixerant, manifestae falsitatis convicti fuissent; iudaeorum enim fuisset falsa demonstrare, quae eorum religionem abrogatam esse comprobabant. 2° Si quae de suo magistro narrabant a veritate aliena fuissent, neque miraculis confirmata, haud potuissent iudaeos a propria religione, quae apud eos per plura saecula obtinuerat, cuique pertinacissime adhaerebant, avellere, et ad hominem ab ipsis paulo antea ignominiosissima morte affectum uti Messiam Deumque adorandum adducere, nec paganos a religione, quae apud omnes populos huius universi, parva natione hebraea excepta, dominabatur, et cupiditatibus amicissima erat, ad austeram Christi religionem, iisdem inimicissimam, pertrahere. Adde omnes, qui tribus primis saeculis ecclesiae Christi fidem amplectebantur, debuisse honoribus, divitiis, ipsique vitae valedicere, et tamen tot christianorum myriades tempore Tertulliani in imperio romano fuisse, ut hic in sua apologia scriberet, imperium romanum quasi desertum iri, si christiani ex eo secederent, et demonstratum habebis, apostolis, spectatis adiunctis, impossibile fuisse, quae numquam contigissent universo orbi ut vera obtrudere.

521. IV. Si apostoli sycophantae fuissent sequeretur 1°, maximam orbis terrarum partem per octodecim saecula fuisse delusam, et quidem per duodecim piscatores illitteratos, viros doctissimos et integerrimos saeculorum christianorum in re summi momenti fuisse deceptos, et quamplurima martyrum millia suum sanguinem pro falsa religione fudisse; 2° vaticinia veteris foederis vel in minimis suis adiunctis fortuito, et tamen adamussim in unum Christum convenisse. Videant increduli, num haec sensum communem non offendant: « Tria sunt incredibilia, ait » Augustinus, quae tamen facta sunt: » incredibile est Christum resurrexisse cum carne, et in coelum ascendisse cum carne; incredibile » est mundum rem tam incredibilem credidisse; incredibile est homines ignobiles, infimos, paucis-

» simos, imperitos rem tam incre- » dibilem tam efficaciter mundo, et » in illo etiam doctis, persuadere » potuisse. Horum trium incredibi- » lium primum nolunt isti, cum qui- » bus agimus, credere, secundum » coguntur et cernere, quod non in- » veniunt unde sit factum, si non » credunt tertium (1). »

VINDICIAE VERITATIS SCRIPTORUM SACRORUM NOVI FOEDERIS

§ CCLIII. Quod natio iudaea Christum ut Messiam non agnoverit.

522. Thomas Woolston, David Hume, I. I. Rousseau (2) aliique deistae miracula Christi in evangeliis relata vera fuisse miracula negant; aiunt, si vera fuissent miracula, iudaei, tum Messiam expectantes, et imprimis synagoga, uti etiam philosophi pagani, illa credidissent, et Christi religionem amplexi essent: id autem factum non est; Ioan. enim VII, 48, pharisaei, « Numquid, » aiunt, ex principibus aliquis cre- » didit, aut ex pharisaeis? sed turba » haec, quae non novit legem, ma- » ledicti sunt. » Paulus (I Cor. I, 26): « Non multi sapientes secun- » dum carnem, non multi potentes, » non multi nobiles » Christi fidem amplexi sunt.

Concludit Woolston miracula Christi in sensu allegorico intelligenda esse, exempli gratia: caecorum illuminationem de mentis illuminatione, quae Christo veritatem annuntiante obtinuisset. Absona haec opinio etiam Spinosae arrisit, propterea quod patres nonnulli, praesertim Origenes, plura ex scriptura sacra in sensu allegorico exponant.

Mirum est, quod increduli ac deistae, qui tamen philosophi audiri volunt, non attendant, homines re ipsa haud tales esse quales esse deberent; utique si omnes homines essent re ipsa veritatis amantes, severae virtutis studiosi, voluptatum osores, et aeternae suae saluti addicti, omnes, praesertim iudaei, ab initio Christi religionem amplecti debuissent; at maxima pars hominum talis revera non est. Si id verum est de hominibus generatim sumptis, multo magis hoc verum est de iudaeis, eorum sacerdotibus, ac pharisaeis aevo Christi et apostolorum existentibus, de nobilibus, potentibus ac philosophis paganis. Quot homines hodieque importunam amant veritatem, illosque, qui illam praedicant ac inculcant? Quot modo observant quae religio, quam profitentur, praecipit? Nonne etiam nunc plerique hominum vitiis indulgent, licet religio ea condemnet? Caeterum religio catholica docet fidem esse donum Dei; proinde ad pellendam mentis caecitatem, cordisque corruptionem, praeter externam annuntiationem religionis requiritur gratia Dei interior.

Pharisaei Christi miracula numquam negarunt. Asseruerunt equidem neminem e suis et ex principibus tum temporis Christum secutum esse; at non dixerunt eius opera divina ac miracula falsa esse; immo (Ioan. XI, 47-48) pharisaei et iudaeorum principes: « Quid facimus, » inquiunt, quia hic homo multa si- » gna facit? Si dimittimus eum sic, » omnes credent in eum. » Fatebantur ergo miracula Christi, sed in eum non crediderunt, quia Christus eorum praeiudiciis et passionibus adversabatur. Notum est iudaeos et synagogam aevo Christi, maiorum suorum relicta doctrina, praeiudiciis abreptos, expectasse Messiam terrenum, qui princeps potentissimus futurus florentissimum regnum Davidis restitueret. Cum Iesus Nazarenus

(1) August. de civit. Dei lib. 21, c. 5.

(2) Woolston, Comment. de miraculis Christi. Lond. 1728. Hume, Essais politiques et moraux sur les miracles. Rousseau, Lett. de la Montagne.

se talem non sisteret, sed miracula maxime extraordinaria patraret ad probandum divinam suam missionem, et quod esset iudaeorum Messias a prophetis praedictus, iudaei veritatem miraculorum inficiari haud valentes, quaerebant effugia ad negandas miraculorum consequentias, atque Christi divina opera attribuebant artibus magicis, vel usurpationi nominis Iehovae, quod absurdum omnino erat; cum in confirmationem erroris vera miracula fieri nequeant.

Hinc ineptiae de sensu allegorico miraculorum Christi per se ruunt. Profecto si resurrectio Christi nonnisi allegorice seu mystice contigisset, Thomas difficultatem haud movisset illam credendi. Conf. n. 523.

§ CCLIV. Num soli homines rudes ac plebeii Christi miraculis ab initio crediderint, eiusque religionem amplexi sint? De vampiris.

523. Woolston aliique deistae autumant, nonnisi homines rudes et plebeios Christi miraculis credidisse, et eius religionem ab initio amplexos esse, horum autem fidem esse caecam, nihilque probare.

I. I. Rousseau: « Si quae testa-
» tissima, ea profecto sunt quae
» de vampiris narrantur. Nihil enim
» omnino desideratur: acta notario-
» rum, testimonia chirurgorum, pa-
» rochorum, magistratuum, quae
» sufficiunt ad rem in iudicio pro-
» bandam. Et tamen quis credat
» esse vampiros! »

Sed etiamsi nonnisi rudes ac plebeii Christi miraculis ab initio fidem adhibuissent, num inde sequeretur illa falsa esse? Num rudes et plebeii sanis oculis et auribus instructi non sunt perinde ac docti et nobiles? Ad credendum autem miraculis Christi, illum, v. gr. paucis panibus, paucisque piscibus plura hominum millia refecisse, caecis visum, claudis incessum, mortuisque vitam reddidisse, num requirebatur, ut qui haec videbant et credebant docti essent, nobiles ac divites? Primi Christo credentes fuerunt utique duodecim illitterati piscatores, multique de plebe; at falsum omnino est, omnes, qui ab initio Christi fidem amplexi sunt, fuisse rudes ac plebeios; numquid enim rudes ac plebeii erant regulus in Capharnao, Lazarus, Nicodemus, Ioseph ab Arimathaea, Pudens senator, Flavius Clemens consul romanus, Sergius Paulus proconsul, Cornelius centurio, Epaphroditus, Erastus, plures asiarchae seu Asiae principes, plures magnates de domo Caesaris? Silentio praeterimus quam maximum numerum nobilium matronarum. Inter doctos recensentur plures archisynagogi et sacerdotes, Gamaliel, Paulus, Dionysius areopagita, Clemens romanus, Ignatius martyr, Polycarpus, Papias, Clemens Alex., Iustinus, Athenagoras, Hegesippus, Tatianus, Irenaeus, Theophilus Antiochenus, Dionysius Corinthius, Quadratus, Aristides, Melito, Miltiades, Origenes et Tertullianus, qui omnes primo et secundo saeculo ecclesiae fidem Christi amplexi sunt.

Non ergo rudes et plebeii dumtaxat ab initio Christi miraculis crediderunt, sed viri cuiuscumque aetatis et conditionis; plures sane fuerunt rudes et plebeii, ut Paulus (I Cor. I, 26) testatur; sed hisce etiam conflatur maxima pars societatis humanae, atque dociliores sunt quam sapientes ac divites. Plinius Iun. saeculo primo de magno numero christianorum ad imperatorem Traianum scribebat: « Visa est mihi res
» consultatione dignissima maxime
» propter periclitantium numerum:
» multi enim omnis aetatis, omnis
» ordinis, utriusque sexus etiam vo-
» cantur in periculum, et vocabun-
» tur. Neque enim per civitates, sed

» vicos etiam atque agros supersti-
» tionis istius contagio pervagata
» est (1). » Conf. n. 525, 1.

Tertullianus saeculo secundo in sua apologia romanis: « Hesterni » sumus, aiebat, et vestra omnia » implevimus, urbes, insulas, ca- » stella, municipia, conciliabula, » castra ipsa, tribus, decurias, pa- » latium, senatum, forum (2). »

Quare Hieronymus de incredulis quondam dicebat: « Discant igitur » Celsus, Porphyrius, Iulianus, ra- » bidi adversus Christum canes, di- » scant eorum sectatores, qui pu- » tant, ecclesiam nullos philosophos, » et eloquentes habuisse doctores » nullos, quanti et quales viri eam » fundaverint, extruxerint, ornave- » rint, et desinant fidem nostram » rusticae tantum simplicitatis ar- » guere, suamque potius imperi- » tiam agnoscant. »

Paucis, totus terrarum orbis Christi miraculis credidit, si falsa fuissent, miraculum portentosissimum, immo absolute impossibile fuisset, orbem universum ea ut vera habuisse, et duodecim piscatores ignobiles, ignotos ac illitteratos id ipsi persuasisse.

Quae de vampiris in medio proferuntur ad rem non sunt. Morbus fuit cerebri a metu exortus, et vampirorum morbus vocatus, qui in Hungaria, Moravia ac Polonia olim grassatus est. Eo laborantes putabant mortuos de nocte e sepulcris ad illos accedere, ipsisque sanguinem e venis exsugere; multi hoc delirii morbo in laudatis regionibus mortui sunt.

Verum morbus iste paucas dumtaxat regiones vastavit, fidesque, qua vampiri credebantur spectra, laudatis in regionibus ne quidem universalis fuit; saltem morbus iste et fides in ista spectra dudum cessarunt. Testimonia vero de istis vampiris talia non fuisse, qualia I. I. Rousseau illa exhibet, sat patet quod una cum vampirorum morbo in fumum abierint.

Res vero se longe aliter habet cum de fide in miracula et religionem Christi sermo est; haec enim non in paucis dumtaxat regionibus, sed in universo orbe obtinuit, hodieque obtinet, neque minor nunc est persuasio de veritate miraculorum religionisque Christi, quam fuerit tempore Neronis, Domitiani, Traiani, ac Constantini magni.

§ CCLV. Quod philosophi pagani Christi religionem semper impugnaverint.

524. Docti et philosophi gentiles, excipiunt deistae, Christi religioni continuo contradixerunt, philosophi eam impugnarunt scriptis quae christiani obruerunt. Si scripta illa adhuc exstarent, falsitatem miraculorum Christi forte perspectam haberemus?

Verum est doctos huius saeculi ab initio Christi miraculis ac religioni contradixisse, at irrito conatu, cum Christi religio de omnibus hisce obstaculis triumphaverit, et sedem suam ut mundi regina ibi fixerit, ubi antea sedes erat idololatriae, atque viri doctissimi in toto imperio romano iam primo ecclesiae saeculo eius sacra professi sint.

Eo ipso autem quod opera, quibus philosophi pagani Christi miracula divinamque religionem impugnarunt, quod ad magnam partem perierunt, conficitur paganos ipsos ea parvi fecisse; secus enim illorum exemplaria multiplici descriptione multiplicassent, atque ipsa ita ruinae subtraxissent. Sed hodieque etiam impia ista opera magnam partem supersunt; extant enim fragmenta operis Celsi in octo libris Origenis adversus Celsum, fragmenta Por-

(1) Plin. lib. 10, epist. 97.

(2) Tertul. Apolog. c. 37.

phyrii apud Eusebium Caesareensem, fragmenta Iuliani imp. apud Cyrillum Alexandrinum, et Philalethes Hieroclis adhuc exstat.

Verum haec veterum gentilium philosophorum scripta idipsum probant quod negant deistae, veritatem nempe miraculorum Christi, eiusque divinae religionis; cum enim hi philosophi miracula Christi fateantur, eaque dumtaxat magiae, aliisque causis ineptis attribuant, testantur se miracula Christi ceu facta habuisse; bona ergo fide tantum quod ad miraculorum causam assignandam destituebantur, proinde multo aequiores erant quam deistae nostri aevi. Quantam vero vim inepta philosophorum paganorum scripta in homines bonae fidei habuerint, patet, quod quando adhuc vigebant, innumeri homines Christi fidem amplexi sint, et milleni christiani suum sanguinem pro veritate evangelii fuderint.

§ CCLVI. Num historici gentiles de miraculis novi testamenti siluerint.

525. Quis scit, aiunt deistae, num apostoli Iesu reapse auspicati sint suam missionem Hierosolymis, ubi falsitatis argui potuissent? Historici profani de hoc silent. 1° Si tot prodigia, quae in evangeliis narrantur, vera essent, num historici gentiles de iis non essent locuti?

Deistae hoc obiecto evincere vellent, evangelistas Iesu Christi historiam, et miracula, quae in ea leguntur, ementitos esse, qui ultimus est scepticismi conatus. Nos vero ab iis dumtaxat petimus, quomodo ergo totus orbis christianus factus est? Profecto si universus orbis sine miraculis religionem Christi, passionibus prorsus adversam, amplexus est, haec ipsa conversio, ut Augustinus olim observavit, maximum omnium miraculorum foret. Paucis autem dicimus: historia Iesu Christi et apostolorum continetur in libris authentia praeditis, qua maior nequit excogitari; quare quae in eis referuntur tam certa sunt quam quae certissima.

2° Ineptissimum est ab infensissimis christianorum hostibus petere testimonia in probationem christianae religionis, eo magis quod historici pagani vix occasionem habuerint de miraculis novi testamenti loquendi. Caeterum tot extant testimonia in historicis paganis, ut veritas factorum evangelii ex iis solis demonstretur. Haec testimonia fuse videri possunt in Eusebio Caesareensi, cl. Huet, Houteville, Addisson, Bullet, Duvoisin, Mayer, etc. (1). Quaedam dumtaxat hic referemus, ut ad deistarum probrum pateat scriptores paganos de miraculis evangelicis non prorsus siluisse: sic

1° Chalcidius, philosophus platonicus tertii saeculi, in suo commentario in Timaeum Platonis loquitur de ortu novae stellae, et de adoratione Magorum.

2° Macrobius, auctor ethnicus saeculi quarti, libro 2, c. 4, saturnalium commemorat infanticidium Herodis Ascalonitis, aitque Augustum imp., cum audiisset Herodem eodem circiter tempore occidi iussisse Antipatrum filium suum primogenitum, dixisse: *Melius est Herodis porcum esse quam filium* *.

3° Celsus, philosophus epicureus

(1) Euseb., *Demonst. evang.* Huet, *Demonst. evang.* Houteville, *La religion chrétienne prouvée par des faits.* Addisson, *De la religion chrétienne*, avec les notes de Seigneux de Correvon, Lausanne 1757. Bullet, *Histoire de l'établissement du christianisme, tirée des seuls auteurs juifs et payens*, Paris 1764. Duvoisin, *Démonst. évangélique*, Paris 1802. Mayer, *Specimen defensionis et expositionis historiae I. C. et Apostolorum, ex graecis et romanis scriptoribus profanis*, germanice, 1805.

* Cum audisset Augustus, scribit Macrobius, inter pueros, quos in Syria Herodes rex iudaeorum infra bimatum iussit interfici, filium quoque eius occisum, ait: Melius est Herodis porcum esse, quam filium.

saeculi secundi, apud Origenem fatetur Christum in Aegyptum delatum fuisse, et in tractatu de veritate miracula Christi minime negat, sed ea magiae insulse attribuit.

4° Phlegon, libertus Adriani imp. circa annum 156 aerae vulgaris mortuus, libro 13 olympiadum insigne dat testimonium de vaticiniis I. C., de eorum eventu, praesertim de ruina Hierosolymae, atque ibidem pariter mentionem facit de terrae motu et de extraordinaria eclipsi solari, quae tempore mortis Christi contigit, quam collocat quarto anno olympiadis 202, qui est annus obitus I. C. et 18 Tiberii imperatoris.

5° Thalus, auctor graecus saeculi primi, libro 3 historiae syriacae, pariter testatur anno 18 Tiberii imp. subitam caliginem in ipsa meridie visam fuisse.

6° Saeculo tertio adhuc exstabat in archiviis romanis relatio, quam Pilatus de vita, miraculis, et morte I. C. Romam miserat. Iustinus, Tertullianus, etc. saepe ad archivia romana contra gentiles provocarunt. Tertullianus de extraordinaria eclipsi, quae tempore Christi mortis contigit, romanis, « Eum, inquit, » mundi casum relatum in archiviis » vestris habetis (1).» Iuxta Tertullianum et Eusebium Tiberius relatione Pilati adeo commotus fuit, ut ad senatum retulerit de Christo deorum imperii numero inserendo, quod senatus, Seiano praesertim resistente, renuit. Quidquid critici nonnulli de hoc facto dicant, ipsum verisimile omnino reddunt et mos gentilium romanorum magnis viris honores divinos deferendi et testimonium Tertulliani ac Eusebii.

7° Tacitus, auctor saeculi primi, in suis annalibus refert, Christum sub Pontio Pilato, gubernatore Iudaeae, morti fuisse traditum, et plurimos christianos sub Nerone imp. incendii Urbis falso accusatos horrendis suppliciis fuisse enecatos.

8° Suetonius, qui circa annum 118 aerae vulgaris Adriani imp. secretarius fuit, in vita Claudii refert hunc imperatorem omnes iudaeos et christianos Roma expelli iussisse, quod cum Actuum apostolorum c. XVIII apprime convenit.

9° Plinius iunior, anno 115 aerae vulgaris defunctus, in celebri ad Traianum imperatorem epistola scribit, tametsi quamplurimi christianorum uno sanctissimi vitae instituti nomine damnati inter tormenta perierint, tantam nihilominus eorum multitudinem in urbibus et pagis succrescere, ut non amplius auderet eos punire (2); quare Traianus ipsi rescripsit in christianos inquirendum non esse; si autem denuntiarentur et convincerentur puniendos esse (3).

10° Lampridius, scriptor saeculi quarti, in vita Alexandri Severi imp., narrat Alexandrum quotidie mane in suo larario Christum cum Abrahamo et Orpheo coluisse, ei templum erigere, ipsumque inter deos collocare voluisse; sed addit imperatorem ab hoc proposito remotum fuisse ab iis qui innuebant hoc in casu omnes christianos futuros, et templa deorum fore deserta. Idem Lampridius testatur Adrianum imp. Christum pariter deorum albo inserere voluisse, et in multis urbibus templa idolis vacua extrui iussisse, quae executioni eius propositi destinata fuisse videntur.

11° Hierocles, Alexandriae sub Diocletiano imp. circa annum 303 aerae vulgaris praefectus, in *Philalethe* miracula Christi fatetur, sed iis absurde opponit fabulosa Apollonii Thyanaei prodigia.

(1) Tertul. in apolog.

(2) Plin. lib. 10, epist. 97.

(3) Ibid. epist. seq.

12° Porphyrius, philosophus platonicus tertii saeculi, miracula Christi, apostolorum, et primorum christianorum minime inficiatur, sed ea magicis artibus stulte attribuit.

13° Iulianus imperator, qui saeculo quarto imperavit, miracula Christi haud negat, sed effutit ea *in vico Bethsaida in quibusdam caecis et claudis* patrata esse. Veritatem vaticinii Christi de urbe Hierosolyma eiusque templo fateri debuit, irrito suo conatu, quo templum hierosolymitanum reaedificare molitus est.

En igitur testes paganos, profecto haud suspectos, qui facta evangelica sua relatione confirmarunt ! Eadem facta corroborantur agendi ratione primorum haereticorum; nam Simon Magus praecise propter miracula Philippi baptizari voluit. Gnostici, montanistae, aliique illius temporis haeretici, nihil intentatum reliquerunt ut Christi, apostolorum, primorumque fidelium miracula per fraudes specie saltem imitarentur.

Sed quod magis adhuc in deistarum probrum vergit, est confessio iudaeorum in Thalmude; ibi enim non modo Christi et apostolorum, sed et primorum christianorum miracula fatentur, licet ea usurpato nomini Iehovae, vel artibus magicis attribuant, quod absurdum est, ut iam monuimus n. 522. Immo thalmudici tot particularia vitae Iesu adiuncta referunt, quamvis fabulis rabbinicis deturpata, ut veritas scriptorum sacrorum novi foederis ex iis miro modo confirmetur.

§ CCLVII. Silentium antiquorum historicorum iudaeorum de factis evangelicis.

526. Verum, excipiunt deistae, antiqui scriptores iudaei, Philo nempe et Fl. Iosephus, de factis evangelicis mentionem nullam faciunt.

Sed Philo ne quidem occasionem habuit in suis scriptis de iis loquendi; falsum autem est Fl. Iosephum de ipsis haud loqui: nam honestam de Ioanne Baptista (1) mentionem facit, mortem regis Agrippae eodem modo recenset (2) ac Lucas in actibus apostolorum, et scribit, *Iacobum fratrem Iesu, qui dicitur Christus,* lapidibus obrutum fuisse iussu Anani summi pontificis iudaeorum (3). De seditione iudaeorum in Pontium Pilatum post Christi mortem exorta loquens, insigne hoc de Iesu Christo testimonium refert : « Eodem » tempore, ait, fuit Iesus vir sapiens, » si tamen virum eum fas est dice- » re; erat enim mirabilium operum » patrator, et doctor eorum qui li- » benter vera suspiciunt, plurimos- » que tam de iudaeis, quam de gen- » tibus, sectatores habuit: Christus » hic erat, quem accusatum a no- » strae gentis principibus, Pilatus » cum addixisset cruci, nihilominus » non destiterunt eum diligere, qui » ab initio coeperant; apparuit enim » eis tertia die vivus, ita ut divini- » tus de eo vates hoc et alia multa » praedixerint; et usque in hodier- » num diem christianorum genus » ab hoc denominatum non defi- » cit (4). »

Sed, aiunt deistae, hoc Iosephi testimonium nimis apertum est, proinde a christiano aliquo ipsius operibus insertum.

Sed quid cum deistis faciendum? Testimonia inimicorum Iesu postulant, et, ubi adducantur, clamant nimis aperta esse, immo falsa. Fatemur nonnullos christianos pariter existimasse dictum Fl. Iosephi testimonium esse apocryphum; at istud testimonium Iosepho hebraeo facile vindicatur: cum enim 1° scriberet historiam suae nationis et sui temporis, bona fides illum cogebat de

(1) Fl. Ios. lib. 18 Antiq., c. 7.
(2) Ibid. lib. 19, c. 7.
(3) Ibid. lib. 20, c. 8
(4) Ibid. lib. 18, c. 4

Christo, cuius tanta fuerat in Iudaea celebritas, mentionem facere, eo magis quod librum suum Epaphrodito viro christiano sub Flavio Clemente consule pariter christiano dedicaret.

2° Locutus fuerat Fl. Iosephus de Ioanne Baptista et de Iacobo minore; censendus proinde est noluisse silere de Christo, cuius unus praecursor fuerat, alter discipulus.

3° Iacobum minorem vocat τον ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ, *Fratrem Iesu qui dictus fuit Christus,* seu *qui vocatur Christus.* Consequenter asserit saltem, Iesum Nazarenum habitum fuisse uti Messiam; mirum proinde non est ipsum alio in loco de Iesu, sub eodem respectu loqui.

4° Testimonium hoc cum Iosephi stylo apprime consentit; cum caeteris autem sufficienter connectitur, cum illud obiter dixerit.

5° Eusebius testatur (1) se hoc Iosephi testimonium in antiquo codice hierosolymitano legisse, illudque extat in omnibus codicibus; in aliquibus codicibus hebraice translatis equidem desideratur, sed aperte patet, illud abrasum fuisse. Verum est ante Eusebium neminem hoc Iosephi testimonium contra hebraeos ac gentiles adhibuisse; at ratio est, quod aut nihil aut parum contra illos probaret; adstruebat enim dumtaxat vera esse quae de Christi miraculis dicebantur, quod nec hebraei nec gentiles inficiabantur. Ab Eusebio ideo primum adhibitum fuit, quod primus fuit, qui veritatem evangelii ex profanis auctoribus demonstraverit. Post Eusebium a nemine in dubium revocatum fuit usque ad saeculum decimum sextum.

Adversarii quidem aiunt Fl. Iosephum, cum fateatur Iesum Nazarenum esse Messiam, Christi religionem amplecti debuisse. Verum Iosephus Iesum Messiam dicere potuit eodem sensu, quo imperatorem Vespasianum Messiam dixit. Caeterum videtur Iosephus solummodo dicere Iesum Nazarenum *dictum* seu *habitum* fuisse Messiam; nam cum Hieronymus haec verba Iosephi: Χριστὸς οὗτος ἦν, *Christus hic erat,* vertat per: *Hic credebatur esse Christus,* a multis putatur, in codicibus manuscriptis Iosephi omissam esse vocem λεγόμενος, *dictus.*

Sed ponamus Fl. Iosephum de Christo locutum non esse; affectatum eius silentium de viro suae nationis tam celebri probaret Iosephum voluisse alto premere silentio quod fateri nollet, aut nesciret refutare.

§ CCLVIII. De miraculis quae evangelistarum alii omittunt, alii recensent.

527. Singuli evangelistae, opponunt deistae, nova miracula referunt, ita ut videantur ea excogitasse.

Verum est singulos evangelistas eamdem historiam Iesu scribere; at singuli diversum sibi scopum proposuere; in diversis scripsere adiunctis, et pro diversis populis (conf. n. 426, 428, 433, 434, 437, 438). Quare ea facta potissimum narrant, illaque adiuncta referunt, quae eorum scopo magis conveniebant, quae rerum circumstantiae postulabant, et quae populis, pro quibus proxime scribebant, magis necessaria erant; quare mirum non est, quod quaedam apud unum evangelistam legantur, quae apud alium desiderantur. Christus profecto multo plura fecit ac dixit, quam quae in evangeliis reperiuntur, ut caeteroquin Ioannes XXI, 25 testatur; consequenter si haec omnia a quolibet evangelista litteris consignanda fuissent, libri magni conscribendi fuissent,

(1) Euseb. Demonst. evang. l. 5, c. 5, et Hist. l. 1, c. 10.

quod evangelistae noluerunt: voluerunt mundum convertere, neutiquam multitudine eorum quae a Iesu gesta aut dicta sunt in admirationem rapere. Haec novam lucem ex sequentibus mutuabuntur.

Matthaeus scripsit potissimum in gratiam iudaeorum Palaestinae (n. 426); quare 1° summatim dumtaxat refert miracula Christi: cum enim iudaei Palaestinae testes oculati ac auriti fuissent factorum ac dictorum Iesu, maluit Matthaeus eorum memoriam simpliciter apud iudaeos conservare, quam ipsa enucleatius exponere. 2° Matthaeus ea praecipue enarrat quae analoga sunt vaticiniis veteris foederis de Messia, ut ita probaret iudaeis Iesum Nazarenum esse Messiam a prophetis praedictum. Et en in quibus Matthaeus differat ab aliis evangelistis! (conf. n. 430, 435, 439).

Marcus scripsit proxime pro romanis (n. 428); quare 1° omisit plura facta et adiuncta prophetias veteris foederis respicientia; 2° nonnulla, quae a d. Petro audierat, et in Matthaeo deerant, addidit aut fusius descripsit; 3° omnia dirigit ad scopum ut ostendat Christum esse rerum omnium dominum (n. 429).

Lucas suum evangelium proxime pro gentilibus scripsit (n. 34), quare 1° enucleatius narrat nativitatem ac infantiam Iesu; 2° addit plura vitae ac doctrinae Iesu adiuncta, quae ab apostolis et discipulis Iesu didicerat, et quae in Matthaeo ac Marco deerant; 3° pro scopo sibi proposuit probare Iesum Nazarenum esse verum mundi salvatorem (n. 434), ad quem scopum omnia dirigit.

Ioannes voluit: 1° supplere quae ab aliis evangelistis omissa fuerant, praesertim circa initium et primum annum praedicationis Iesu; quare quam plurima facta ab aliis evangelistis enarrata haud exponit; 2° divinitatem Iesu contra Cerinthi, Valentini atque Ebionis asseclas propugnat; universim vero omnia ad hunc scopum dirigit, ut ostendat Iesum Nazarenum esse verum filium Dei, Deumque ipsum (n. 438).

En igitur cur quaedam facta et rerum adiuncta in uno evangelio reperiantur, et non in alio, et quod unus evangelista factum aliquod cum certis quibusdam, alter vero cum aliis adiunctis referat! immo aliquando unus evangelista sermonem Christi his, et alter aliis verbis refert, quod contra deistas evidenter evincit evangelistas in fraudem minime conspirasse. Caeterum primum veritatis scriptorum criterium est ut in substantia conveniant, in modo autem narrandi, in stylo et in adiunctis differant.

§ CCLIX. Num evangelistae ordinem rerum gestarum servare debuerint? De paralyticis, caecis et claudis per Christum et apostolos sanatis.

528. Evangelistae temporis et ordinis rationem minime servant, aiunt deistae; id autem innuit eos probe haud scivisse, quae scripserunt.

1° Quis sibi persuadeat, tot in Iudaea fuisse paralyticos, caecos, et claudos, quot Christus et apostoli sanasse leguntur?

Ipse neglectus temporis et ordinis summam evangelistarum sinceritatem probat; si enim alios decipere voluissent, sua scripta studiosius composuissent. Caeterum tanta temporis ac ordinis ratio necessaria non erat, cum gesta publica Iesu triennio includantur. Si evangelistae scripsissent historiam plurium saeculorum, factis dictisque omnis generis refertam, ipsis opus fuisset tabulis chronologicis, et artificioso rerum delectu; neutiquam vero in historia trium annorum.

9° Non legitur Christum et apostolos plura paralyticorum, caecorum ac claudorum millia sanasse. Aegroti, caeci, etc. quos Christus et apostoli, lustrando Iudaeam ac Samariam curarunt, ad ipsos undequaque adferèbantur; quare mirum non est, multos sanatos fuisse. Enumerent deistae omnes aegrotos, caecos, etc., qui in urbibus ac pagis suae ipsorum regionis reperiuntur, et facile credent quod modo derident.

§ CCLX. De daemoniacis.

529. Quis credat, excipiunt deistae, a daemonibus fuisse obsessos, qui in evangelio daemoniaci nuncupantur?

2° Quomodo aetate Christi tot obsessi in sola Palaestina fuissent, et non alibi ?

3° Spiritus non potest agere in materiam, cum nullam proportionem ad illam habeat.

4° In obsesso duo forent spiritus; quomodo hi, utpote sibi contrarii, in eodem corpore consistere possent?

Daemones esse aut homines obsidere posse aeque deistis absurdum videtur; at esse daemones, seu malos genios non modo e scriptura sancta sed etiam ex antiquorum ac recentiorum philosophia colligitur; id immo non solum olim iudaeis, sed etiam omnibus populis paganis cultis ac sylvestribus persuasum; qui proinde hanc fidem non a philosophis, quorum nulli sunt apud populos sylvestres, sed ex traditione et primitiva revelatione acceperunt. Hodieque populi omnes barbari ac culti, ut tartari, arabes, persae, americani, sinenses, etc. in eadem circa hosce genios opinione versantur, licet in multis circa illos graviter hallucinentur, uti antiqui pagani hallucinati sunt.

Hosce spiritus, prae spiritibus humanis actuosiores esse nemo prudens negaverit; cum autem spiritus noster in corpus nostrum agat, et genios bonos malosque in corpora agere posse liquet; quare obsessiones sunt possibiles; illas vero reipsa obtinuisse ex evangelistarum narratione patet apertissime.

2° Aevo Christi tot in Palaestina obsessi non fuerunt, quot deistae imaginantur; illos vero non modo in Iudaea sed et in aliis regionibus extitisse, ex actibus apostolorum constat. Plures quidem occurrunt in Palaestina ; at ss. patres observant Deum ea aetate daemoni maiorem potestatem concessisse, ut Christi eiusque discipulorum victoriae de ipso relatae novam Iesu religionem magis commendarent, et iudaeos ac paganos in infensissimum eorum salutis hostem attentiores redderent.

3° Spiritus humanus in corpus humanum agit ; cur spiritus malus in illud agere haud posset? proportio consubstantialis inter spiritum et materiam profecto non requiritur, sed sufficit ea proportio qua spiritus tamquam causa efficax et actuosa in materiam ceu subiectum possibile agere possit. Quod vero modum huius actionis ignoremus, id limitibus tribuendum est, quibus mens nostra circumscribitur.

4° Obsessus haud semper a daemone agitatur. Dein spiritus iste, humano spiritu fortior, potest corporis habitudinem perturbare, commovere ac exagitare, atque hoc sensu auctor esse eorum quae daemoniacus peragit.

Agendi vim spirituum propriam eiusque limites rationaliter quidem definire nequimus; at ex revelatione constat illam humana multo potiorem esse: quare deistae frustra ignorantiam suam hac de re nobis obiiciunt.

§ CCLXI. Num daemoniaci fuerint aegroti?

530. *Obi.* Recentiores nonnulli interpretes (1) daemoniacos, de quibus in novo foedere fit mentio, pro naturaliter aegrotis, epilepticis nempe, furiosis ac melancholicis, habent. Rationes eorum sunt

1° Aevo Christi iudaei aeque ac pagani graves morbos malis geniis seu daemonibus adscribebant (2), ideoque gravibus morbis afflictos a malis geniis vexatos vel obsessos credebant, illosque daemoniacos nuncupabant.

2° Vox Δαίμων, *Daemon*, quae a δαίω, *cognosco*, derivatur, non solum significat diabolum, sed etiam animas defunctorum in deorum numerum relatorum, quibus gentiles statuas idolorum animari credebant; quare Paulus dicit paganos sacrificare daemonibus, seu illis hominum animabus superis adscriptorum, quas in statuis idolorum habitare existimabant (I Cor. X, 20. I Tim. IV, 1. Conf. Act. XVII, 18). Quapropter etiam daemoniaci dicti fuerunt qui ab animabus hominum praesertim malorum et violenta morte defunctorum, tamquam a furiis agitari putabantur.

3° Hippocrates aliique medici antiqui daemoniacos habuerunt pro naturaliter aegrotis, ipsisque remedia sanitatem restituentia praescripserunt.

4° Evangelistae de daemoniacis iuxta populi opinionem locuti sunt.

5° Christus et apostoli evellere maluerunt perniciosos errores morales, quam populare atque inveteratum praeiudicium de daemoniacis, cuius depulsio difficillima Christum atque apostolos a rebus maioris momenti arcuisset; quare Christus et apostoli populari se praeiudicio accommodarunt.

6° Miraculis, quae Christus et apostoli sanando aegrotos uti daemoniacos habitos patrarunt, nihil in hac hypothesi de eorum praestantia ac probatione pro Christi eiusque religionis divinitate decedit.

7° Exstant hodieque aegroti, qui se a daemonibus obsessos putant, quemadmodum alii sunt qui se lupos, canes, feles, etc., esse existimant.

8° Cur Deus aevo Christi obsessiones permisisset, cum Christus sanando aegrotos qui a daemonibus vexari putabantur, aeque suam potestatem divinam miraculorum manifestaret, ac si daemones vere eiecisset?

9° Duos daemoniacos regionis gerasenorum (Matth. VIII, 28) nonnisi insanos ac furibundos fuisse probat eorum petitio in porcos ingrediendi; hoc enim non daemones, sed soli insani ac furiosi petere potuerunt.

10° Iuxta Christi doctrinam Deus curam rerum omnium, et curam peculiarem hominum gerit; hoc autem falsum foret, si daemon homines obsidere, iisque tot ac tanta mala inferre posset.

11° Ex II Petri II, 4, constat, daemones in tartara detrusos esse, ibique in iudicium reservari; proinde hominibus haud possunt nocere.

§ CCLXII. Daemoniaci fuerunt obsessi a daemonibus.

531. *Resp.* Ast laudata sententia litterali ac proprio evangelicae narrationis sensui contraria est, ex eaque nonnulla sequerentur absurda.

1° Enim Christus non modo populari se praeiudicio accommodasset, sed talem errorem expresse confirmasset; non modo enim de dae-

(1) Ap. cl. Iahn Archaeol. bibl. c. 12, § 194, etc. Viennae 1805. Cl. Schnappinger, H. Schrift des n. B. Matth. VIII, 28. Mannheim und Linz, 1808. Conf. et cl. Brentano H. Schrift des n. T. Matth. VIII, 28. Francfurt 1798.

(2) Fl. Ios. Antiq. iud. l. 6, c. 8; l. 8, c. 2, 5.

moniacis ut de obsessis a diabolo loquitur, sed et spiritus, qui obsessos vexabant, alloquitur; eos silere, ex obsessis egredi, et numquam amplius reverti iubet. Cum vero apostoli eodem modo de daemoniacis loquantur ac eorum magister, Christus, eisdem aut talem errorem, aut illius dissimulationem communicasset; quod Christo, qui vitia ac praeiudicia maiora populi, immo et pharisaeorum, aperte refellit, quique ipsa veritas est, maximam infert iniuriam.

2° Marcus (c. V), historiam daemoniacorum Matthaei (VIII, 28) referens, ait daemones, qui in priore daemoniaco erant, a Christo petiisse ut mitterentur in porcos: « Et deprecabantur eum, inquit, spiritus, » dicentes: Mitte nos in porcos.... » et concessit eis statim Iesus. Et » exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos, et magno impetu grex praecipitatus est in mare » ad duo millia, et suffocati sunt.» Iam vero verba Christi ad spiritus daemoniaci, spirituumque petitio, sane indicant sensu proprio ac litterali in isto daemoniaco fuisse daemones seu genios malos. Quomodo caeteroquin duo homines furiosi ruentes in gregem duorum fere millium porcorum hosce in lacum Genezareth praecipites agere potuissent, ut ponunt prioris sententiae patroni?

3° Evangelistae daemoniacos ab aegrotis expresse distinguunt, ut Matthaeus X, 1: « Dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut » eiicerent eos, ut curarent omnem » languorem, et omnem infirmitatem; » Marcus I, 34: « Curavit » multos, qui vexabantur variis languoribus, et daemonia multa eiiciebat, et non sinebat ea loqui, » quoniam sciebant eum; » Lucas VI, 18: « Venerant ut audirent eum, » et sanarentur a languoribus suis. » Et qui vexabantur a spiritibus im» mundis curabantur; » oportet ergo daemoniacos a naturaliter aegrotis fuisse revera distinctos.

4° Occurrunt in novo foedere daemoniaci, qui ea praestiterunt quae vires humanas excedunt; sic Actuum Apost. XVI legitur puellam aliquam philippensem divinatam fuisse, et a spiritu Pythone nutu Pauli liberatam fuisse. Quomodo haec puella virtutem divinandi amisisset si solummodo a morbo liberata fuisset? Morbus profecto virtutem divinandi haud suppeditat.

Daemoniacus (Marc. V, 3-4) compedes atque catenas, quibus vinciebatur rumpebat, ita ut nullatenus domari posset; quod probat, illum vires humanis superiores habuisse.

§ CCLXIII. Crisis sententiae daemoniacos aegrotos esse statuentis.

532. Ad rationes n. 530 pro sententia isthac allatas respondemus.

1° et 2° Etiamsi iudaei ac pagani graviores morbos daemonibus attribuerent, existimarentque animas defunctorum homines nonnullos vexare, exinde haud sequeretur nullos fuisse a daemone obsessos. Verba evangelistarum, Christi et apostolorum loquendi atque agendi ratio cum daemoniacis veros obsessos indicant.

3° Si aliqui, ut daemoniaci habiti, a medicis sanati sunt, sequitur tantummodo non omnes, quos vulgus ut daemoniacos habet, tales esse, non vero omnes daemoniacos solummodo fuisse aegrotos. Immo Matth. IX, 32 et Luc. XI, 4 occurrit daemoniacus, qui mutus dumtaxat erat, et (Matth. XII, 22) invenitur daemoniacus qui caecus ac mutus tantummodo erat, caeteroquin uterque sani. Hi daemoniaci, qui symptomata morbi, epilepsiae, furoris, etc., habuisse non leguntur, probant

daemoniacos omnes non fuisse aegrotos, epilepticos, melancholicos ac furiosos.

4° et 5° Christus et apostoli non modo populari se praeiudicio accommodassent, sed simulando se in daemoniacis alloqui daemones, quos abesse scivissent, etiam hunc perniciosum errorem confirmassent, atque ita iudaeos decepissent. Christus (Ioannis XV, 24) ad eiectiones daemonum provocat tanquam ad opera quae nemo prophetarum ante illum fecerat; cum vero aegroti sat multi a prophetis sanati fuissent, patet daemoniacos non fuisse naturaliter aegrotos.

6° Etiamsi Christus sanando graviores morbos tantum miraculum edidisset quantum patrasset eiiciendo daemones, sincerus tamen non fuisset; finxisset enim se pellere malos spiritus, dum nonnisi morbos abigeret. Ex

7° Sequitur solummodo non omnibus, qui se daemoniacos dicunt, aut ab aliis ut tales exhibentur, fidem esse adhibendam. S. Paulinus Nolanus scribit (1) *se vidisse* daemoniacum qui capite deorsum verso pedibus contra fornicem alicuius ecclesiae obambulabat, quin eius vestes commoverentur, illumque ad sepulcrum s. Felicis sanatum fuisse. Sulpitius Severus refert (2) *se vidisse* obsessum in aëre suspensum. Hi vero testes oculati probant post ipsa apostolorum tempora fuisse aliquos vere a daemone obsessos.

8° Ratio, ob quam Deus obsessiones aetate Christi permisit, allegata est n. 529 2°.

9° Daemones, qui obsidebant daemoniacos regionis gerasenorum, verebantur ne in tartara relegarentur, et suam malitiam in homines non amplius exercere possent: *Et deprecabatur eum* (Iesum) *multum,* ait Marcus V, 10, loquens de spiritu daemoniaci prioris, *ne se expelleret extra regionem;* quare mirum non est, spiritus istos, hominibus nocendi cupidos petiisse ut porcos ingredi possent, quos dein cum magno hominum damno in mare praecipites agerent.

10° et 11°. Ex eo quod Deus curam de omnibus et speciatim de hominibus gerat, daemon vero iuxta II Pet. II, 4, in tartara relegatus sit, sequitur solummodo daemonem hominibus nocere haud posse sine speciali Dei permissione.

§ CCLXIV. De apparitione angeli Gabrielis ad Zachariam (Luc. I, 5-25).

533. H. E. Gottlob Paulus, qui miracula Iesu naturaliter exponit(3), visionem Zachariae historico-pragmatice ita exponit:

Zacharias diu expetierat puerum quem Deo Messiaeque consecraret. Vice sua ad templi officia vocatus, incensoque Deo oblato, ecstasi (4) se tradit, prolisque desiderium ei in mentem recurrit. In hac ecstasi videt inter spissum ardentis incensi fumum ad dexteram altaris aliquid, quod ipsi coelestem speciem prae se fert. Tum interiores animi motus visaque se mutuo excipiunt. Zachariae anima primum timore dein gaudio afficitur, quodque saepe conceptis votis exoptaverat nunc sibi promissum externa quadam voce audire videtur. Quae hic futurum Ioannis Baptistae vitae institutum spectant sponte postea impleta sunt, cum ad hanc normam hic fuerit institutus. Cum Zacharias conceptam spem pueri suscipiendi quam firmissimam habere vellet, de signo cogitat quo certior fieret. Verum hoc dubio vix exorto,

(1) In vita s. Felicis Nolani.
(2) Dialog. lib. 3, c. 7.
(3) Philologisch-kritischer und historich. Kommentar über das neue Testament, Lubeck 1800.
(4) Ecstasis ab ἐκ — ex et στάω — sto, menti excessus.

credit se in Deum peccasse, poenam meruisse, haecque sibi dicta exaudire videtur; « Quia modo nimium » locutus es, non amplius loqueris » usque dum omnia impleta sint. » Cum autem hac voce cui plenam perfectamque obedientiam se debere autumabat silentio se crederet damnatum, ne loqui quidem tentavit, etc.

Verum ex hac expositione patet Paulusium visionem Zachariae ut nudum phantasma habere, quod quantum a vero alienum sit vel inde patet, quod ne vestigium quidem huiusmodi hallucinationis in Lucae historia litterali et obvio sensu accepta deprehendatur. Verum operae pretium est rationes audire ac refutare, ob quas Paulusius hanc explicationem amplexus est, eo magis quod ob illas in suo commentario philologico-critico et historico multa alia facta evangelica in sententiam a sensu communi prorsus alienam detorqueat.

534. 1° Apparitiones angelorum, ait Gottlob Paulus, eo magis ut impossibiles, aut saltem ut incredibiles habendae sunt quod intelligi nequeat quomodo entia incorporea in alterius organa agere queant; — quod huiusmodi visa a phantasmatibus distingui nequeant; — quod nullum idoneum finem prae se ferant, quippe quae ad unam plerumque curiositatem explendam conducant; — quod per haec homo, cui ratio praecipit, ut quae ipse dignoscere potest et expendere ea sibi ut agendorum normam praestituat, externae potius auctoritati fidere consuesceret, unde frequens erroris et deceptionis occasio; — quod si huiusmodi visionum impossibilitas nequeat demonstrari, neque pariter earumdem possibilitas, eoque minus veritas sit demonstrabilis; quare eorum iudicio, sententia quae sumit angelos re vera visos esse, ut vana hypothesis habenda est.

2° Angeli non habent nomina hebraica, ut angelus Luc. I, 19 habet. Si angelus reapse apparuisset, prudentem Zachariae interrogationem, qua se contra omnem hallucinationem munire conabatur, potius laudasset quam puniisset. Si Zacharias reapse mutus factus fuisset, officium sacerdotale, quo viri tantum omni prorsus corporis vitio immunes fungi poterant iuxta Lev. XXI, 17, illico deseruisset, cum tamen ex Luc. I, 23 constet illum, *impletis diebus officii*, tunc demum Hierosolyma discessisse.

3° Annales religionum antiquorum populorum docent omnes veteres historias magnorum virorum, ex traditionibus vulgaribus potissimum exortas, piis huiusmodi fabulis distinctas fuisse, ut ex historiis de Cyro, Tullio Hostilio, Iulio Caesare, etc. constat.

4° Orientales proprias cogitationes, queis obiecta externa occasionem praebuerunt, per dialogum eos inter et obiecta externa exprimere solent. Duas tamen postremas rationes Paulusius ad explicandam visionem Zachariae non adhibet.

5° Visio Zachariae per unum mentis intuitum psychologice explicari potest. Eaedem enim sunt actiones animae tempore somnii ac tempore ecstaseos seu potius enstaseos; nam tempore somnii anima modo secum ipsa loquitur, modo alios secum loquentes credit. Haec autem etiam fieri possunt extra somnium tempore enstaseos. Si somnia rariora essent, et quo temporis puncto quis expergiscitur absque sensibili discordantia cohaererent, illa vix ab aliarum rerum post ipsa contingentium serie discerneremus, immo cum iisdem illa connecteremus. In narratione autem visionis Zachariae nihil

occurrit, quod ipsi differentiam cogitationes mentis inter atque exteriores actiones indicare potuisset.

Revocando haec argumenta ad critices trutinam ineptiae videbuntur a fervida auctoris imaginatione profectae, et velo philosophico obductae. Quare sit

§ CCLXV Refutatio expositionis.
D. H. E. G. Paulusii de visione Zachariae.

535. 1° Mirum haud est, hoc nostro aevo a pseudophilosophis visiones angelorum magis magisque haberi ut impossibiles aut saltem ut incredibiles; ea enim tempora deciderunt, ut recte cum doctore gentium de pseudophilosophis dicere possimus: « Animalis homo non per- » cipit ea, quae sunt spiritus Dei : » stultitia enim est illi, et non po- » test intelligere (I Cor. II, 14). »

— Ergo et impossibile aut saltem incredibile erit Deum, qui est ens incorporale, se hominibus manifestare posse ! Quid igitur de omnipotentia divina, totaque revelata religione dicendum erit? Nec intelligimus modum, quo spiritus noster agat in organa nostri corporis: num ideo eius actiones in corpus nostrum impossibiles aut incredibiles dicemus ? Angelos iubente Deo corpora assumere atque ita in aliena organa agere posse, nullam contradictionem involvit ; quare actiones spirituum in aliena organa possibiles sunt; eos autem reipsa in aliena organa modo quocumque egisse, revelatio nos expressis verbis multoties docet, atque tota iudaica atque christiana antiquitas tenuit ; quare et credibiles sunt, et a viro christiano fidem merentur.

— Quando angeli alicui apparent, signa praebent quibus homo ab hallucinatione praeservatur: sic Petrus agnovit angelum sibi apparuisse per vinculorum diruptionem, et prodigiosam e carcere liberationem coniunctam cum verbis illius, qui ei apparuerat; aut angeli per modum apparendi, etc. manifestant se esse nuntios coelestes, ut ex ipsa visione Zachariae, qui ad illam turbatus contremuit (Luc. I, 12) liquet. Ii vero, qui haec non viderunt, talia visa ab hallucinationibus distinguunt, quando auctoritate divina, aut sufficienti auctoritate humana, eorum veritas ad ipsos transmissa est.

— An sufficiens ratio visionis alicuius angeli non est, quod Deus ex infinita sua bonitate manifestare velit curam quam de genere humano universim, aut de quibusdam speciatim hominibus gerit ? An finis sufficiens non est, quod Deus homines per angelos docere, consolari, etc. velit ? Num sufficiens ratio apparitionis angeli ad Zachariam et ad Mariam non erat laetum nuntium de proxima liberatione generis humani? Si vero Deus finem sufficientem nobis innotescere nollet, constaret tamen eum reapse nuntium aliquem coelestem misisse; num aliquis ideo negare auderet angelum vere apparuisse ? Num aliquis Deo dicere praesumeret: cur hoc fecisti? « Quis consiliarius eius fuit?» (Rom. XI, 34). Ad curiositatem hominis explendam ens infinite sapiens perfectissimumque haud agit ; quare si constat angelum aliquem reapse apparuisse, finis Deo dignus iure praesumitur.

— Principium philosophiae kantianae est, illud haud esse obiective verum, quod sub sensus non cadit. De veritate huius principii impraesentiarum haud quaerentes, animadvertisse sufficiat, illos, quibus spiritus apparent, eorum actionem in sua organa persentire; quam proinde utpote sensibus subiectam expendere possunt. Illi vero qui testes harum visionum non sunt, iis credere non tenentur, nisi ipsis de iis certo con-

stet; quod re ipsa contingit cum aperte in libris divinis continentur, quorum veritas ad severam critices trutinam revocata est; quare qui credit visionibus de quibus in scriptura sacra sermo est, minime credit externae fallacique auctoritati. Ex dictis patet responsio ad obiectionem ultimam.

— 2° Angeli in coelo utique non habent nomina hebraica; sed si se hebraeis manifestant, num forte nomina arabica aut graeca assumere debent? Angelorum nomina indicant eorum officium, non vero naturam, ut ex illorum significatione liquet.

— Interrogatio Zachariae non viri prudentis, sed non satis credentis fuit; agnoverat enim nuntium coelestem, ut ex eius perturbatione ac tremore (Luc. I, 12) patet, nihilominus tamen angelo fidem non adhibuit, ut inde manifestum est, quod ab angelo signum petierit (ib. v. 18), proindeque angelus ipsi dixit: « Non poteris loqui pro eo quod non credidisti (v. 20). »

— Probandum esset legi Levitici (XXI, 17) ob insignem Zachariae sanctitatem hoc in casu non fuisse derogatum; ex eo enim quod lex aliquid praecipit colligi nequit id executioni mandatum fuisse. Caeterum verba Lucae I, 23: « Ut im» pleti sunt dies officii abiit in do» mum suam » non probant Zachariam illuc ad id usque temporis sacerdotali officio functum esse, sed solummodo eum tota sua hebdomade in templo mansisse. Immo exinde quod Zacharias intra novem menses graviditatis suae coniugis non dicatur ad templum reversus, cum tamen interea recurrente iterum eius vice illuc reverti debuisset, potius confirmatur illum reapse mutum fuisse.

3° Magna sane reverentia libris divinis exhibetur, cum fabulosis antiquorum scriptis ea comparando! Evangelistae sufficientia signa veritatis dederunt (conf. n. 514-521) ne quis vereatur illos falsa veris admiscuisse.

Auctor asserit caput primum Lucae a v. 5 usque ad finem, et caput secundum usque ad v. 39 piis fictionibus referta esse, et primitus in cognatione Ioannis Baptistae et I. C. composita fuisse, atque ita a Luca evangelio inserta esse; Lucas vero (c. I, 2) testatur, se omnia a testibus oculatis et auritis accepisse, se omnia accurate examinasse, ac proinde historiam criticam scripsisse, ut Theophilus plenam certitudinem haberet religionis christianae quam edoctus fuerat. Quis ergo fidem meretur, D. G. Paulus, an s. Lucas?

4° Si orientales suas cogitationes per dialogum eos inter et obiecta externa reapse significarent, quod falsissimum esse historia sacra ac profana testatur, sensum communem exuisse dicendi essent, utpote qui ita loquerentur ut ab aliis intelligi nec possent nec vellent. Ad colloquium Hevae cum serpente (Gen. c. III) frustra provocatur, cum illud iuxta obvium mosaicae narrationis sensum Hevam inter et serpentem revera contigerit, neque in sola Hevae mente constiterit.

5° D. G. Paulus in argumento psychologico homines ponit non quales natura sunt, sed quales aestuanti ipse sibi phantasia illos repraesentat. Profecto si homines animo ad se intento, seu in ecstasi, credant se videre et audire quae nec vident nec audiunt, nec hunc errorem postea deprehendant, animi avocatio, seu ecstasis, cum somnio comparari poterit, sed tum homines vigiles somniabunt; quare D. G. Paulus multo expeditius fecisset, si paucis dixisset Zachariam totam visionem som

niasse. Et en quorsum recidat tota auctoris explicatio de visione Zachariae! *ex uno... disce omnes.*

§ CCLXVI. De genealogiis I. C. Matth. I, 1-17, Luc. III, 23-38.

536. Bolingbrock aliique deistae, Iulianum imperatorem secuti, aiunt genealogias Iesu Christi (Matth. I, 1-17, et Luc. III, 23-38) sibi contradicere; Matthaeum a v. 6 non amplius consentire cum Luca nisi in Salathiele et Zorobabele; iuxta Matthaeum patrem Iosephi esse Iacobum, et iuxta Lucam Heli.

Verum uterque evangelista aliam scripsit genealogiam, Matthaeus nempe texuit genealogiam naturalem Iosephi, et Lucas genealogiam Mariae; uterque autem evangelista probat Iesum Nazarenum descendere a Davide. Matthaeus proxime scribens pro hebraeis non genealogiam Mariae, sed Iosephi confecit, eo quod apud hebraeos haud moris esset mulierum stirpes describere. Cum autem Iosephus ex eadem familia esset ac Maria, Matthaeus per genealogiam Iosephi scopum suum assequebatur.

Ad apparentem vero antilogiam inter genealogias Matthaei et Lucae auferendam, exegetae plures excogitarunt hypotheses, quarum praecipuas hic breviter referemus.

537. Prima. Iulius Africanus, scriptor secundi saeculi, quem multi patres secuti sunt, in epistola ad Aristidem (1) primam adstruit hypothesim; asserit Matthaeum naturalem, Lucam vero legalem Iosephi genealogiam scripsisse, additque se rem, ut sequitur, a cognatis Iesu accepisse. Iuxta hanc igitur, Nathan (Matth. I, 15) Estha in uxorem duxisset, ex qua progenuisset Iacob (Matth. ib.). Mortuo Nathan Estha nupsisset Mathat (Luc. III, 23), ex quo habuisset Heli (loc. cit.); quare Iacob et Heli ex parte matris fratres erant. Heli uxorem duxisset, sed cum sine liberis defunctus esset, Iacob eius frater viduam illius iuxta Deut. XXV, 5 in coniugem accepisset. Ex hac τοῦ Heli vidua Iacob genuisset Iosephum virum Mariae; proinde Iosephi pater naturalis fuisset Iacob, de quo loquitur Matthaeus, et legalis, seu quem lex mosaica agnoscebat, Heli, de quo loquitur Lucas.

Ast huic hypothesi obstat 1° quod incredibile sit Lucam voluisse gentilibus, pro quibus proxime scribebat, obtrudere genealogiam legalem, quam intelligere non poterant; 2° Lucas III, 31, 32, 36, 37, etc. patres naturales recenset; num ib. v. 23 de patre legali locutus fuisset, quin id indicasset? 3° nulla adest ratio cur Lucas pro gentilibus novam genealogiam legalem, ab illa Matthaei prorsus diversam, scripsisset.

538. Secunda hypothesis est, Matthaeum Christi genus regale, Lucam vero *sacerdotale* scripsisse, Nathanque Lucae III, 31 fuisse sacerdotem et Davidis filium adoptivum, proptereaque etiam Elisabetham cognatam Mariae esse.

Verum iuxta hanc hypothesim Christus ex parte matris fuisset de tribu Levi secundum Lucam, quod Paulus (Hebr. VII, 13) directe negat, et traditioni adversatur. Elisabeth cognata Mariae fuit, quia eius mater erat de tribu Iuda, ex qua erat Maria.

539. Tertia hypothesis duabus antecedentibus longe verisimilior, cuiusque auctor saeculo octavo fuit Ioannes Damascenus, est Lucam scripsisse genealogiam Mariae, quemadmodum Matthaeus scripserat genealogiam Iosephi. Exegetae tamen alii ita hanc sententiam tuentur, ut dicant Lucam III, 23 dicere voluisse, Iosephum ut generum descendere,

(1) Euseb. l. 1, c. 7.

ab Heli; generum pariter intelligunt v. 27, ubi Salathiel, qui iuxta Matth. I, 12 verus Iechoniae filius fuit, filiam unicam τοῦ Neri in uxorem duxisset, proinde Neri gener, et latiori sensu filius fuisset. Existimant sobolem Salomonis, ex qua erat Salathiel, sobolemque Nathan, ex qua erat Neri filia, per laudatum coniugium in unum coaluisse, et ex hoc connubio natum esse Zorobabelem.

Ast hic difficulter explicatur 1° cur Lucas in sua genealogia filios et generos confuderit, quin id adnotaverit, aut ex adiunctis elucescat? 2° Quomodo soboles Salomonis et Nathan, quae in Salathiele et Zorobabele coniunctae fuissent, bifariam iterum divisae sint?

Alii vero Exegetae, recentiores praesertim, maiori cum verisimilitudine propugnant Lucam directe genealogiam Mariae scribere, illum III, 23, voluisse dicere Iesum esse filium, id est nepotem τοῦ Heli; per Salathielem et Zorobabelem Lucae viros omnino diversos ab homonymis apud Matthaeum intelligunt. Quare Maria iuxta Lucam descendit a Davide per illius filium Nathan eiusque posteros; Ioseph autem iuxta Matthaeum descendit a Davide per Salomonem illiusque descendentes. Rationes quibus haec ultima tertiae hypothesis sententia innititur sunt:

1° Lucas III, 23, iuxta archetypum graecum ait: Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος, ὢν (ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσήφ) τοῦ Ἡλὶ, τοῦ Ματθάτ, κ. τ. λ. *Iesus, quasi triginta annorum incipiens, erat (qui putabatur filius Ioseph) Heli, Mathat*, etc., ac si diceret: *Iesus, qui putabatur filius Ioseph, erat filius Heli, qui Heli fuit filius Mathat*, etc.

Lucas hic — ait Iesum solummodo putatum fuisse filium Iosephi; c. I, 35, dixerat Iesum conceptum esse de Spiritu sancto. — Dicit illum fuisse *filium Heli*, id est nepotem; scriptores enim sacri et profani nomen filii nepotibus frequenter tribuunt. — Constat, nomina *Ioakim, Ioachim, Heliakim* ac per contractionem *Heli*, in scripturis sacris synonyma esse; quare cum etiam constet ex evangelio apocrypho Iacobi et nativitatis Mariae, ex thalmudistis, et ex traditione ecclesiae latinae ac graecae, Ioachim seu Heli patrem fuisse Mariae virginis, patet Iesum secundum Lucam fuisse filium seu nepotem τοῦ Heli, et Lucam scribere directe genealogiam Mariae quin Iosephum ut generum Heli statuat.

2° Lucas in sua genealogia ostendere intendit Iesum a Davide descendere; c. III, 23, expresse ait Iosephum illius patrem non esse; quomodo ergo eodem versu quin scopo suo contradiceret loqui potuisset de maioribus Iosephi? loquitur igitur de Iesu quando ait: *Iesus... qui fuit Heli.*

3° Paucis: Lucas testatur (c. III, 23), Iosephum Christi patrem non esse, vult tamen ostendere Iesum a Davide descendere; consequenter non debuit de Iosepho ut genero Heli loqui; proinde non fecit; cum secus contra suum scopum egisset, quod adstrui non potest.

4° Posito quod Lucas directe ostendere voluerit quomodo Iesus per Mariae maiores a Davide descendat, etiam facilius intelligitur cur Lucas genealogiam suam ab Adamo, immo ab ipso Deo repetat, quod vix concipitur si ponatur, illum deducere Mariae genealogiam a Davide incipiendo a Iosepho, quem Christi patrem naturalem esse expressis verbis negat.

§ CCLXVII. De tribus tessaradecadibus Matthaei, c. I.

540. *Obi.* Matthaeus, aiunt deistae, tres tessaradecades ab Abra-

hamo usque ad Christum quacumque demum ratione compositurus; in secunda tesseradecade omittit tres generationes, et Iechoniam bis numerat.

Resp. Nihil violenter contorteque compositum in genealogia a Matthaeo descripta deprehendi, cuilibet eam legenti patebit. Composuit Matthaeus tres tesseradecades ad triplicem iudaeorum statum designandum, quo facilius memoria teneretur; primus status, qui continet generationes patriarcharum ac iudicum, incipit ab Abrahamo, et desinit in Davidem; secundus, qui generationes regum complectitur, a Salomone exordium ducit, et desinit in rege Ioakim; tertius vero, qui generationes ducum et sacerdotum comprehendit, incipit a Iechonia et desinit in Christum.

Matthaeus utique tres reges omisit inter Ioram et Oziam; nam iuxta I Paral. III, 11-12, Ioram genuit Ochoziam, hic Ioasum, Ioas, Amasiam, et Amasias Oziam; sed etiam in tabulis genealogicis profanis, praesertim apud orientales, quandoque personae aliquae omittuntur, et recensentur dumtaxat, quae ad scopum conducunt; scopus autem Matthaei erat ostendere Iesum per varias generationes a Davide descendere, et Davidem ab Abrahamo. Ratio cur laudati tres reges a Matthaeo omissi sunt, est verisimillime eorum omissio in tabulis publicis regum Iudae, publicumque odium, quod in se ita consciverunt, ut a iudaeis occisi fuerint; erant de progenie detestanda Achabi et Iezabelis, quorum filiam Ioram in uxorem duxerat. Deus Achabi posteritati bis maledixisse legitur (III Reg. XXI, 21 et IV Reg. IX, 8). Quare isti tres reges Achabi nepotes ex Athalia eiusdem filia et Amri nepte usque ad quartam generationem maledicti censebantur (Exod. XX).

Falsum est, Matthaeum numerare bis eumdem virum, ut scopum suum obtineat; nam loco *Iechoniae* legendum est *Ioakim;* constat enim ex I Paral. III, 15-16 Iechoniam non plures, sed unum dumtaxat fratrem habuisse, Sedeciam nempe. Ioakim vero ibidem plures fratres habuisse legitur, Ioanham scilicet, Sedeciam et Sellum. Quare variis in codicibus graecis et latinis Ioakim loco Iechoniae legitur; idcirco Matth. I, 11-12, legendum est: « Iosias au-
» tem genuit Ioakim et fratres eius.
» Ioakim autem genuit Iechoniam
» in transmigratione Babylonis, et
» post transmigrationem Babylonis
» Iechonias genuit Salathiel. »

Caeterum primus Iechonias potuisset esse pater, alter vero eiusdem filius.

§ CCLXVIII. De vaticiniis veteris foederis a Matthaeo allegatis.

541. *Obi.* Matthaeus, prosequuntur deistae, varia veteris foederis loca violenter Christo accommodat, ut 1° c. II, 15, illud Oseae XI, 1, « Ex Aegypto vocavi filium meum, » ubi Oseas de filiis Israël loquitur.

2° C. II, 23, ait Christum habitasse in Nazareth: « Ut adimplere-
» tur quod dictum est per prophe-
» tas: Quoniam Nazaraeus vocabi-
» tur. » Huiusmodi prophetia nullibi legitur.

3° C. XXI, 4-5, dicit : « Hoc au-
» tem totum factum est, ut adim-
» pleretur quod dictum est per pro-
» phetam dicentem : Dicite filiae
» Sion : Ecce rex tuus venit tibi
» mansuetus, sedens super asinam,
» et pullum filium subiugalis. » Haec in nullo propheta leguntur.

4° C. XXVII, 9 : « Tunc imple-
» tum est, inquit, quod dictum est
» per prophetam Ieremiam dicen-
» tem : Et acceperunt triginta ar-
» genteos pretium appretiati, quem

» appretiaverunt a filiis Israël.» Ieremias autem haec nullibi habet.

Resp. Verum 1° in sensu litterali Oseae sermo est de populo Israël (Exod. IV, 22, Ierem. XXXI, 9), qui sub Moyse ex Aegypto egressus figura seu typus fuit Messiae, et in sensu figurato de Messia; quare Matthaeus vult dicere, Oseae effatum adimpletum esse perfecte seu quod ad figuram, quando Christus ex Aegypto reversus est.

2° Nec Matthaeus ait hanc prophetiam alicubi reperiri, sed solummodo Messiam a prophetis Nazaraeum dictum fuisse, ab hebraeo nempe *Nazir*, quod *separatus, consecratus* sonat; nemo ignorat prophetas frequenter de Messia locutos esse tamquam de viro a caeteris secreto, ac Deo consecrato.

3° Verba haec utique apud singularem quemdam prophetam non reperiuntur; sed Matthaeus ex duobus locis unum confecit: verba: *Dicite filiae Sion* reperiuntur apud Isaiam (LXII, 11), et reliqua apud Zachariam (IX, 9).

4° Verba haec utique non apud Ieremiam, sed apud Zachariam XI, 13, leguntur; sed cum Matthaeus nomina prophetarum citare haud solitus sit, et nomen Ieremiae tempore Hieronymi in antiquioribus codicibus, ac in versione syriaca non reperiretur, hoc nomen ab amanuensi quodam imperite aut inadvertenter additum est, atque ita in caetera exemplaria irrepsit.

§ CCLIX. De vaticinio Isaiae VII, 14, per Matthaeum I, 22-23 citato.

542. Matthaeus Christi prodigiosa conceptione de Spiritu sancto relata (c. I, 22-23), ait: « Hoc autem totum » factum est, ut adimpleretur quod » dictum est a Domino per prophe- » tam dicentem: Ecce virgo in utero » habebit, et pariet filium: et voca- » bunt nomen eius Emmanuel. » Dumarsais aliique deistae tamquam ex tripode delphico definiunt hoc vaticinium Isaiae VII, 14, nihil commune cum Christo habere, et hinc male a Matthaeo allegari. Cum plures acatholici, et nonnulli catholici in hoc Isaiae vaticinio de Messia litteraliter agi negaverint, imprimis occasionem istius vaticinii, dein variorum de illo interpretationes, ac tandem verum eius sensum exponemus.

Vaticinium hoc 700 circiter anno ante Christum a propheta Isaia editum fuit coram Achaz rege Iudae. Occasio eiusdem haec fuit: Rasin rex Syriae, et Phacee rex Israël, gravi bello premebant Achaz regem Iudae, totamque regiam familiam exterminaturi videbantur. Achaz in hisce rerum angustiis Theglathphalasaris assyriorum regis auxilium imploravit; Isaias autem iussu Dei illum ne id faceret dissuasit, pollicitus ambos reges mox interituros, oblata in rei promissae fidem facultate signi cuiuscumque petendi (Isaiae VII, 11). Achaz vero praetexens nolle se Deum tentare signum petere renuit (ib. v. 12); quare Isaias, exprobrata eiusdem in Deum diffidentia, verba ad regiam Davidis familiam convertens: « Dabit, in- » quit, Dominus ipse vobis signum: » Ecce virgo concipiet et pariet fi- » lium, et vocabitur nomen eius » Emmanuel. » Cum regia Davidis familia, e qua Achaz descendebat, iamiam interitura videretur, quo longius eventus huius vaticinii aberat, eo certior illa fierat se non esse interituram, eo quod Emmanuel seu Messias ex ipsa esset nasciturus.

§ CCLXX. Sententiae de loco Isaiae VII, 14. Interpretatio D. Isenbiehl.

543. Veteres iudaei ac rabbini, R. Simeon Ben Iochai, R. Iuda Hakkadosch, R. Hadarsan, R. Barachias, etc., s. Matthaeus, omnes ecclesiae

patres, atque interpretes usque ad saeculum decimum quintum hoc vaticinium litteraliter, seu in sensu historico, de Messia et virgine eius matre intellexerunt. Saeculo tertio et quarto thalmudistas atque rabbinos hanc Isaiae prophetiam de Messia adhuc intellexisse ex Tertulliano (1) et Eusebio (2) constat. Postea autem iudaei, a maiorum sententia discedentes, per Emmanuelem intellexerunt regem Ezechiam, Achaz filium, aut filium ipsum Isaiae.

Ex protestantibus et catholicis a saeculo sexto decimo fuerunt, qui contenderunt, Isaiam in vaticinio c. VII, 14 litteraliter et proxime locutum esse de uxore regis Achaz, vel de sua propria uxore, vel de alia quacumque puella, quae tum adhuc virgo, dein viro iuncta conciperet ac pareret Emmanuelem, uti signum opis divinae, et futurae liberationis ab hostibus Iudaeam devastantibus. Contendebant autem catholici Emmanuelem istum figuram seu typum fuisse Messiae, ita ut Messias in sensu typico seu mistico illa in prophetia praediceretur. Ita fere ex catholicis senserunt Bern. Lamy, Dan. Huetius, Aug. Calmet aliique.

Sociniani et Grotius autumarunt illo in vaticinio de Messia nullatenus agi, hosque ex catholicis primus secutus est Ioannes Laurentius Isenbiehl, presbyter dioecesis moguntinae, et exegeseos professor.

Hic anno 1773 in suis praelectionibus exegeticis docuit per Emmanuelem Isaiae VII, 14, « Messiam » nec litterali nec mystico sensu in» telligendum esse, sed Matthaeum » Isaiae textum ut meram adnota» tionem historicam adducere, seu » potius ad illum tantummodo allu» dere. » Paradoxum hoc inseruit libello, qui inscriptus erat: « Novum » tentamen in prophetiam Emma» nuelis (3). » Hic liber a facultate theologica moguntina socinianismi damnatus fuit, Isenbiehl autem a sacris depositus, et monasterio inclusus fuit, ex quo anno 1779 profugus, dein captus, et arctiori custodiae traditus fuit. Idem libellus Treviris, Argentorati, Heidelbergae et Parisiis examinatus, ubique ut erroneus, interdum ut haereticus proscriptus, et a Germaniae episcopis damnatus fuit. Cum autem libro huic faverent Hontheim suffraganeus trevirensis, Seelman suffraganeus spirensis, theologi nonnulli salisburgenses, etc., Pius VI anno 1779, ipsum damnavit ut continentem doctrinam et propositiones respective falsas, temerarias, scandalosas, perniciosas, erroneas, haeresi faventes et haereticas. D. Isenbiehl eodem anno hoc pontificis r. iudicium scripto confirmavit (4).

§. CCLXXII. Crisis sententiae D. Isenbiehl. Locus Isaiae VII, 14, in sensu litterali de Messia intelligendus est.

544. 1° Falsum est Matthaeum ad Isaiae textum tantummodo alludere, tamquam ad locum analogum, vel comparationem dumtaxat instituere inter Emmanuelem ab Isaia regi Achaz, et inter Emmanuelem ab angelo promissum Iosepho, adeoque Iesum Nazarenum nonnisi in sensu accommodatitio esse Emmanuelem Isaiae; nam Matthaeus conceptis apertisque verbis dicit: « Hoc autem » totum factum est, ut adimplere» tur quod dictum est a Domino » per prophetam dicentem : Ecce » virgo in utero habebit, et pariet » filium : et vocabunt nomen eius » Emmanuel, » quae verba hisce

(1) Tertul. cont. iudaeos, c. 9.
(2) Euseb. lib. 8 demonst. evang., c. 7.
(3) Neuer Versuch über die Weissagung von Emmanuel.
(4) Historia contentionis occasione interpretationis D. Isenbiehl exortae videri potest in *Nova Bibliotheca ecclesiastica frisingensi* v. 4, et in Fr. Walchii *Neuesten Religionsgeschichte*, 8 Th

respondent: Isaias praedixit Emmanuelem a virgine concipiendum et pariendum esse, et haec prophetia in conceptione et partu Mariae Virginis adimpleta est.

Neque reponas, Matthaeum usum esse argumento ad hominem; Matthaeus enim argumentum ad hominem hic minime adhibet, cum absolute dicat Messiam Isaiae vaticinio praedictum fuisse.

2° Sententia d. Isenbiehl non solum theologice sed etiam hermeneutice est falsa, nam Hermeneutica investigat sensum a scriptore sacro intentum. Matthaeus vero testatur sensum ab Isaia citato loco intentum esse quod per Emmanuelem Messias praedictus sit; quare Pius VI de sententia d. Isenbiehl: « Horruerunt, inquit, piae aures scripturam simul et traditionem convelli. »

3° Locus Isaiae VII, 14, non sensu typico, eoque minus accommodatitio, sed sensu litterali de Messia et virgine eius matre intelligendus est; nam — Isaias ait virginem qua virginem concepturam et parituram esse filium; nulla autem virgo, praeter virginem Mariam, qua virgo umquam concepit ac peperit; quare nisi dicatur vaticinium hoc de Maria virgine intelligendum esse, asserendum foret ipsum haud esse adimpletum. Vocem hebraicàm *Halmah*, qua Isaias usus est, significare virginem proprie dictam, patet ex eius radice, ex contextu, ex multis locis biblicis, ubi vox ista ita adhibetur, atque ex eo quod a Ionatha, et Onkelo in suo Targum, a LXX interpretibus, et ab auctore Vulgatae per *Virginem* reddita sit. Aquila, Theodotion et Symmachus, qui vocem *Halmah* κόρην *adolescentulam* reddiderunt, opponi possent; at enim duo priores fuerunt proselyti iudaeorum, et tertius fuit ebionita.

— Isaias signum concepturae ac pariturae virginis dedit ut prodigium prorsus extraordinarium; ubi vero signum hoc tam portentosum foret, si sensus vaticinii esset mulierem coniugatam aut ad id usque temporis virginem, ope viri concepturam esse?

— Prophetae varia adiuncta vitae ac mortis Messiae praedixerunt; num verisimile est nullum prophetarum prodigiosam eius conceptionem ac nativitatem ex Virgine praedixisse?

— Antiqui hebraei, rabbini, patres ecclesiae atque interpretes usque ad saeculum decimum quintum hoc Isaiae vaticinium de Messia eiusque matre virgine litteraliter intellexerunt.

— Prophetia Isaiae non potest intelligi de Ezechia filio ac successore regis Achaz; Ezechias enim novem saltem annis natus iam erat, quando hoc vaticinium editum fuit; nam iuxta IV Reg. XVI, 2, Achaz sexdecim annis regnavit, et Ezechias vigesimum quintum aetatis annum agebat, quando defuncti patris solium conscendit, ut constat ex IV Reg. XVIII, 2.

Intelligi nequit de filio Isaiae; ubi enim 1° extraordinarium hoc portentum fuisset, si uxor seu prophetissa, ad quam Isaias (c. VIII, 3) accessisse legitur, ope Isaiae concepisset? 2° Uxor Isaiae virgo non erat, immo mater filii Iasub erat (Isaiae VII, 3). 3° Filius ab Isaia praedictus vocandus erat *Emmanuel*, id est *nobiscum Deus*; filius vero Isaiae nuncupatus fuit: *Accelera spolia detrahere, festina praedari* (Isaiae VIII, 3).

Intelligi nequit de ulla alia muliere, quae antea virgo, dein viro iuncta concepisset; extraordinarium enim illud portentum ab Isaia annuntiatum haud contigisset, si quaedam mulier ope viri concepis-

set; mulier ope viri concipiens virgo esse desiit. Tandem nullius mulieris filio, praeterquam Christo Mariae Virginis filio, conveniunt characteres, quos Isaias c. IX, 6, Emmanueli adsignat: « Parvulus, inquit
» propheta, natus est nobis, et filius
» datus est nobis, et factus est prin-
» cipatus super humerum eius; et
» vocabitur nomen eius admirabilis,
» consiliarius, Deus fortis, pater fu-
» turi saeculi, princeps pacis. »

§ CCLXXII. Solutio difficultatum adversus vaticinium Isaiae VII, 14.

545. D. Isenbiehl ponit Isaiam secum habuisse puellam, quam indigitando dixisset: *Ecce* haec *virgo concipiet*, etc.

At enim quaenam est ista puella? Puellam aliquam cum Isaia fuisse, quando istud vaticinium edidit, nullibi legitur; verum legitur prophetam secum habuisse filium suum Iasub, quem Deus illi secum ducere praeceperat, c. VII, 3. Num forte puella isthaec est prophetissa, Isaiae coniux, ad quam propheta c. VIII, 3, accessisse legitur? Et quorsum vaticinium Isaiae tunc recidisset? huc nempe, quod propheta 1° praedixisset conceptionem suae uxoris, seu prophetissae; 2° quod praedixisset ex illa nasciturum filium, et quod haec duo signum fuissent proximae liberationis a regibus Rasin et Phacee. Verum uxor Isaiae non potest vocari virgo, cum talis non esset; filius illius vocandus fuisset *Emmanuel, nobiscum Deus* (Isaiae VII, 14), illique characteres Messiae (c. IX, 6) minime conveniunt.

Sed aiunt adversarii, Isaias regi Achaz dare voluit signum proximae liberationis a regibus Rasin et Phacee; Messias autem non nisi post septem saecula nasciturus tale signum esse haud poterat, sed filius Isaiae, quem eius uxor c. VIII, 3, peperisse legitur; proinde hoc vaticinium intelligi nequit de Messia, sed de Isaiae filio intelligendum est.

Signum proximae liberationis a regibus inimicis Isaias regi Achaz dedit praedicendo, quod antequam quadriennis suus filius Iasub, quem secum habebat (Isaiae VII, 3), « sci-
» ret reprobare malum et eligere
» bonum » (ib. v. 16), quod fit septimo circiter aetatis anno, et alter suus filius, quem prophetissa (Isaiae VIII, 3), peperit, « sciret vocare patrem suum et matrem suam » (ibid.), quod circa tertium aetatis annum contingit, reges Rasin et Phacee abigendi, et per assyrios devincendi essent, ut c. VII, 16, et c. VIII, 4, expresse dicitur; hoc vero reapse contigisse constat ex IV Reg. XVI, 7-9, et XVII, 3-6.

Verum, excipiunt, quomodo haec cum Messia connectuntur? Ad quid hic mentio facta fuisset de virgine, quae nonnisi post septem saecula conceptura fuisset?

Haec cum Messia optime cohaerere ex hisce intelligitur: Achaz rex Iudae, Deo diffisus, verebatur ne ipse cum tota familia regia in hoc bello gravissimo periret; Isaias igitur illi praebet signum proximae liberationis a regibus inimicis in utroque suo filio, et in signum, quo regiam familiam non modo de praesenti salute, sed et de futura eiusdem stabilitate certiorem redderet, ait: *Audite, domus David,* tantum abest ut modo peritura sis, ut immo ex virgine tuae stirpis nasciturus sit ipse Messias, Emmanuel, seu *nobiscum Deus.* Summa equidem mala tibi imminent, eo quod Achaz ab infidelibus assyriis potius quam a Deo auxilium petierit; at non peribis, et tuis posteris nascetur Messias. Signum igitur proximae liberationis a regibus Rasin et Phacee fuerunt ambo filii Isaiae, et signum quod regia familia non esset interitura fuit Emmanuel

seu Messias. Et en quomodo singulae partes huius vaticinii sibi cohaereant, cuius verba forte Isaias non eodem ordine protulit, quo illa conscripsit.

§ CCLXXIII. De tentatione Christi in deserto Matth. IV, 1-11. Marc. I, 12-13. Luc. IV, 1-13.

546. Deistae tentationem Christi in deserto explodunt, aiuntque 1° huiusmodi tentationem divinitate Christi fuisse indignam, et 2° incredibile esse Christum a diabolo in summitatem templi, ac in verticem montis translatum fuisse.

Verum 1° Christi divinitate non magis indigna fuit haec tentatio, quam incarnatio, passio ac mors ignominiosissima.

2° Olim multi quidem interpretes cum s. Gregorio magno existimarunt Christum a diabolo per aërem translatum fuisse; ast haec sententia solidis destituitur rationibus, et in scriptura fundamentum certum non habet. Matthaeus IV, 5, quidem ait: « Assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem; » ast si Lucas, qui eamdem historiam fuse refert, comparetur cum Matthaeo, sique attendatur quid Matthaeus in locis parallelis per *assumo* intelligat, liquet Christum a diabolo non translatum, sed ductum seu comitatum fuisse. Iam vero Lucas IV, 5, clare ait: « Duxit (ἤγαγεν) illum diabolus in montem excelsum, » et v. 9 « duxit (ἤγαγεν) illum in Ierusalem. »

Quod vero Matthaeus IV, 5, per *assumpsit* (παραλαμβάνει) intelligat *duxit*, patet ex eius c. XVII, 1, ubi vocem istam ita sumit: « Assumit » (παραλαμβάνει), inquit, Iesus Pe» trum, et Iacobum, et Ioannem fra» trem eius, et ducit illos in mon» tem excelsum seorsum; » c. XX, 17: « Ascendens Iesus, Hierosoly» mam, assumpsit (παρέλαβε) duode» cim discipulos secreto; » c. XXIV, 40: « Unus assumetur (εἷς παραλαμβάνεται), et unus relinquetur; » c. XXVI, 37: « Assumpto Petro (παρα» λαβών), et duobus filiis Zebedaei, » coepit contristari et moestus esse, » atque saepe alibi.

C. IV, 5, Matthaeus refert diabolum *statuisse* Christum *super pinnaculum templi*, id est super extremitatem, crepidinem alae templi aequato tecto cooperti. Vox autem *statuit* (ἵστησιν) pariter *conduxit*, significat, ut denuo constat ex locis parallelis: sic Matth. XXV, 33, dicitur: « Statuet (στήσει) oves quidem a » dextris, haedos autem a sinistris; » Marc. IX, 33, habetur: « Iesus acci» piens puerum statuit (ἔστησεν) in medio eorum, » id est conduxit.

Cum diabolus noscere cuperet num Iesus Nazarenus filius Dei esset, profecto sibi cavit ne illum per aërem deferret, cum secus se diabolum esse manifestasset, atque ita a Christo agnitus, pro certo habere debuisset se quae scire cupiebat ab illo haud auditurum (1).

§ CCLXXIV. Hypotheses de tentatione Christi in deserto. Eiusdem declaratio.

547. Christi tentatio in deserto unum est ex variis vitae Christi eventis nullo non tempore incomprehensibilibus; quare recentiores nonnulli quo facilius difficultatem quamlibet expedirent, dixere

1° Diabolum Christi tentatorem fuisse virum hebraeum a synagoga ad Iesu divinitatem explorandam missum.

Verum hac in sententia aeque difficile atque in hypothesi veri daemonis explicatur 1° cur Christus se a viro iudaeo tentari permiserit? 2° Triplex tentatio, gulae nempe, superbiae et avaritiae, praesumptae illius iudaei menti minime conveniunt, neque 3° in eum quadrant,

(1) Vide Maldonatum, Calmet et Schnappinger in Matthaei c. IV. Bergier, dict. de théol., art. Tentation de Jésus-Christ au désert.

quae evangelistae de triplici hac tentatione exponunt adiuncta. Quomodo, verbi gratia, Iudaeus ille se ut angelum tutelarem Palaestinae gloria circumdatum sistere in monte potuisset, prout diabolus ex Luc. IV, 6, fecisse colligitur.

548. Alii ex recentioribus aiunt Christi tentationem mythum esse, eam in sola Christi mente constitisse, et allegorice repraesentare pugnam rationis cum sensu. Iam existimavit auctor sermonis de ieiunio et tentationibus Christi, olim s. Cypriano attributi, quem nonnulli veteres secuti sunt, totam tentationem invisibiliter in Christi mente contigisse, quemadmodum similia de Ezechiele leguntur (conf. n. 341).

Ast haec hypothesis 1° manifestam vim infert verbis evangelistarum; 2° pugna ista rationis cum sensu dignitati Iesu repugnat; 3° trinam hanc tentationem aut Christus aut Deus apostolis manifestavit. Num ridiculum non est asserere Christum aut Deum nudas tentationes intimis animi penetralibus abditas apostolis manifestasse, aut evangelistas eas ita conscripsisse?

549. III. Tentatio Christi in sensu litterali accepta, et rite intellecta, nemini offensioni esse potest, praeter quam illi qui reiiciendum putat, quidquid sensibus nequeat examinare. Nos vero illam ita intelligimus.

Malignus spiritus propria beatitate amissa, felicitatisque humanae invidus, protoparentum praevaricationis auctor fuerat. Iam ab initio horum lapsus audierat nasciturum fore ultorem qui *caput serpentis contereret* (Gen. III, 15), et qui consequenter *homicidae ab initio* (Ioann. VIII, 44) vires infringeret. Eius proinde intererat praepotentem hunc adversarium cognoscere, ut, si posset, illi obsisteret.

Perceperat verisimillime astutus ille spiritus, humano multo perfectior, quae in Christi nativitate, pastorum et magorum adoratione, in praesentatione in templo, ac in Christi baptismate contigerant; quare Iesum Nazarenum Messiam esse suspicatus est. Ast pauper Christi nativitas, vita obscura ad id usque transacta, vulgaris species pauperis hominis, immo peccatoris, illum in dubium adduxerant. Hoc dubium depositurus, Christum triplici tentatione, gulae nempe, superbiae et avaritiae, quibus vitiis homines passim ducuntur, tentare aggressus est. Quid vero in hoc absonum, quid incredibile? Ad divina consilia haec tentatio spectabat; quare Matthaeus (c. IV, 1) ait: « Iesus ductus est in desertum a spiritu.» « Christus debuit » per omnia fratribus similari, ait » d. Paulus, ut misericors fieret et » fidelis pontifex ad Deum, ut re- » propitiaret delicta populi: in eo » enim in quo passus est ipse et » tentatus, potens est et eis, qui » tentantur, auxiliari (Hebr. II, 17- » 18). »

Evangelistae triplicis tentationis Iesu adiuncta omiserunt; at verisimile est, Christum expleto quadraginta dierum totidemque noctium ieiunio, sua sponte Hierosolymam iisse, ut missionem suam divinam publice auspicaturus patrem suum coelestem in templo oraret. Aliquod festum iudaeorum tum institisse colligi videtur ex Matthaei IV, 6, ubi atrium templi iudaeis repletum poni videtur, ita ut tentator cum Christo de itinere Hierosolymam instituendo locutus, illum Hierosolymam *duxerit* seu *comitatus sit*, dein vero *adduxerit* super alam templi, quam hebraei tempore solemnitatum conscendere soliti fuisse videntur, ut in atrium populo tum refertum commode despicere possent. Christo Hie-

rosolymis in viciniam Iordanis redeunti (Ioan. I, 29) se tentator denuo adiunxit, atque illum in montem excelsum, quo Christus ibat, denuo *perduxit* seu *comitatus est*.

§ CCLXXV. De morte ac resurrectione Iesu Christi.

550. Mortuum Christi corpus sepulcro novo in petra exciso conditum est, ingensque saxum ad ostium cavernae sepulcralis advolutum (Matth. XXVII, 60). Triduo post mortem die dominica Christus summo mane ad ortum solis resurrexit, orto terrae motu circa sepulcrum, et saxo sepulcrum occludente revoluto (Matth. XXVIII. Marc. XVI. Luc. XXIV. Ioan. XX).

Increduli ac deistae insigne resurrectionis Iesu miraculum de medio sublaturi varias absonasque opiniones, vel sensui communi adversas, excogitarunt: nonnulli cum D. Bahrdt (1), Eck (2) et Gottlob Paulus (3), effutierunt Christum adhuc vivum de cruce depositum, vivumque sepulcro conditum fuisse.

Verum hoc deliramentum ex adiunctis passionis, mortis et sepulturae Iesu Christi abunde refellitur: quomodo enim Christus adhuc vivere potuisset, postquam inhumanissime virgis caesus, corona spinea crudeliter redimitus, e cruce perfossis manibus pedibusque tribus horis pependisset, atque latus eius lancea perforatum esset? Exanimem illum credidere milites eius morti praesentes, atque adeo eius crura non fregerunt. Pilatus vero mortuum Christi corpus Iosepho ab Arimathaea illud petenti tradere noluit, nisi postquam a centurione certior redditus esset, Christum esse defunctum (Marc. XV, 43-45).

551. Antiqui Christi divinaeque eius religionis hostes pagani et iudaei obgannierunt discipulos Christi corpus sui magistri furatos esse, rumoremque de eius resurrectione sparsisse; huncque rumorem adhuc apud iudaeos divulgatum fuisse quando Matthaeus suum evangelium scripsit (Matth. XXVIII, 15).

Ast Christi discipulis impossibile fuit divini sui magistri corpus clam auferre; 1° enim aditus speluncae ingenti lapide praecludebatur (Matth. XXVII, 60); 2° primores iudaeorum verentes ne discipuli Christi corpus furarentur, eumque resurrexisse dicerent, rogarunt Pilatum ut periculo huic praecaveret; quare lapis cavernae ostium occludens sigillo munitus fuit; et 3° milites cavernae appositi ad illam custodiendam. Quomodo igitur timidi Christi discipuli, qui tempore passionis prae metu aufugerant, illius corpus furari potuissent?

Discipulos terram suffodisse, atque ita Christi corpus clam surripuisse, aliud est Christi hostium deliramentum, vel inde falsitatis convictum, quod Christi sepulcrum in petra excisum fuit, ad quam perforandam magno tempore, magno strepitu, magnoque animo opus fuisset, quo deficiebant Christi discipuli.

Mendacem rumorem de furto Christi corporis in vulgus sparsum fuisse testatur quidem Matthaeus; sed addit etiam principes sacerdotum magnam pecuniae vim dedisse militibus sepulcri custodibus, qui illis Christi resurrectionem annuntiabant, ut veritatem occulerent; et absurdum illud mendacium in vulgus spargerent.

§ CCLXXVI. De apparentibus antilogiis evangelistarum circa mortem et resurrectionem Iesu.

552. Deistae affirmant audacter narrationem evangelistarum, de morte et resurrectione Iesu pluribus sca-

(1) Epist. 128. Ausführung des Plans und Zwecks Jesu 10, B. 1786.
(2) Versuch die Wundergeschichte des N. T. aus natürlichen Ursachen zu erklären, Berlin 1795.
(3) Philologisch-kritischer und historischer Kommentar über das N. T. Lübeck 1800.

tere antilogiis, quae proinde ut rumor in vulgus sparsus, non ut historia habenda sit. Huiusmodi apparentes antilogias in unum corpus congessit impius anonymus, cuius fragmenta Lessing e codice bibliothecae Guelpherbytanae anno 1777 in lucem edidit (1). Deistae aiunt

1° Solum Matthaeum loqui de custodia militum et de sigillo apposito lapidi sepulcrali, tres autem alios evangelistas de iis silere, licet haec evidens illis argumentum resurrectionis Iesu praebuissent, si vera fuissent.

Verum haec non probant tres alios evangelistas adiuncta haec ignorasse. Maluerunt evangelistae proprium allegare testimonium, et dicere: Nos Christum redivivum vidimus, nos cum eo post mortem redivivo conversati fuimus, eo quod principes sacerdotum mendacia de furto Christi corporis in vulgus sparserant.

553. 2° Dicunt, si aditus sepulcri sigillo munitus, et custodia militum cavernae sepulcrali apposita fuisset, atque Christus prodigiose resurrexisset, synedrium de veritate resurrectionis Christi omnino persuasum esse debuisset.

Atqui illam persuasam habuit, ideoque eius principes, data pecunia, corruperunt milites custodiae, ut Christi resurrectionem negarent; multos etiam e sacerdotibus Christi fidem amplexos esse legitur Act. VI, 7. Si synedrium credidisset discipulos Christi corpus furatos esse, illos uti violatores sepulcrorum, et sycophantas habuisset, eosque propterea severissime puniisset, quod nullatenus fecit, sed illis dumtaxat prohibuit ne Christi religionem praedicarent (Act. IV, 17-21). Gamaliel vero in synedrio verba faciens resurrectionem Christi ceu notissimam posuit (Act. V, 34-39).

554. 3° Cur apostoli acta publica resurrectionis Christi a Pilato non petierunt, ut illa universo orbi exhiberent, atque ita veritatem resurrectionis comprobarent?

Apostoli omnia a Deo et non ab hominibus sperabant; Pilatus vero illis ne haec quidem acta prae metu iudaeorum dedisset.

555. 4° Iuxta Marc. XVI, 1-3 mulieres ad Christi sepulcrum properantes solummodo sollicitae fuerunt de remotione lapidis monumenti, non vero de custodia militum; Magdalena autem iuxta Ioan. XX, 13, verebatur ne Christi corpus furto ablatum esset. Haec probant custodiam militum Christi sepulcro minime appositam fuisse.

Haec consequentia falsa est; inde enim hoc unum conficitur, mulieres illas ignorasse quae acta erant, et nescivisse custodiam militum Christi sepulcro appositam fuisse.

556. 5° Ioannes XIX, 39-40 scribit Iosephum et Nicodemum corpus Christi unxisse; Marcus vero XVI, 1, et Lucas XXIII, 56, aiunt mulieres aromata emisse ad hoc faciendum.

Sed mulieres istae ignorarunt corpus Christi a Iosepho et Nicodemo unctum fuisse.

557. 6° Iuxta Lucam XXIII, 56, mulieres emerunt aromata *ante* sabbatum ad Christum ungendum, et iuxta Marcum XVI, 1, *post* sabbatum.

Sensus Marci est, aromata post sabbatum iam a mulieribus praeparata fuisse, quae ab illis empta fuerant iuxta Lucam ante sabbatum, id est tempore sepulturam Christi inter ac initium sabbati elapso. Mar-

(1) Auctor horum fragmentorum esse videtur Ioanes Laurentius Schmid. Hic anno 1735 Werthemii in lucem edidit Pentateuchum, in cuius praefatione naturalismum profitetur; quare in carcerem coniectus fuit, e quo liberatus obscure obiit Guelpherbyti (Wolfenbüttel).

eus usus est perfecto *emerunt* pro plusquam perfecto *emerant*.

558. 7° Iuxta Ioannem XX, 8-9, ipsi apostoli nesciebant Christum resurrecturum esse.

Ast mens Ioannis est apostolos ad id usque temporis ignorasse, scripturam sacram Christi resurrectionem praedixisse; quare ait: « Nondum enim sciebant scripturam, » veteris foederis nempe. Confer Luc. XXIV, 27 et Ioan. II, 22. Apostolos a Christo audiisse illum resurrecturum esse manifeste patet ex Matth. XVI, 21, XVII, 9, XX, 18-19, XXVI, 32. Marc. VIII, 31, IX, 9, 30, X, 34. Luc. IX, 22, XVIII, 33, XXIV, 7. Ioan. II, 19-22.

559. 8° Marcus VIII, 31 ait Christum dixisse se *post tres dies* resurrecturum, et tamen *tertia die* resurrexisse dicitur.

Verum *post tres dies* hebraismus est, quo idem ac *tribus diebus*, et *tertia die* significatur; quare Christus (Matth. XII, 40) dixit se tribus diebus et tribus noctibus in sinu terrae mansurum (conf. Ioan. II, 19).

Hebraei dicebant tertia vel octava die fieri quod intra tres vel octo dies contingebant. Pharisaei et sacerdotes verba Christi *post tres dies resurgam* probe intellexerunt de eius resurrectione tertia die futura; quare rogarunt Pilatum, ut iuberet custodiri sepulcrum *usque in diem tertium* (Matth. XXVII, 63-64).

§ CCLXXVII. Propositae difficultates continuantur.

560. 9° Iuxta Ioannem XX, 1, aiunt deistae, Christus resurrexit *mane cum adhuc tenebrae essent;* iuxta Matthaeum XXVIII, 1, *vespere sabbati;* iuxta Marcum XVI, 2, *valde mane, orto iam sole;* iuxta Lucam XXIV, 1, *valde diluculo*.

Ioannes ait: « Uná autem sabbati, » id est prima die post sabbatum, seu die dominica, « Maria Magdalene venit mane cum adhuc tenebrae essent ad monumentum: et vidit lapidem sublatum a monumento. » Ex hoc liquet, Mariam Magdalenam solam cum adhuc tenebrae essent ad sepulcrum venisse, Christumque iam tum resurrexisse. Nulla autem est contradictio realis inter Ioannem et tres alios evangelistas; alii enim tres evangelistae de primo hoc adventu Mariae Magdalenae ad sepulcrum Christi non loquuntur, sed de posteriori illius adventu, quando nempe comitata erat ab aliis mulieribus. Quum Maria nempe prima vice ad sepulcrum venisset, et lapidem a monumento remotum vidisset, admiratione plena, quin monumentum ingrederetur, reversa est. Aliquamdiu postea redit ad sepulcrum cum aliis piis mulieribus, quae cum illa profectae fuerant, sed quae vel in via moratae erant, vel alia longiore via incesserant, adhuc *valde mane, valde diluculo, orto iam sole*, ut Marcus et Lucas loquuntur.

Matthaeus ait: « Vespere sabbati, quae lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalena et altera Maria videre sepulcrum. » Hoc est, vespere sabbati exacto, quando prima dies hebdomadae incipiebat, die dominica nempe ad ortum solis, vel nocte sabbatum sequente ad solis ortum, *venit Maria Magdalena*, etc. E quibus patet, omnes evangelistas de tempore resurrectionis Christi convenire.

561. 1° Matthaeus XXVIII, 5, unum dumtaxat angelum commemorat, qui mulieres allocutus est, similiter et Marcus XVI, 5; Lucas vero XXIV, 4-5, duos angelos fuisse scribit.

At Matthaeus et Marcus unum dumtaxat angelum commemorando alterum minime excludunt; loquuntur enim solummodo de angelo, qui primus ad dexteram sepulcri apparuit.

Ut aliis deistarum difficultatibus occurratur, haec pauca sufficiant. Maria Magdalena ante solis ortum cum aliis piis mulieribus ad Christi sepulcrum profecta est, sed pleniori gradu, aut per viae compendium citius ad sepulcrum pervenit, *cum adhuc tenebrae essent* (Ioan. XX, 1). Videns lapidem a sepulcro remotum, rem demirata abiit, quin sepulcrum ingrederetur, et cucurrit ad Petrum et Ioannem, quibus Christi corpus ablatum nunciat (ibid. v. 2). Interea aliae mulieres cum Magdalena profectae venerunt ad sepulcrum (Matth. XXVIII, 1. Marc. XVI, 1-2. Luc. XXIII, 55-56; XXIV, 1). Tum ad monumentum advenerunt Petrus, Ioannes et Maria Magdalena, angelum autem nullum viderunt, Petrus vero et Ioannes abierunt (Ioan. XX, 3-10). Mansit Magdalena ad sepulcrum, duos angelos ibi videt, dein etiam videt Iesum, et postea regreditur Iesu resurrectionem apostolis annuntiatura (Ioan. XX, 11-18). Apostoli autem illi fidem non adhibent (Marc. XVI, 9-11).

Redierunt interea piae mulieres cum Maria Magdalena secunda vice ad sepulcrum, ibique viderunt unum angelum *a dextris sepulcri*, qui eas allocutus est (Matth. XXVIII, 1-5. Marc. XVI, 1-5), mox et alterum angelum viderunt (Luc. XXIV, 1-5). Laetitiam inter metumque abeuntes, in itinere obviam habuerunt Christum redivivum, apostolis et discipulis omnia narrarunt, atque confirmarunt quae Maria Magdalena illis antea annuntiarat, in itinere autem illi nemini dixerunt. Apostoli vero nondum eis fidem adhibuerunt (Matth. XXVIII, 8-10. Marc. XVI, 7-8. Luc. XXIV, 9).

Observandum autem est Matthaeum, c. XXVIII, Marcum, c. XVI, Lucam, c. XXIV, solummodo de secundo piarum mulierum adventu cum Maria Magdalena ad sepulcrum Christi mentionem facere, atque omittere primum adventum Mariae Magdalenae quando sola erat, et secundum quando cum Petro et Ioanne erat; e contrario Ioannem evangelistam hosce tantum referre, et priorem illum adventum omittere.

§ CCLXXVIII. Absolvuntur difficultates circa historiam passionis Iesu.

562. Deistae alias adhuc contradictiones in historia passionis Christi se reperisse arbitrati sunt, ut

11° Quod iuxta Matthaeum XXVI, 34, Christus dicat Petro: « Hac nocte antequam gallus cantet ter me negabis, » dum Marcus XIV, 50, dicit: « Priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. »

Verum Marcus dumtaxat propius determinat ad quem galli cantum Petrus Christum negaturus esset.

563. 12° Quod Matth. XXV, 5, de Iuda Iscariote dicat: *Suspendit se*, et Petrus (Act. I, 18): *Suspensus* (graece πρηνὴς γενόμενος, *praeceps factus) crepuit medius: et diffusa sunt omnia viscera eius.*

Ast Petrus iuxta archetypum graecum suspensionem Iudae ut notam ponit, et solummodo illius adiuncta refert. Iudas rupto fune vel ramo arboris dilabi, atque ita potuit disrumpi.

564. 13° Quod Matthaeus XXVII, 34, scribat, Christo in Golgotha oblatum esse *vinum cum felle mixtum;* Marcus vero XV, 23, ait, *myrrhatum vinum* Christo oblatum fuisse.

Sed vinum cum felle mixtum nihil aliud significat quam vinum myrrhatum, vinum nempe amarissimum, myrrha conditum, quale reis, potissimum in crucem agendis, ante supplicium praebebatur, ut mente deturbati supplicii cruciatus minus persentirent.

565. 14° Quod titulus crucis Christi

fuerit secundum Matthaeum XXVII, 37: *Hic est Iesus rex iudaeorum*, iuxta Marcum XV, 26: *Rex iudaeorum*, iuxta Lucam XXIII, 38: *Hic est rex iudaeorum*, et iuxta Ioannem XIX, 19: *Iesus Nazarenus rex iudaeorum.*

Verum manifestum est quemlibet horum titulorum eumdem sensum exhibere.

566. 15° Quod Matthaeus XXVII, 44 et Marcus XV, 32, dicant *ambos latrones* Christo e cruce pendenti convicia dixisse, Lucas autem XXIII, 39, scribat, unum latronem id fecisse.

Sed iuxta Matthaeum et Marcum ambo latrones Christum blasphemarunt ab initio; unus vero dein gratia Dei tactus ac motus conversus est, atque alterum maledicta in Christum proferentem, de quo loquitur Lucas, reprehendit.

567. 16° Quod Marcus XV, 25, scribat: *Erat hora tertia et crucifixerunt eum,* Ioannes vero XIX, 14, dicat, quod antequam Christus ad crucem damnaretur esset *hora quasi sexta.*

Ast iudaei, uti et alii orientales, duobus modis horas diei numerabant; dividebant 1° diem in quatuor horas aequales, ut noctem in quatuor vigilias aequales partiebantur (conf. Matth. XIV, 25), quae ab Ausonio trihoria vocantur, eo quod earum quaelibet tres e nostris horis complecteretur. Hae horae vocabantur prima, tertia, sexta et nona. Prima hora incipiebat a sexta hora matutina, et durabat usque ad nonam; tertia inchoabatur hora nona, et perdurabat usque ad duodecimam; sexta hora incipiebat duodecima, et desinebat hora tertia pomeridiana; et nona inchoabatur hora tertia, et durabat usque ad sextam vespertinam (conf. Marc. XV, 33; Act. II, 15, III, 1, X, 3).

2° Dividebant hebraei diem in duodecim horas, quarum prima a sexta matutina usque ad septimam, et duodecima a quinta pomeridiana usque ad sextam vespertinam durabat.

Iam vero Marcus usus est priori modo numerandi horas, ut sat liquet ex XV, 33, ubi ait: *Facta hora sexta*, seu tertia pomeridiana, *tenebrae factae sunt per totam terram, usque in horam nonam;* Ioannes autem posteriorem modum numerandi horas adhibuit; quare iuxta Marcum Christus tertio trihorio, seu hora meridiana crucifixus est, et iuxta Ioannem circa horam sextam, seu meridianam, ad mortem damnatus, et ad supplicium crucis ductus fuit (conf. Matth. XX, 3, V, 9).

Stabilita authentia librorum sacrorum veteris ac novi foederis, quaestionibusque hoc nostro aevo scitu maxime necessariis enucleatis, ad caput quartum Hermeneuticae progredimur.

CAPUT IV.

DE TEXTU PRIMIGENIO VARIISQUE VERSIONIBUS LIBRORUM SACRORUM VETERIS AC NOVI FOEDERIS

SECTIO I.

DE TEXTU PRIMIGENIO LIBRORUM SACRORUM VETERIS AC NOVI FOEDERIS

§ I. De lingua hebraica.

568. Adamum fantem creatum fuisse, status perfectionis in quo conditus fuit evincit; alioquin nec animantibus mox creatus nomina imponere, ut Gen. II, 19-20, fecisse legitur, nec Deum loquentem intelligere potuisset. Haec Adami lingua usque ad confusionem linguarum occasione constructionis turris babelicae exortam, et consecutam posterorum Noë dispersionem obtinuit, ut ex Gen. XI, 1-9 liquet.

Quaeritur autem utrum lingua pri-

mitiva protoparentum apud aliquem populum pura servata sit? an vero ad turrim Babelis in varias dialectos degeneraverit?

Ast nil certi hac de re definiri potest. Postremum Moyses verisimile reddit, cum Gen. XI, 1-9 narrat, initio constructionis turris babelicae unam eamdemque linguam omnium Noë posterorum fuisse, hancque a Deo esse confusam: « Erat, ait, terra » labii unius, et sermonum eorum- » dem....confusum est labium uni- » versae terrae.»

Disquiritur vero ab eruditis quaenam ex linguis cognitis omnium sit antiquissima? Multi cum iudaeis asserunt, hanc linguam esse hebraicam, alii vero statuunt esse chaldaicam *. Qui existimant linguam hebraicam esse linguam protoparentum, affirmant illam pure conservatam fuisse in familia τοῦ Heber, atque ita transiisse ad Abrahamum, eiusque posteros. Qui id negant, aiunt:

Posteri τοῦ Heber, qui sunt Abrahami maiores, nati et commorati sunt in *Chaldaea*, ubi cultum veri Dei deseruerunt, et idola coluerunt: *Trans fluvium* (Euphratem) ait Iosue nomine Dei israëlitis, *habitaverunt patres vestri ab initio, Thare pater Abraham et Nachor: servieruntque diis alienis* (Ios. XXIV, 2). Cum familia τοῦ *Heber* in Mesopotamia inter chaldaeos commoraretur (Gen. XI), procul dubio eorum lingua usa est, quemadmodum, deserto cultu veri Dei, ipsorum idololatriam secuta est, alioquin cum illis nequidem commorari atque conversari potuisset. Verum est posteros τοῦ Heber inter se alio idiomate uti potuisse; ast eos id fecisse nullibi legitur. Abraham vero in Chaldaea natus (Gen. XI), qui 70 circiter annis in Ur chaldaeorum degit, et postea in Haran Mesopotamiae urbe vixit (ib.), lingua regionis chaldaeorum, suorumque maiorum profecto locutus

* Qui linguam hebraicam omnium linguarum esse antiquissimam defendunt, allegant

1° Varias etymologias nominum patriarcharum etc., quae Moyses ab hebraico idiomate derivat; ita Gen. II, 7 dicitur Adamum a Deo formatum esse de limo terrae, et alluditur ad vocem hebraicam *Adamah* quae *terram* significat (Gen. III, 20). Vocat Adam uxorem suam *Heva, eo quod mater esset cunctorum viventium*. Vox *Hhai*, unde nomen *Hhavah*, est hebraica. Gen. II, 23 Heva vocatur *Ischa* (virago), a nomine hebraico *Isch*, quod *vir* sonat. Nomen *Eden* hebraice significat *delicias*, etc.

2° Dicunt antiquissimos populos e lingua hebraica suum nomen derivare, ut *assyrios* ab *Assūr*, *aramaeos* ab *Aram*, *lydios* a *Lud* etc. Addunt multa idolorum etc. nomina originem suam deducere e lingua hebraica, v. gr. *Iovem* a *Iehovah*, *Belum* a *Baal*, *Cererem* a *Geresc*, quae vox hebraice *fructus terrae* significat, *Iapetum* Promethei patrem a *Iaphet* Noë filio etc.

3° Aiunt linguam hebraicam esse omnium simplicissimam, accommodatam proinde primorum hominum simplicitati, qui ad animi sui affectus naturaeque phaenomena significanda voces et signa simplicissima adhibuerunt.

4° Tandem asserunt non solum omnes linguas orientales, sed et omnes alias ab hebraica derivari.

Qui propugnant linguam chaldaicam esse antiquissimam, primo argumento respondent, nomina ista aut ex lingua primitiva in lingua hebraica conservata fuisse, aut illa eamdem derivationem in lingua chaldaica habere, aut Moysen antiqua patriarcharum nomina hebraica reddidisse; hac ratione Aquilam, imitaturum allusionem quae est inter virum et mulierem in vocibus hebraicis *Isch* et *Ischa*, adhibuisse voces Ἀνδρίς, *Andris*, et Ἀνήρ, *Aner;* auctorem Vulgatae idem fecisse utendo nominibus *virago* et *vir;* syriacum *Kephas* ita mutatum esse in *Petrum* ad conservandam significationem vocis Kephas, et allusionem ad *petram* (Matth. XVI, 18); LXX interpretes nomen *Babel* graece reddidisse per Σύγχυσις, *Synchysis*, quae vox graece, ut Babel hebraice, significat *confusionem* etc. etc.

Secundum argumentum, aiunt, ad summum probare aliqua nomina linguae primitivae in lingua hebraica conservata esse; caeterum istas derivationes nominum populorum etc. esse arbitrarias et incertas, et etiamsi earum aliquae certae forent, illas dumtaxat probaturas graecos aliosque populos antiquos nonnulla e libris sacris hebraeorum deprompsisse.

Ad tertium dicunt simplicitatem linguae hebraicae tantam non esse quanta asseritur; caeterum simplicitatem alicuius linguae non esse notam certam eius antiquitatis. Tandem si linguae hebraicae simplicitas tanta esset, id parum congruere videretur (in hypothesi quod sit lingua protoparentum) cum lingua primigenia Adamo ingenita.

Ad quartum respondent affinitatem linguae chaldaicae, arabicae, phoeniciae, etc. cum hebraica solummodo evincere quod sint dialecti eiusdem linguae, cuius et lingua hebraica pariter dialectus esse queat.

est. Lingua autem chaldaeorum a lingua hebraica, quam Abraham in regione Chanaan didicit, quaeque eius posteris propria evasit, semper diversa fuit; nam Laban de posteris τοῦ Heber, qui in Chaldaea remansit, chaldaeorumque linguam servavit, Gen. XXXI, 41, acervum lapidum chaldaice vocat *Iegar-Schahadutha*, dum Iacob, qui in regione Chanaan commoratus fuerat, linguaque istius regionis loquebatur, ipsum hebraice nuncupat *Galhed*. Linguam chaldaicam, seu syriacam, ab hebraica diversam mansisse, patet ex IV Reg. XVIII, 26, ubi Rabsaces iubetur loqui chaldaice seu syriace, ne iudaei illum intelligerent. Confer Isaiae XXVIII, 11, Ieremiae V, 15, et Danielis I, 3-4.

Abraham relicta Chaldaea in regionem Chanaan secessit, quam a Deo sibi posterisque suis propriam fore audiit. Nullum autem suboriri potest dubium quin Abraham, neglecta lingua suorum maiorum, linguam chananaeorum seu phoenicum didicerit; quomodo enim 100 annis inter illos habitare, negotia cum eis peragere, mulieres illorum ducere, etc., potuisset? Isaac et Iacob, eius posteri, qui eamdem regionem incoluerunt, profecto eamdem linguam servarunt, quae illorum posteritati propria mansit; et hebraea vocata fuit a novo nomine Abrahami, qui transmisso Euphrate a chananaeis vocatus fuit *Hibri, Transitor*, eo quod veniret e regione trans Euphratem sita, eo sensu, quo vocantur transmarini et transalpini qui ultra mare et ultra alpes habitant. Quare LXX interpretes Gen. XIV, 13, ubi Abraham prima vice vocatur *hebraeus*, hanc vocem reddiderunt ὁ Περάτης, *Transitor*, Euphratis nempe. Idem praestitit Aquila *.

Ex hactenus dictis iuxta patronos antiquitatis linguae chaldaicae sequitur, 1° linguam familiae τοῦ Heber, qua locuti sunt Nachor, Thare et ipse Abraham antequam egrederetur e Chaldaea, fuisse linguam chaldaicam; 2° hanc linguam esse diversam a lingua hebraica; et 3° linguam hebraicam esse linguam chananaeam **.

* Nomen hebraei, quod Abrahamo eiusque posteris datum fuit non ab Heber, ut nonnulli volunt, repetendum esse patet inde, quod inter Heber et Abraham, qui primus hebraeus dictus fuit (Gen. XIV, 13), sex generationes elapsae fuerint; nulla enim occurrit ratio cur Abraham potius nomen τοῦ Heber quam illud sui avi Nachor, aut patris Thare assumpsisset. Si nomen antiquioris eiusdem e suis maioribus adoptare voluisset, nomen elegisset τοῦ Sem, qui profecto sanguinis erat ultimus auctor.

Quare Hieronymus: « Abraham, inquit, hebraeus, id est Περάτης et peregrinus transitorque nominatur » (in Ezechiel c. VII). Iulius Africanus ab Eusebio citatus: « Hebraei dicti, ait, Transitores, quia Abraham Euphratem transiit. » Origenes: « Hebraei, inquit, qui exponuntur traiectitii.» (In Matth. Item hom. 19 in Num. et hom. 23 in Gen.).

Licet vox *hebraeus* sit antiquissima, lingua tamen iudaeorum antiquitus vocata videtur iudaica, ut elucet ex IV Reg. XVIII, 26, 28: II Par. XXXII, 18. II Esdr. XIII, 24. Isaiae LVI, 11, 13. Post captivitatem babylonicam hebraica dumtaxat nuncupata videtur a iudaeis hellenistis, qui loquebantur graece, ut ita distinguerentur ab aliis iudaeis qui loquebantur hebraice (conf. Est. III, 7, Ecclesiast. prolog.).

Lingua hebraica, quae Abrahamo eiusque posteris propria remansit, usque ad captivitatem babylonicam pura inter iudaeos servata fuit, ideo potissimum quod natio iudaica ab aliis populis alio idiomate loquentibus per leges religiosas atque politicas omnino separata erat. Verum tempore ultimae captivitatis babylonicae, quae septuaginta annos duravit, iudaei linguae chaldaicae adsuescere debuerunt, eo quod cum chaldaeis essent permixti; quare reversi de hac captivitate chaldaice potius quam hebraice loquebantur. Cum autem linguam hebraicam penitus obliti non essent, illam linguae chaldaicae admiscebant. Hac lingua chaldaica verbis hebraicis et syriacis mixta iudaei tempore Iesu Christi loquebantur.

Porro triplex distinguitur lingua chaldaica: prima est chaldaica proprie dicta, quae Babylone vigebat, et prae duabus aliis sanitate praestabat. Secunda est chaldaica minus pura, characteribus et idiotismis a priori distincta, et Antiochiae usitata; haec proprie *syriaca* audit. Tertia est *syro-chaldaica*, Hierosolymis usurpata, et ideo *hierosolymitana*, *iudaica*, et etiam *hebraica* vocata.

** Linguam hebraicam, aiunt, esse linguam chananaeam seu phoeniciam constat 1° ex Isaia, qui XIX, 18 linguam hebraicam vocat *linguam Chanaan*. 2° Nomina propria locorum et homi-

§ II. Lingua primigenia librorum sacrorum veteris ac novi foederis.

569. De lingua primigenia cuiusvis libri sacri veteris ac novi foederis suo loco disseruimus; hic memoriae iuvandae causa paucis dumtaxat repetimus libros sacros veteris foederis generatim scriptos esse hebraice, et illos novi foederis graece.

E prioribus tamen excipiuntur liber Sapientiae et II Machabaeorum, qui graece scripti sunt. Utrum liber Tobiae sit exaratus hebraice, an chaldaice, vel graece, non omnino constat. Liber Iudith chaldaice vel graece conscriptus fuit.

In primo Esdrae, Daniele et Ieremia nonnulla chaldaice scripta occurrunt. Hebraice non amplius extant septem ultima capita Estheris, Ecclesiasticus, Baruch et I Machabaeorum.

E libris sacris novi foederis, Evangelium secundum Matthaeum et Epistola ad hebraeos hebraice, seu syro-chaldaice conscripta fuerunt, eorum autem textus primigenius deperditus est.

§ III. De autographis librorum sacrorum.

570. Autographa librorum sacrorum veteris foederis dudum perierunt. Illud Deuteronomii Moysis tempore Iosiae regis Iuda, septimo ante Christum natum saeculo, adhuc mansisse, ex IV Reg. XXII et II Paralip. XXXIV, 14, constat. Tempus et occasio eorum interitus ignoratur. Ipsa vero primum cum templo hierosolymitano periisse, incerta fert traditio.

Archetypa librorum sacrorum novi foederis pariter dudum perierunt. Illud evangelii s. Matthaei tempore Origenis et Hieronymi adhuc mansisse dicitur, sed ab hebraizantibus corruptum. Petrus Alex. vero scribit autographum evangelii s. Ioannis suo tempore, saeculo nempe quarto, in ecclesia ephesina adhuc servatum fuisse (1).

§ IV. Characteres librorum sacrorum et modus quo scripti fuerunt.

571. Characteres hebraicos primitus rudes fuisse, postea elegantiores, atque tandem in eam, quam modo habent, formam evasisse, continuus artium scientiarumque progressus, et eruditorum consensus evincunt. Esdras vero communiter creditur post captivitatem babylonicam veteribus characteribus hebraicis nitidiores chaldaicos, quibus iudaei tempore istius longi exilii adsueverant, suffecisse (conf. n. 7). Characteres vero hebraeorum ac samaritanorum antiquitus iidem fuerunt.

Characteres graeci librorum sacrorum novi foederis olim quadrati, recti et unciales, postea vero oblongi atque obliqui fuerunt. Characteres minores saeculo nono invalescentes subsequenti communiter recepti fuerunt (2).

num regionis Chanaan, quae in libris Genesis et Iosue occurrunt, sunt hebraica, ut *Iericho*, *Salem*, *Sichem*, *Bethlehem*, *Segor*, *Cariath-Arbe*, *Melchisedech*, *Abimelech*, *Rahab*, etc. 3° Crebro in libris sacris legimus Abrahamum eiusque posteros cum chananaeis negotia nec non res magni momenti peregisse, atque sat insinuatur eos et chananaeos eadem lingua locutos esse. 4° Cum patriarcha Ioseph se suis fratribus in Aegypto manifestare nollet, eis per interpretem locutus est; si illorum lingua familiae ipsorum propria fuisset, non vero regioni Chanaan communis, ubi Ioseph interpretem eorum linguae gnarum reperisset? 5° Maxima intercedit similitudo linguam hebraicam inter et linguam punicam, quae est phoenicia, seu chananaea. Hieronymus: « Poeni, inquit, sermone corrupto quasi phoeni appellantur, quorum lingua hebraeae magna ex parte affinis est » (lib. 5 in Ierem. c. 25). Augustinus: « Hunc, ait, hebraei dicunt Messiam, quod verbum punicae linguae consonum est, sicut et alia hebraea permulta et pene omnia » (Quaest. in Gen. 1, 2, contra litteras Petil., c. 104). Origenes lib. 3 contra Celsum), Fl. Iosephus (lib. 1 contra Apionem), Eusebius (lib. 9, cap. 9 Demonst. evang.), Bochart (lib. 2 Chanaan) aliique eamdem similitudinem linguae hebraicae cum lingua punica, seu carthaginensi, vel phoenicia observarunt.

(1) Petrus Alex. tract. de paschate.

(2) Vide Montfaucon, Palaeographia graeca, lib. 4.

Libri autem sacri veteris et novi foederis primitus continuanter descripti sunt, ita ut inter sententias ipsasque voces nullum esset intervallum. Constat id ex antiquorum scribendi ratione, ex varietate lectionum e variis sententiarum vocumque divisionibus saeculo quinto exorta, ex antiquis inscriptionibus, atque manuscriptis vetustissimis (1).

§ V. Divisio librorum sacrorum in capita et versus.

572. Divisio librorum sacrorum veteris ac novi foederis in capita ac versus antiquis ignota fuit.

Carmina et libri poëtici veteris foederis per hemistichia ab ipsis eorum auctoribus scripti fuisse videntur.

Pentateuchus, post exilium babylonicum cum quovis die sabbati in synagogis aliquid ex eo praelegeretur (II Esd. VIII. Act. XV, 21), in quinquaginta tres *paraschas*, seu sectiones, divisus fuit, et prophetarum libri, ex quibus a tempore Machabaeorum aliquid post lectionem legis mosaicae in synagogis legi consuevit, in *Haphtaras* distincti fuerunt (conf. Act. XIII, 14-15. Luc. IV, 16-20).

Libri sacri novi foederis in commoditatem lectionis publicae saeculo secundo dividi coeperunt in *pericopas*, seu sectiones breves, et saeculo tertio ac quarto in sectiones longiores; non eadem tamen erat apud omnes haec divisio. Eusebius in epistola ad Carpianum, et in decem canonibus evangeliorum parvis sectionibus usus est. Solebant evangelia potissimum dividi in huiusmodi sectiones, quae in margine notabantur.

Divisio librorum sacrorum novi foederis in longiores sectiones vocatur etiam divisio per *titulos*, eo quod libro praemittebatur argumentum seu titulus singularum partium, quae numeris notabantur in margine.

Veteres patres graeci et latini, quibus divisio librorum sacrorum in capita ac versus haud praesto erat, textum aut historiam libri citabant, ut constat ex eorum operibus, ubi capita ac versus nullibi allegantur. Libri sacri veteris foederis apud graecos et latinos sine distinctione sectionum vel capitum mansisse videntur usque ad saeculum quintum. Eo autem tempore commoditatis causa cuilibet libro sacro praescriptum fuit argumentum, seu titulus, rerum quae in illo continebantur. Cum hi tituli variis libri partibus responderent, hae pariter distinctae sunt. Hae partes, subiectum complexae titulo indicatum, multo breviores erant quam nostrae aetatis capitula, et usque ad saeculum undecimum obtinuerunt.

Recentis divisionis librorum sacrorum in capita auctor fuit Hugo cardinalis ordinis sancti Dominici, qui saeculo tredecimo concordantiam librorum sacrorum curans, scripturam sacram in capita hodierna distribuit.

Novissimam vero distinctionem capitum in versus introduxit saeculo sexto decimo Robertus Stephanus typographus parisiensis.

§ VI. Interpunctiones, spiritus, accentus et puncta vocalia librorum sacrorum.

573. Interpunctiones ab auctoribus sacris adiectae non sunt. Haec signa grammaticalia, quorum inventionis tempus incertum est, nondum saeculo quinto in libris sacris veteris ac novi foederis adhibebantur, ut ex diversa scriptorum veterum ratione coniungendi aut disiungendi verba locorum, atque ex s. Augustino constat (2).

Eulalius vero diaconus Alex. circa

(1) Conf. Montfaucon op. cit. l. 1, c. 4.

(2) August. de civit. Dei lib. 3, c. 3.

annum 462 aerae vulgaris verba librorum sacrorum divisit κατὰ στίχους, *iuxta stichometriam,* seu in sectiones exiguas, tot nempe verba eadem linea describendo, quot serie continua legi debebant. Haec divisio late propagata fuit. Postea autem ut interstitii compendium fieret, nec libri moles in immensum excresceret, post quemlibet στίχον, *stichum*, seu incisum, appositum fuit signum aliquod, uti crux, punctum, duo puncta, etc., eademque linea continuabatur. Tandem saeculo nono et decimo regularis interpunctio usurpari coepit, atque stichometria prorsus obsolevit.

Accentus et spiritus, ut plerumque creditur, saeculo quarto libris sacris appositi sunt, cum recta pronuntiandi ratio oblitterata esset; quare in antiquissimis codicibus manuscriptis prorsus desiderantur.

Puncta vero *vocalia* singulis verbis textus hebraici ab auctoribus sacris adiecta non sunt, licet aliqua locis difficilioribus praesertim verisimiliter ab eis apposita fuerint. Quae nunc autem puncta vocalia singulis verbis textus hebraici adiecta legimus, circa saeculum sextum a rabbinis masorethis paulatim excogitata et apposita sunt.

§ VII. Utilitas atque necessitas linguarum antiquarum praesertim biblicarum.

574. Notitiam linguarum antiquarum, quibus libri sacri primitus conscripti fuerunt, interpreti utilissimam et quandoque necessariam esse, vix ullus inficias ibit. Versiones utut optimae vim et energiam textus primigenii haud assequuntur. Aliquando sententiae textus primitivi in variis versionibus varie redduntur, et tum ad textum primigenium recurrendum,erioresque versiones potissimum antiquissimas secum conferendas esse, per se patet. At imprimis sciendum est qua auctoritate hodieque gaudeat textus primitivus, et quaenam sint melioris notae versiones.

§ VIII. Textus hebraicus veteris foederis adhuc quod ad substantialia integer est.

575. Textum hebraicum ab ultima sua origine ad exitum usque babylonicae captivitatis, seu ad Esdrae aetatem, per decem circiter saecula quod ad substantialia integrum servarunt reverentia iudaeorum in libros sacros, qua maior excogitari nequit, atque summa eorum diligentia in illo describendo. Quod vero menda nonnulla minoris momenti contraxerit, ex communi apographorum fato coniici potest. At enim Esdram, virum patriae antiquitatis, rituum iudaeorum, sacrarumque litterarum peritissimum, textum sacrum ope magni numeri exemplarium a mendis quoad eius fieri potuit expurgasse, antiqua atque constans fert traditio (n. 7). Caeterum textum hebraicum tempore Esdrae mendis substantialibus immunem fuisse vel inde patet, quod aevo Christi ab huiusmodi mendis fuerit immunis.

576. Ab Esdrae temporibus usque ad aevum LXX interpretum per tria circiter saecula textum hebraicum quod ad substantiam integrum servarunt summa iudaeorum in sacros codices reverentia, sollicitudo ingens illorum in illo describendo, atque usus linguae hebraicae semper adhuc vigentis. Praeterea quod incorruptus illo aevo fuerit, rursus evincunt eius integritas tempore Christi, atque textus samaritanus quod ad Pentateuchum.

577. Ab aevo LXX interpretum usque ad Christum per tria circiter saecula eadem ingens iudaeorum in biblia sacra reverentia, maxima in iis describendis diligentia textum hebraicum quod ad substantialia integrum conservarunt. Quod vero Christi et apostolorum temporibus incor-

ruptus fuerit inde patet, quod Christus et apostoli scripturam sacram iuxta textum illo aevo receptum divinam nuncupantes, et absolute commendantes, eius incorruptionem substantialem, auctoritatemque intrinsecam ac extrinsecam eo ipso agnoverunt.

578. A Christi et apostolorum temporibus usque ad secundum saeculum post Christum textum hebraicum quod ad substantiam integrum mansisse testatur collatio versionis alexandrinae LXX interpretum, versionis syriacae Pescito dictae, atque fragmentorum versionum Aquilae, Theodotionis et Symmachi. Ex hisce versionibus tantum liquet in textum hebraicum nonnullas nullius momenti varias lectiones irrepsisse.

579. A secundo saeculo post Christum usque ad quintum textum hebraicum a corruptionibus substantialibus immunem servatum fuisse ostendunt Origenis hexapla, variae antiquae versiones, Vulgata, Commentaria s. Hieronymi, etc.

580. A saeculo quinto usque ad nostram aetatem substantialia textus hebraici incorrupta servarunt maxima iudaeorum christianorumque in illum reverentia, puncta vocalia eidem a rabbinis masorethis circa saeculum sextum sita, atque celebres eiusdem recensiones, quas initio saeculi undecimi R. Aharon Ben Ascer Tiberiade, et R. Iacob Ben Nephthali Babylone ediderunt. Hi duo eruditissimi rabbini, pro sua quisque regione, certam constantemque textus hebraici punctis vocalibus distinguendi legem ac normam constituerunt. Varietas illorum recensionis puncta vocalia et accentus dumtaxat respicit, uno Cantic. VIII, 6 verbo excepto *.

Textus hebraici incorruptio substantialis aperte eruitur ex illius collatione cum antiquissimis versionibus alexandrina, Pescito, paraphrasibus chaldaicis Onkelosi, Ionathanis, Vulgata, etc.

581. Textum sacrum ab hebraeis in locis nonnullis de industria corruptum esse, virorum linguae hebraicae probe peritorum consensus, atque summa iudaeorum in libros sacros reverentia refutant, licet inficiandum haud sit iudaeum aliquem interdum locum quempiam in nonnullis exemplaribus vitiare potuisse. Pauca loca, quae ab adversariis integritatis textus hebraici ceu suspiciosa allegantur, non sunt nisi lectiones variantes peioris notae **.

* Due istae celebres recensiones in causa fuisse videntur, ut codices manuscripti saeculo decimo antiquiores, punctis vocalibus destituti, aliterve punctati neglecti sint, atque tandem perierint, ita ut nullus codex hebraicus manuscriptus saeculo decimo antiquior supersit.

** Codicibus manuscriptis examinandis, eorumque momento et aetate definiendis immensam operam impenderunt eruditissimi viri Kennicott et De Rossi. Primus in veteri textu hebraico cum variis lectionibus tom. 2, Oxonii 1776-80 in fol. cum dissert. gen. in veteri textu hebraico, atque secundus in opere inscripto: *Variae lectiones veteris textus ex immensa mss.*, *editorumque codd. congerie haustae, et ad samaritanum textum, ad vetustissimas versiones, et accuratiores s. criticae fontes ac leges examinatae*, opere et studio I. Bern. De Rossi S. T. D., Parmae 1784-88, 4 vol. in 4°.

Editiones fundamentales textus hebraici sunt: 1° Soncini biblia hebraica cum punctis et accentibus, 1488, in fol. Sunt maximae raritatis. 2° Polyglotta complutensia 1517, et 3° Editio bombergiana secunda, 1526-27. Ex tribus hisce editionibus omnes aliae emanarunt; nonnullae tamen in paucis ad codices manuscriptos emendatae sunt, et inter eas est celebris editio I. Athiae, Amst. 1661. Editio vero Van der Hoogtii, 1705, quae quasdam variantes lectiones continet, celebrior facta est per collationem cl. Kennicott.

Biblia polyglotta complutensia, procurante card. Ximenes annis 1514-17, 6 vol. in fol., exhibent textum hebraicum ad codices exactum cum punctis vocalibus, sed absque accentibus, continent insuper versionem LXX interpretum, Vulgatam latinam et Targum Onkelosi.

Biblia polyglotta antverpiensia, etiam regia nuncupata, annis 1569-72, curante cl. Aria Montano, typis mandata 8 vol. in fol., continet textum hebraicum iuxta editionem complutensem exactum, mutatis paucis, et praeterea Targum Onkelosi, Ionathanis in Prophetas, Iob, et quinque Megilloth ex bombergiana editione secunda, versionem LXX interpretum, atque Vulgatam latinam.

§ IX. Textus graecus novi foederis quod ad substantialia adhuc integer est.

582. Infelici omnium apographorum fato textus graecus novi foederis antiquitus in variis codicibus haud parum vitiatus fuit. Ἡ κοινὴ ἔκδοσις, *vulgaris editio*, iam secundo ecclesiae saeculo plura menda contraxerat, ut Clemens Alex. et Origenes testantur (1), et ut patet ex locis citatis a scriptoribus illius aevi comparatis cum codicibus graecis antiquis, cum versionibus saeculi quarti, et cum locis a patribus posteriorum temporum citatis.

Ex genuino autem exemplari vulgaris editionis in celebri codice cantabrigiensi saeculi sexti nobis asservato, atque ex versione syriaca laudato codici maxime simili, sed illo minus vitiata, liquet causas praecipuas mendorum textus graeci, salva semper manente eiusdem substantia, fuisse declarationes, expositiones, loca parallela aliorum evangelistarum a lectoribus, studio declarandi libros sacros, in margine vel supra lineam adnotata, quae deinde ab imperitis vel incuriosis amanuensibus textui ipsi inserta sunt.

Medio autem saeculo tertio Origenes, Hesychius et Lucianus haec menda e textu graeco, cum purioribus antiquioribusque codicibus collato expunxerunt, novasque textus graeci editiones exornarunt, quae per Aegyptum, Syriam, Asiam minorem, Thraciam, et provincias palaestinenses, quae sunt mediae inter Aegyptum, Syriam ac Asiam, propagatae fuerunt, atque ita textus graecus emendatus, ad certam definitamque lectionem revocatus, lateque disseminatus fuit.

583. Successu autem temporis etiam in hasce recensiones varia menda, haud tamen substantialia, irrepserunt, amanuensibus lectiones vulgaris editionis, glossas patrum, notasque marginales eis inserentibus; neque tamen tot ac tanta fuerunt, quot et quanta ante Origenem fuerant, atque ex collatione veterum codicum, antiquarum versionum, aliorumque documentorum facile dignoscuntur; textus graecus autem integer quod ad substantiam conservatus fuit tum in codicibus stichometria Eulalii antiquioribus (n. 573), tum in codicibus stichometricis, tum in codicibus obsoleta iam stichometria exaratis.

Primae classis sunt celeber codex, alexandrinus vocatus, quod Alexandriae scriptus creditur, et in musaeo britannico asservatur, ac celeber codex vaticanus; uterque litteris uncialibus et quadratis, continuate absque interpunctione stichometrice scriptus est, et libros sacros veteris ac novi foederis complectitur. Primus medio saeculo quinto et alter ad finem quarti, aut ad initium saeculi quinti exaratus est.

Secundae classis sunt celeber codex cantabrigiensis, Evangelia et Actus apostolorum complectens, et stichometrice (n. 573) cum versione latina antehieronymiana nitidis litteris uncialibus quadratis pergameno inscriptus versus finem saeculi sexti, aut saltem saeculo septimo.

Codex laudianus acta apostolorum

Polyglotta parisiensia, annis 1629-45 opera d. Le Jay edita 9 vol. in fol., complectuntur quae sunt in polyglottis antverpiensibus, et insuper versionem syriacam Pescito, versionem arabicam, textum samaritanum, et versionem samaritanam.

Polyglotta londinensia, anno 1657, cura cl. Walten, typis mandata 6 vol. in fol., continent eadem quae in polyglottis parisiensibus, atque insuper versionem aethiopicam Psallerii et Cantici, ac versionem persicam Pentateuchi. Heptaglotton d. Castelli 2 vol. in fol. ad haec polyglotta spectat.

Optimae editiones textus hebraici sunt quae d. Dan. Jablonskii Berolini 1699, d. Van der Hooglii Amstelodami et Ultraiecti 1705. d. Kennicott, Oxonii 1766, atque d. Iahn t. 4, Viennae 1806 ediderunt.

(1) Clem. Alex. Stromat. l. 4. Orig. in Matth.

exhibens cum versione latina Hieronymo antiquiore stichometrice litteris uncialibus exaratus verisimiliter sub finem saeculi octavi.

Codex claromontanus et sangermanensis, etc.

Tertiae classis sunt codex cyprius quatuor evangelia continens, et saeculo undecimo litteris uncialibus oblongis pergameno inscriptus, additis accentibus et interpunctione qua finis *stichi* (n. 573) puncto notatur.

Codex basileensis saeculo nono litteris uncialibus scriptus cum interpunctione ad regulas grammaticae exacta, etc. Hi aliique codices manuscripti saeculi decimi, undecimi ac posteriorum saeculorum descripti sunt a Montfauconio, Birchio, Matthaeio, Wetstenio, et Griesbachio.

Iuxta hos aliosque codices, inventa circa annum 1440 aerae vulgaris typographia, textus graecus initio saeculi decimi sexti typis mandatus, lateque disseminatus fuit *.

§ X. Auctoritas textus hebraici veteris et graeci novi foederis.

584. Cum constet ex n. 575-583 textum hebraicum veteris, et graecum novi foederis quod ad substantialia integros esse, sequitur probandi auctoritate illos pollere, nec ullum extat ecclesiae decretum, quod eorum sit auctoritati contrarium.

Concilium tridentinum vulgatam editionem latinam (Sess. 4, c. II) authenticam, id est suis fontibus quod ad substantialia conformem declaravit; at de fontium auctoritate nihil detraxit, immo vulgatam cum textibus hebraico et graeco ne utique comparavit, sed cum versionibus latinis, quae tum circumferebantur, ut Sessionis 4, c. II legenti patet: quare Salmeron societatis Iesu, qui concilio tridentino interfuit: « Nihil, ait, de exemplaribus grae- » cis et hebraicis agebatur (in con- » cilio tridentino); tantum inter tot » editiones latinas, quas saecula no- » stra parturierunt, quaenam ex illis » praestaret, sermo erat; liberum » autem reliquit sancta synodus om- » nibus, qui scripturas sacras pro- » fundius meditantur, fontes grae- » cos et hebraeos, quatenus opus » sit, consulere.... Licebit nobis » salva concilii auctoritate tam ex » hebraicis quam graecis exempla- » ribus sumere efficax argumentum » tamquam ex textu scripturae san- » ctae (1). » Idem aiunt Andreas Vegas, qui pariter tridentinae synodi interfuit (2), et cardinalis Pallavicini, concilii tridentini historicus (3).

Quare catholici interpretes quam plurimi textum primigenium versioni vulgatae praetulerunt ac praeferunt, ubi clarior et expeditior est; plures interpretes novas versiones iuxta textum primigenium elucubra-

* Primus textum graecum praelo mandari curavit celeber card. Ximenes annis 1514-17 in polyglottis complutensibus. Secutae sunt editiones Erasmi cum versione latina, et Roberti Stephani, aliaque Theod. Bezae ann. 1565 antecedentibus emendatior. Ex Bezae recensione codicibusque repertis textus graecus dein saeculo decimo septimo characteribus nitidis saepissime typis mandatus fuit Lugduni Batavorum in officina Elzeviriana, et Amstelodami in officina Wetsteniana, atque ita longe lateque propagatus fuit.

Maiori cura dein textus graecus anno 1657 a cl. Walton in polyglottis londinensibus editus fuit cum lectionibus variantibus. Accuratius et maiori adhuc cum studio plurimisque cum variantibus textus graecus praelo mandatus fuit a cl. Millio post 30 annos laboris Oxonii 1707.

Hisce editionibus novos labores addiderunt Bengelius Tubingae anno 1734, et Wetstenius Amstelodami 1751 et 1752, cuius tamen opus multis erroribus infectum est, Griesbachius, Halae, 1775, 1777, 1785 et 1795.

Optime deinde de textu graeco meritus est Chr. Frid. Matthaei professor in academia moscoviensi edita annis 1782-1788 collectione observationum criticarum 12 tom.

Praeclaram editionem novi testamenti graeci cum lectionibus variantibus procuravit Car. Alter Viennae in Austria professor, Viennae 1787, in 8°, part. 3. Tandem secutum est novissime novum testamentum And. Birchii professoris hafniensis, annis 1798 et 1800.

(1) Salmeron prolog. 5.
(2) Vegas de iustificatione lib. 15, c. 9.
(3) Pallavic. hist. conc. trid. l. 6, c. 17.

runt, atque falsitatis arguerunt acatholicos dum vulgatam versionem ab ecclesia ipsis fontibus hebraicis et graecis praelatam esse asserebant. Confer n. 608-612.

§ XI. Pentateuchus samaritanus.

585. Pentateuchus samaritanus a Pentateucho hebraico non nisi characteribus differt; nobis enim exhibet antiquum textum hebraicum antebabylonicum et anteesdrinum, veteribus characteribus hebraicis, modo samaritanis vocatis, exaratum, dum Pentateuchus iudaeorum continet textum hebraicum characteribus chaldaicis, aut saltem recentioribus nitidioribusque hebraicis scriptum, atque ideo Pentateuchus samaritanus Pentateucho hebraico aequiparatur (conf. n. 7 et 571).

Pentateuchus samaritanus ex illo aevo originem ducit, quo decem tribus Israël cum Roboam filio ac successore Salomonis schisma fecerunt, sibique anno 3029 ab orbe condito Ieroboam regem constituerunt. Posteriori aetate samaritani illum a iudaeis regni Iuda ob eorum continuum in hoc regnum odium neutiquam suscepissent, quemadmodum alios sacros illorum libros non receperunt.

Decem tribubus Israël anno mundi 3283 a Salmanasare in Assyriam deportatis, populi chaldaei, babylonii nempe et chutei, a Salmanasare in Samariam missi fuerunt, qui cum israëlitis illic relictis, aut post fugam reducibus, aut dein ex captivitate reversis permixti, samaritani vocati fuerunt. Cum hi populi a leonibus infestarentur, acceperunt a rege Assyriae, verisimiliter ab Assaradone, sacerdotem israëlitam de decem tribubus captivis, qui illis Pentateuchum attulit (n. 80). Ex hoc codice descendunt exemplaria Pentateuchi samaritani antiquis litteris hebraicis scripta, quae ad nostra tempora pervenerunt, quaeque samaritani ob ingens in iudaeos odium numquam emendarunt.

§ XII. Auctoritas Pentateuchi samaritani.

586. Pentateuchum samaritanum per se magna auctoritate pollere, praesertim quando cum codice hebraico, antiquisque versionibus convenit, ex dictis colligitur, ideoque primis ecclesiae saeculis a s. patribus frequenter citatus ac laudatus fuit (1). Paucioribus quidem mendis quam codex hebraicus laborare deberet, eo quod nec ad masoram mutatus, nec tam crebro quam ille descriptus fuerit, utpote populi exigui usui inserviens; at reapse pluribus scatet mendis, quae triplicis generis sunt.

Alia mutant sensum, ut Gen. V et XI, in aetate patriarcharum, ubi frequenter differt a codice hebraico, a LXX interpretibus et a Vulgata. Aetas patriarcharum progredientibus generationibus gradatim aequali et constanti proportione discrescit; ex s. Hieronymo vero liquet saeculo quinto codicem samaritanum in hoc nondum vitiatum fuisse (2). (Deuteronomii XXVII, 4) samaritani suffecerunt vocem montis *Garizim* voci *Hebal*, quae est in codice hebraico, ut, quod sumebant, templum scilicet in monte Garizim rite exstructum, ibique Deum colendum esse, hoc testimonio confirmarent.

Alia menda sunt additiones sensum declarantes: sic (Gen. II, 2) legunt samaritani cum LXX interpretibus, Deum *sexto* die absolvisse opus creationis, et *septimo* requievisse, dum eo loco in codice hebraico legimus Deum septimo die creationis opus absolvisse, et eodem die requievisse.

(1) Conf. Wallon prolog. 1. Prideaux part. 1.

(2) Hieron. quaest. in Gen. V, 25-28.

Tandem alia menda sunt transpositiones, repetitiones, et litterarum mutationes (conf. n. 103). Ex hisce vero sequitur, textum samaritanum, quando codici hebraico, aut antiquis versionibus consonat, magna pollere auctoritate, utpote qui tum nobis lectionem antiquam prisci codicis hebraici sistit.

SECTIO II.

DE VERSIONIBUS TEXTUS PRIMIGENII VETERIS AC NOVI FOEDERIS

§ XIII. Praenotanda.

587. Oracula et beneplacita divina electo populo hebraico proprio eius idiomate revelata, appropinquante tempore, quo caeteris omnibus nationibus manifestanda erant, divina disponente providentia, in varias variorum populorum linguas translata sunt. Has inter versiones eminent versio alexandrina, LXX interpretum vocitata, atque vulgata latina, quarum prima ecclesiae usui primaevo maxime inserviit, et altera hodiernis ecclesiae usibus destinata est.

Dividuntur porro versiones biblicae 1° in versiones orientales et occidentales veteris foederis, et 2° in versiones orientales atque occidentales novi foederis. De illis primum, et de his postea agemus.

§ XIV. De versionibus orientalibus veteris foederis.

588. Versiones orientales veteris foederis sunt 1° plures versiones graecae, alexandrina nempe, LXX interpretum nuncupata, versiones Aquilae, Theodotionis, Symmachi, quinta, sexta, septima, atque collectiones Origenis; 2° plures aliarum linguarum orientalium ut versio chaldaica, syriaca, samaritana, arabica, aethyopica, persica, aegyptiaca, armeniaca et sclavonica.

Auctoritas harum aliarumque versionum pendet 1° a textu, e quo emanarunt; 2° ab aetate, qua factae sunt; 3° ab indole auctoris; 4° ab earum natura, proprietate, conditione; et 5° ab hodierno earumdem statu seu conservatione.

DE VERSIONIBUS GRAECIS VETERIS FOEDERIS

§ XV. Versio alexandrina LXX interpretum.

589. Mittimus quae quondam iuxta personatum Aristaeam de origine celebris versionis alexandrinae, LXX interpretum nuncupatae, repetita fuerunt *; referemus dumtaxat quae ab eruditis viris criticis de hac versione tenentur.

1° Versio alexandrina, vulgo LXX vel LXXII interpretum, omnibus versionibus veteris foederis antiquitate et auctoritate praestat; facta est iuxta textum hebraicum a iudaeis aegyptiis, ut plures voces aegyptiacae testantur, ante annum 285 aerae vulgaris sub Ptolemaeo Lagi rege Aegypti, ut ss. Irenaeus et Clemens Alex. testantur, verisimiliter opera Demetrii Phalerei in usum iudaeorum hellenistarum, quorum ultra centum millia laudatus rex ex Iudaea in Aegyptum abduxerat, ibique

* Quod nempe Ptolemaeus Philadelphus rex Aegypti ad captandam iudaeorum benevolentiam et eorum libros sacros obtinendos centum millia iudaeorum captivorum libertate donaverit, pro singulis pretium 20 drachmarum ipsorum dominis persolverit, munera magnifica ad Eleazarum summum sacerdotem miserit, qui septuaginta duos iudaeos hebraici et graeci idiomatis peritissimos ad illum legaverit, et quidem sex ex unaquaque duodecim tribuum, qui in insula prope Alexandriam de versione inter se conferentes, septuaginta duobus diebus legem iudaeorum in graecum idioma transtulerint (Aristaeas de s. Script. interpret). Missa facimus quae Philo (lib. 2 de vita Moysis) meminit de inspiratione horum septuaginta duorum interpretum, qua singuli de verbo ad verbum eadem scripsissent; quae habet Iustinus martyr (exhort. ad gentil. Vide et eius apolog. ad imp. Anton.) de septuaginta duabus cellulis a Philadelpho construi iussis, in quibus septuaginta duo interpretes seorsim suam versionem confecissent, et secum invicem perfecte consensissent; quaeque narrat Epiphanius (de mensuris et ponderibus) de triginta sex cellulis, in quibus bini et bini inclusi fuissent.

publico propriae religionis cultu gaudere permiserat.

Nuncupata fuit haec versio LXXII et numero rotundo LXX interpretum, vel quod a Sanhedrin hierosolymitano ex LXXII doctoribus composito approbata sit, vel, quod verisimilius, propter Aristaeae narrationem, quae non ante Iustini martyris aetatem fidem nacta est, quo circiter tempore, atque ideo diu post aetatem origini huius versioni ab Aristaea assignatam, haec LXX interpretum nomine vocari coepit (1), atque ita distingui ab aliis versionibus graecis veteris foederis.

Cum Plutarchus referat (2) Demetrium Phalereum Ptolemaeo Lagi auctorem fuisse, ut scriptores politicos legeret, a mortuis ita auditurus quae viventes ei dicere haud auderent, Ptolemaeus, scientiarum fautor et cultor, forte exemplar graecum legis mosaicae a synagoga petiit, illudque bibliothecae regiae intulit!

Itaque summa narrationis Aristaeae vera erit, atque in eo stabit, quod versio graeca legis iudaeorum sub Ptolemaeo Lagi, regnante iam forte cum illo Ptolemaeo Philadelpho, Alexandriae facta sit, et fortassis bibliothecae regis Aegypti illata.

2° Eodem tempore translati sunt quinque libri Moysis (3).

Reliqui libri sacri veteris foederis a variis doctoribus hebraeis graeci idiomatis peritis variis temporibus e textu hebraico in graecam linguam translati sunt, ut constat ex varietate linguae graecae in variis libris usurpatae, ex diversitate styli, translationis, et ex diversa nominum propriorum orthographia. In aliis libris interpres presse sequitur litteram, in aliis sensum dumtaxat. Hebraismi vero et voces aegyptiacae in versione alexandrina argumento sunt, illam ab hebraeis in Aegypto esse confectam.

Versio Pentateuchi omnium est optima; hanc sequitur versio Proverbiorum; veniunt tertio loco versiones librorum Iudicum, Ruth et quatuor regum. Libri Iob, Psalmorum et prophetarum minus accurate translati sunt, liber Ecclesiastis verbum de verbo exprimit. Interpres Ecclesiastici, qui saeculo tertio aut saltem saeculo secundo ante Christum vixit, in prologo ut notissimum sumit omnes libros sacros iudaeorum dudum in graecum idioma esse translatos: quare totam versionem alexandrinam saeculo circiter tertio ante Christum natum absolutam fuisse oportet.

§ XVI. Recensiones versionis alexandrinae.

Quod est commune omnium apographorum fatum, dudum ante Christum natum varia in celebrem hanc versionem haud momentosa quidem, irrepserant menda, quae postmodum, cum eius exemplaria in usum iudaeorum ac christianorum saepissime describerentur, aucta sunt. Eius chronologia in epocha generationis patriarcharum corrupta fuit, et quidem ut videtur ante Christi nativitatem (conf. n. 102). Tempore Origenis iudaei christianis scripturam sacram iuxta LXX interpretes in controversiis allegantibus exceptionem opponebant, aientes versionem alexandrinam ab hebraico textu dissentire, in aliis abundare, et in aliis mancam esse. Quare Origenes saeculo tertio illam plurimis inter se collatis exemplaribus emendavit, atque additamenta obelo, omissa asterisco notavit.

(1) De historia versionis LXX interpretum legi possunt Ellie Du Pin *Dissertations préliminaires sur la Bible* liv. I, c. 6, § 2 et 3. Calmet *Dict. de la Bible*, art. *Septante interprètes*. Bergier *Dict. de théol.*, art. *Septante*. Iahn *Introd. in L. S. V. F.* p. I, c. 2, § 34, Viennae 1804.

(2) Plutarch. reg. et imperat. apophtegm.

(3) S. Hier. ad Ezech. V et XVI.

Successu autem temporis haec signa, ab Origene apposita, mutata, et tandem omissa fuerunt; hinc auctum malum, et confusio in recensione Origenis orta est.

Lucianus ecclesiae antiochenae presbyter, qui anno 311 aerae vulgaris martyr occubuit, recensionem secundam versionis alexandrinae instituit, eamque iuxta textum hebraicum perfecit.

Circa finem saeculi tertii, vel initium quarti, Hesychius episcopus et martyr aegyptius aliam recensionem versionis LXX interpretum exornavit. Non constat utrum suam recensionem iuxta antiquos codices versionis alexandrinae, an iuxta textum hebraicum elucubraverit.

Ex tribus hisce recensionibus omnes codices manuscripti et editiones praelo commissae LXX interpretum descendunt *.

§ XVII. Auctoritas versionis alexandrinae.

591. Versio haec iudaeis hellenistis loco textus hebraici fuit, apud alios iudaeos olim maximam auctoritatem habuit, et Fl. Iosephus eadem in suis antiquitatibus iudaicis uti textu primigenio usus est. Christus et apostoli illam loco textus hebraici saepe allegarunt, et apostoli ipsam ecclesiis christianis tradiderunt (n. 19). Quare omnes ecclesiae graecae antiquae illa versione usae sunt, et versio italica veteris foederis, quam ecclesia latina adhibuit usque dum saeculo septimo versio hieronymiana illi suffecta esset, iuxta alexandrinam versionem facta est. Veteres interpretes eam loco textus primigenii quondam consuluerunt, et quando versiones pro populis ad fidem conversis adornandae erant, frequentissime iuxta versionem LXX interpretum conficiebantur.

Multi immo versionem alexandrinam uti divinitus inspiratam habuere, et s. Hieronymus, qui ut Origenes, huic inspirationi fidem non adhibebat, mendaque istius versionis probe noscebat, apud multos male audiit, quod novam versionem latinam iuxta textum hebraicum, et non iuxta versionem LXX interpretum elucubraret. S. doctor crebro conqueritur de persecutione, quae ei hac de causa mota fuit(1). « Cogor, » aiebat, per singulos scripturae divinae libros adversariorum responsionem meam reprehensionem septuaginta interpretum criminantur (2).»

Versio alexandrina primis ecclesiae saeculis adeo usitata fuit, ut s. Augustinus saeculo quinto de illa diceret: « Hanc, quae LXX est, tamquam sola esset, sic recepit ecclesia, eaque utuntur graeci populi christiani, quorum plerique utrum sit alia aliqua ignorant(3).»

Ex dictis sequitur versionem alexandrinam hodieque magna pollere auctoritate quando cum textu hebraico, aut melioris notae versionibus antiquis concordat.

§ XVIII. Versio graeca Aquilae.

592. Praeter hanc LXX interpretum versionem haud alia librorum

* Potiores editiones versionis LXX interpretum sunt 1° Complutensis, quae in polyglottis habetur (n. 581, not.); 2° Aldina, Venetiis 1518; 3° Romana ad codices vatic., Romae opera card. Caraffa sub Sixto V exacta; 4° Editio Lamberti Bos cum lectionibus variantibus, Franequerae 1709; 5° Grabii ad codic. alex. 1707-20; 6° Breitingeriana cum signis hexaplaribus, 1730-32. In hisce aliisque editionibus versio prophetiae Danielis desumpta est ex versione Theodotionis. Versio alexandrina Danielis primum typis mandata fuit Romae 1772 iuxta codicem card. Chigi, qui ultra octo saecula antiquitatis habet.

Indiget versio LXX interpretum nova recensione critica, cui D. Holmes, collatis quotquot in Europa extant codicibus manuscriptis, nostro tempore operam navat.

(1) Proleg. 1 in biblioth. divin. s. Hieron. § 4, op. t. 1.

(2) Hieron. praef. in lib. Iob

(3) August. de civitate Dei lib. 18.

sacrorum veteris foederis versio ante Christum extitit. Post Christum natum intra annos 90-130 aerae vulgaris aliam versionem graecam veteris foederis iuxta textum hebraicum exornavit Aquila natione ponticus, qui iuxta s. Irenaeum (1) et s. Hieronymum (2), ac iuxta ipsam vertendi rationem iudaeus fuit. S. Hieronymus ait « iudaeos R. Akiba » magistrum Aquilae proselyti autu» masse (3). » S. Epiphanius plura de Aquila refert quae parum credibilia sunt.

Videtur Aquila hanc versionem adornasse, ut iudaeis hellenistis ostenderet quae in textu hebraico vere contineantur; atque adeo versionem suam iuxta verba textus primigenii religiose confecit.

Illum dedita opera corrupisse loca ubi de Christo agitur haud probatum est. S. Hieronymus illum vocat *verborum hebraeorum interpretem diligentissimum* (4), et ad Damasum scribens: « Aquila, inquit, non con» tentiosius, ut quidam putant, sed » studiosius verbum interpretari ad » verbum (5). »

Loca, quae ut ab Aquila corrupta allegata fuerunt, versiones etymologicae, vel lectiones variantes, vel prava interpretamenta esse videntur: sic Isaiae VII, 14, vox *Halmah, Virgo,* quae a LXX interpretibus, ut oportet, παρθένος, *Virgo* reddita est, ab ipso νεᾶνις *Iuvencula* redditur.

Aquila, ut suam versionem magis adhuc litteralem redderet, alteram eiusdem editionem exornavit, sed quae adeo obscura fuit, ut absque textu hebraico vix intelligi posset. Hinc s. Hieronymus Aquilam modo vocat interpretem studiosum et diligentissimum, et modo contentiosum (6). Versio Aquilae a iudaeis hellenistis et a graecis christianis aestimata fuit. Periit autem; sed fragmenta illius extant in commentariis s. Hieronymi in Ieremiam, Ezechielem ac Danielem.

§ XIX. Versio graeca Symmachi.

593. Alteram versionem graecam librorum sacrorum veteris foederis saeculo secundo post Theodotionem edidit Symmachus christianus iudaizans, seu ebionita, ut Eusebius (7) et Hieronymus (8) testantur. Vertit textum primigenium non litteraliter ut Aquila, sed sensum e sensu eleganter expressit. Versionem suam in secunda editione perpolivit. Eam antiqui *perspicuam, manifestam, apertam et admirabilem* dixerunt (9). Nonnisi fragmenta huius versionis supersunt.

§ XX. Versio graeca Theodotionis.

594. Theodotion iuxta s. Irenaeum ephesius, et s. Hieronymum iudaeus ebionita (10), medio saeculo secundo versionem graecam librorum sacrorum veteris foederis elucubravit, quam s. Iustinus anno 160 in suo dialogo, et s. Irenaeus anno 177 aerae vulgaris, laudarunt.

Media via Aquilam inter et Symmachum incedens versionem suam versioni LXX interpretum ita accommodavit, ut illius recensionem edere visus fuerit; demsit nempe quae in versione alexandrina abundabant, supplevit quae deerant, quaeque minus recte interpretata illi videbantur emendavit.

Videtur Theodotion hanc versionem ideo adornasse, ut suis ebionitis in controversiis cum iudaeis certo constaret quid textus hebraicus praeseferret.

Origenes versionem alexandrinam maxime iuxta Theodotionis versionem emendavit. Versio Danielis Theo-

(1) Iren. l. 2, c. 24.
(2) Hieron. praefat. in lib. Iob.
(3) Hieron. in Isaiae c. I.
(4) Hieron. epist. 138 ad Marcellam.
(5) Epist. 125 ad Damasum.
(6) Hier. in Isaiae c. VIII.
(7) Euseb. hist. l. 6, c. 17.
(8) Hieron. praef. in lib. Esdr. et Nehem.
(9) Hieron. in Isaiae c. I.
(10) Hieron. praef. in Daniel.

dotionis in universa ecclesia graeca recepta fuit. Caeterum nonnisi fragmenta versionis Theodotionis supersunt. S. Epiphanius plura de Theodotione, uti et de Symmacho, refert, quae viris criticis haud probantur.

§ XXI. De versionibus graecis quinta, sexta et septima.

595. Praeter quatuor versiones graecas textus hebraici, n. 589-594 recensitas, adhuc tres aliae tempore Origenis versiones graecae textus hebraici, ab auctoribus anonymis confectae habebantur, quinta, sexta, et septima, nuncupatae a numero columnarum, quem in Hexaplis Origenis occuparunt. Auctorem sextae versionis christianum fuisse, ex eius versione in Habacuc III, 13, liquet. Auctores harum versionum videntur suos pro controversiis edocere voluisse quae in textu hebraico haberentur.

Erant porro hae versiones Origene antiquiores et liberius confectae. Continebant singulae Psalmos et Prophetas minores; quinta et sexta insuper Pentateuchum ac Canticum canticorum, et septima ac quinta duos libros Regum graece translatos. Fragmenta earum invenit Parisiis d. Bruns in codice Hexaplari syriaco.

§ XXII. Tetrapla et hexapla Origenis.

596. Cum iudaei christianis, scripturam sacram iuxta versionem LXX interpretum allegantibus, obiicerent hanc versionem a textu hebraico dissentire, Origenes * versiones

* Origenes anno 185 aerae vulgaris Alexandriae in Aegypto patre Leonide natus, et ob assiduum laborem adamantinus nuncupatus, ingenii ac eruditionis portentum, et inter doctores veteris ecclesiae facile princeps fuit. Tanta a tenera aetate pietatis indicia edidit, ut pater eius dormientis detectum pectus saepe exoscularetur, tamquam inhabitantis Spiritus sancti templum. Cum patrem suum, ob fidem in carcerem coniectum, adire haud posset defectu vestium, quas eius mater absconderat, ne se persecutoribus ultro offerret, eum egregia epistola ad martyrium hortatus est. Decimo septimo aetatis anno patre orbatus, et cum matre et sex fratribus natu minoribus ad extremam pauperiem redactus, a nobili ac divite muliere christiana in domum receptus fuit; at victum sibi paraturus eam deseruit, et grammaticam docere coepit. Ex hoc munere anno decimo octavo aetatis catechumenis instituendis loco Clementis alexandrini, cuius discipulus fuit, praefectus est. Omnes libros profanos divendidit ea conditione, ut emptor illi singulis diebus sex circiter solidos (*soldi*) monetae gallicae persolveret. Explicando Libros sacros, docendoque alias scientias auditores habuit pene innumeros ac praeclarissimos, tum ex christianis, tum ex ipsis philosophis paganis, quorum plures martyrii corona insigniti fuerunt. Tanto fervore ac zelo praeditus fuit, ut confessores in vinculis inviseret, ad iudices et ad supplicium comitaretur, ac ad constantiam in fide signis verbisque adhortaretur; quare gentiles eius vitae saepe insidiati sunt, eumque ob fidem in carcerem detruserunt.

Cum ob munus institutionis cathecumenorum cum mulieribus conversari cogeretur, quo se contra obtrectationes tentationesque praemuniret, verbis Christi XIX, 12: « Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum,» litteraliter intellectis, seipsum maiori zelo quam prudentia eviravit. Sacerdotio tandem quadragesimo secundo circiter aetatis anno Caesareae in Palaestina a Theoctisto illius urbis episcopo, ex consensu s. Alexandri episcopi hierosolymitani aliorumque episcoporum provinciae initiatus, Demetrii episcopi alexandrini indignationem sibi conscivit, atque ab eo in duobus conciliis depositus, ac communione ecclesiastica privatus fuit ob tres rationes: 1° quod semetipsum eunuchum reddidisset; 2° quod ordinatus fuisset absque consensu sui episcopi; et 3° quod errores plures docuisset. Hanc Demetrii in Origenem sententiam ab aliis ecclesiis ratam habitam fuisse scribit Hieronymus (lib. 2 adv. Ruffinum).

Origenes sui apologiam confecit, conquestusque est suos libros ab haereticis fuisse corruptos, variosque errores iisdem insertos. Origenes postea Beryllum, Bostri in Arabia episcopum, asserentem Christum nonnisi Deum esse coepisse post suam e Mariae nativitatem, ad veram fidem reduxit. Vocatus dein ab episcopis Arabiae ad concilium aliquod celebrandum adversus haereticos arabes dictos, animam cum corpore interire affirmantes, devios sua sapientia ac eloquentia ad Christi ovile revocavit. Tandem obiit Tyri anno 254 aerae Vulgaris et 69 aetatis.

Deus videtur huic doctori ea defendendae religionis praesidia contulisse, quae ordinarie non nisi pluribus doctoribus solet impertiri, adeo ut dici possit Origenes maximo fuisse ingenio, aut saltem inter eos eminuisse qui unquam doctrina elegantiaque prae ceteris claruerint. Nullus autem scriptor ante et post obitum ab aliis magis laudatus, et ab aliis magis vituperatus fuit quam Origenes, nemoque tot scripta in lucem edidit ac ille; teste enim Ruffino illius scripta sex millia numero sunt. Septem amanuenses scribebant quae dictitabat, et totidem illa describebant. A patre Leonida iuvenis adhuc cogebatur aliquas sententias e Scriptura sacra addiscere, et memoriter recitare antequam se ad studia profana conferret. Hinc ingens eius in Libros sacros amor impensique eiusdem in eos labores proficiscuntur. Sensu autem obvio et litterali post

graecas, de quibus locuti sumus, primum in Tetrapla ac dein in Hexapla coniecit; versionem LXX interpretum in medio collocavit, quae in illa deerant ex textu hebraico, Aquila, Symmacho, quinta, sexta et septima versione, ac frequentissime ex Theodotione adiecit; nomen auctoris littera eius initiali indicavit, haecque additamenta asteriscis notavit; quae vero in versione LXX interpretum abundabant obelo indicavit, ut lectores scirent illud in textu hebraico deesse.

Magnum hoc opus, 27 annis Tyri absolutum, 50 voluminibus constabat. Anno 303 Caesareae in bibliothecam Pamphili delatum fuit, ubi postea s. Hieronymus suos codices ad illud emendavit. Numquam autem descriptum fuit, et, Caesarea a saracenis devastata, periisse videtur.

Prisci scriptores nonnisi de Tetraplis et Hexaplis Origenis mentionem faciunt, cum de synoptica sacrae scripturae textuum compositione loquuntur; Hexapla vero quandoque etiam *Ogdopla* et *Enneapla* nuncupata sunt (1).

EN SCHEMA TETRAPLORUM ET HEXAPLORUM ORIGENIS

TETRAPLA

1 columna	2 columna	3 columna	4 columna
—	—	—	—
Versio Aquilae	Versio Symmachi	Versio LXX interpretum	Versio Theodotionis

HEXAPLA ET ENNEAPLA

1 columna	2 columna	3 columna	4 columna	5 columna	6 columna	7 columna	8 columna	9 columna
—	—	—	—	—	—	—	—	—
Textus hebraicus litteris hebraicis exaratus	Textus hebraicus litteris graecis scriptus	Versio Aquilae	Versio Symmachi	Versio LXX Interpretum	Versio Theodotionis	Versio Quinta graeca	Versio Sexta graeca	Versio Septima graeca

habito in mysteria et allegorias inquirebat, atque plura in Scriptura allegorice exposuit.

Origenes suis scriptis plures errores inseruit; at illos ut opiniones tradit, a dogmatibus distinguit, et circa annum 248 aerae vulgaris tum ad Fabianum romanum pontificem, tum ad alios episcopos rectae fidei scripsit confessionem, ut Eusebius refert (Hist. lib. 6, c. 29).

Supersunt 1° eius fragmenta *hexaplorum et commentariorum in Scripturam sacram;* 2° *octo libri contra Celsum* philosophum epicureum, sub imperatore Commodo verisimiliter defunctum. Hoc opus ut optima apologia religionis christianae totius antiquitatis semper habitum fuit, tum propter ingentem eruditionem sacram et profanam, tum propter expositionem philosophematum paganorum philosophorum adversus Christi religionem, tum propter puram elegantemque dictionem, tum tandem ob vim argumentorum et styli, ac ordinem materiarum

Habentur 3° *quatuor libri de principiis*, quibus in religionis materia standum sit. In hoc opere Origenes proprio velificatus ingenio, et principiis philosophiae Platonis, quam optime callebat, abreptus, inter alia docet spiritus e Deo promanasse, facultatibus ac perfectione inter se aequales, maximam eorum partem in peccatum lapsam esse, illosque propterea iuxta gravitatem peccatorum variis in corporibus pro illis creatis tanquam in carceribus inclusos esse, indeque animarum hominum, angelorum et astrorum diversitatem esse repetendam; animam Christi se ad Deum usque evexisse, eique per charitatem perfectissimam adhaesisse, et ideo meruisse ut ab eo nunquam separaretur; omnes alios spiritus asserit a bono ad malum, ac vicissim transire posse. Origenes, principio platonico innixus, Deum non infligere nisi poenas medicinales seu in reorum emendationem, perperam Dei iustitiam cum eiusdem bonitate compositurus, asserebat daemones et damnatos post scelerum expiationem salvandos esse. Supremum Origenis placitum erat, materiam et spiritus ex Deo tamquam ex principio omnium entium promanasse. Quare mirum non est, Origenis errores in quinta synodo oecumenica proscriptos esse.

4° Tandem supersunt *Tract. de oratione, hortatio ad martyrium*, et *epistola ad Africanum.*

(1) Haec scilicet textuum s. Scripturae compositio *tetrapla*, *hexapla*, *ogdopla*, aut *enneapla* dicta est, prout τέτρα *quatuor*, ἕξ *sex*, ὀκτώ *octo*, vel ἐννέα *novem* textibus constat.

DE RELIQUIS VERSIONIBUS ORIENTALIBUS VETERIS FOEDERIS

§ XXIII. Paraphrases chaldaicae.

597. Hebraei ex captivitate 70 annorum apud babylonios reduces linguae chaldaicae seu assyriae adsueti, hanc linguam verbis hebraicis mixtam loqui continuarunt, ita ut haec lingua illis patria facta sit. Quare necesse illis fuit ut chaldaicae bibliorum versiones adornarentur quod ideo a multis tentatum est.

Antiquissima paraphrasis seu versio chaldaica est illa R. Onkelosi, quem Talmud babylonicum aevo Christi vixisse statuit. Ast saeculo secundo aerae vulgaris floruisse videtur. Complectitur haec paraphrasis Pentateuchum de verbo ad verbum in puram linguam chaldaicam translatum, et a fabulis Talmudicis est immunis.

Altera paraphrasis chaldaica complectitur libros Iosue, Iudicum, Samuelis, Regum, Isaiae, Ieremiae, Ezechielis et duodecim prophetarum minorum, atque tribuitur Ionathani filio Uzielis, qui in Talmude babylonico pariter aetate Christi vixisse dicitur. Verum diversitas linguae, et versionis evincunt eam a variis interpretibus saeculo tertio et quarto factam esse. Haec paraphrasis lingua chaldaica minus pura quam versio Onkelosi scripta est, additamentaque continet.

Laudato Ionathani adscripta quoque fuit paraphrasis chaldaica, seu Targum Pentateuchi; sed verba exotica, varia commenta, linguae hebraicae ignorantia, mentio Constantinopoleos, turcarum, etc., quae in illa habentur, probant hanc paraphrasin laudato Ionathane multo posteriorem esse, et ante saeculum septimum haud esse exaratam.

Targum hierosolymitanum Pentateuchi, quod non complectitur nisi scholia in quosdam textus, multasque continet fabulas, verba graeca, latina ac persica, recentius est et nullius fere auctoritatis.

Supersunt adhuc paraphrases chaldaicae Iobi, Psalmorum et Proverbiorum, quae a iudaeis attribuuntur Iosepho caeco, qui saeculo tertio vixisse fertur; ast ex earum contextu constat eas saeculo tertio multo posteriores esse.

Sequuntur tres paraphrases chaldaicae libri Esther, et quarta partium deuterocanonicarum huius libri; Targum quinque Megilloth, seu librorum Ruth, Esther, Cantici canticorum, Threnorum, et Ecclesiastis, atque tandem paraphrasis chaldaica Paralipomenon, ut adeo supersint paraphrases chaldaicae omnium librorum protocanonicorum veteris foederis, exceptis Daniele, Esdra et Nehemia. Ast hae ultimae paraphrases scatent fabulis et additamentis.

§ XXIV. Versio syriaca Pescito aliaeque versiones syriacae.

598. Versio syriaca Pescito, id est simplex, seu litteralis, secundum textum hebraicum facta est ab auctoribus anonymis iuxta nonnullos aevo Salomonis, iuxta alios tempore destructionis regni israëlitici, et iuxta alios aetate Thaddaei apostoli. Illud constat eam esse antiquissimam, saeculo quarto iuxta Ephrem Syrum notissimam, atque in primitiva ecclesia maxima in veneratione fuisse; quare saltem saeculo secundo confecta fuisse videtur.

Fons versionis syriacae Pescito est textus hebraicus, ut vel patet ex variis lectionibus, quae ex hoc tantum textu possunt declarari. Eius affinitas cum versione alexandrina probat illius auctores versionem LXX interpretum prae oculis habuisse. Varia vero in variis libris interpretandi ratio evincit hanc versionem caeterum optimam, plures auctores habere.

Extant et aliae versiones syriacae, quae ex versione LXX interpretum manarunt, ut versio syriaca hexaplaris, saeculo septimo verisimiliter facta iuxta textum hexaplarem Origenis, philoxeniana versus finem saeculi quinti adornata, et *figurata*, vel *paraphrastica* e saeculo tertio vel quarto descendens, et saeculo octavo emendata.

§ XXV. Versio samaritana et arabica.

599. Versio samaritana Pentateuchi ab auctore anonymo diu ante saeculum septimum facta est; sequitur textum hebraicum samaritanorum ad litteram. Cum Deus humana sistitur specie, Dei loco angelum nominat, quod samaritanis non videtur fuisse familiare.

Versio, aut paraphrasis arabica Pentateuchi et Isaiae a R. Saadia Phaiumensi aegyptio, saeculo nono iuxta textum hebraicum confecta est.

Extat adhuc versio arabica Pentateuchi quae a Iudaeo africano saeculo XIII concinnata videtur; presse sequitur textum primigenium.

Extant insuper versiones arabicae, quae ex syriaco Pescito, et ex versione graeca LXX interpretum descendunt.

§ XXVI. Versio persica, aethiopica, aegyptiaca, armeniaca et sclavonica.

600. Persica versio Pentateuchi, quae in Polyglottis londinensibus habetur, et ob dialectum recentiorem saeculo decimo non videtur antiquior, iuxta textum hebraicum concinnata est.

Versio aethiopica iam tempore s. Chrysostomi exstabat (1), et ex versione alexandrina, seu LXX interpretum, descendit.

Versio librorum sacrorum veteris foederis in varias recentiores dialectos aegyptiacas iuxta eamdem versionem LXX interpretum facta est, et quidem verisimiliter primis ecclesiae saeculis.

(1) Chrys. Hom. 2 in Ioannem.

Versio armeniaca saeculo quinto a Mesrob, qui litteras armeniacas invenisse perhibetur, facta est iuxta versionem alexandrinam, postea vero ad syriacam Pescito, et ad vulgatam latinam emendata ab episcopo Yuschkam.

Sclavonica tandem versio iuxta versionem LXX interpretum saeculo nono facta est pro bulgaris et moravis a Cyrillo thessalonicensi, qui litterarum sclavonicarum inventor dicitur.

DE VERSIONIBUS OCCIDENTALIBUS

§ XXVII. De antiquis versionibus latinis.

601. Sacra biblia non minus in occidente quam in oriente a primordiis christianae religionis in linguam vulgarem translata sunt, necessitate religionis propagandae docendaeque id postulante. Cum vero lingua latina idioma vulgare late patentis imperii romani esset, scripturae sacrae a multis in linguam latinam translatae fuerunt, non quidem iuxta textum hebraicum, sed secundum versionem graecam LXX interpretum, eo quod lingua graeca in imperio romano sat communis esset, lingua vero hebraica a paucis nosceretur. Quam plurimas fuisse versiones latinas, liquet ex s. Augustino, qui scribit: « Qui scripturas » ex hebraea lingua in graecam verterunt, numerari possunt, latini » autem interpretes nullo modo. Ut » enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex graecus, et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguae habere videbatur, ausus est interpretari (2). » S. Hieronymus vero ait tot fuisse exemplaria, seu versiones, quot codices (3).

(2) August. de doctr. Christ. l. 2, c. 11.
(3) Hier. praef. in Iob.

§ XXVIII. Versio itala.

602. Inter has versiones latinas una caeteris antiquitate, sinceritate, perspicuitate et auctoritate praestabat, quam s. Augustinus (1) aliique antiqui passim *italam*, s. Hieronymus (2) *vulgatam* aut *communem*, et s. Gregorius magnus (3) *veterem* appellarunt.

Continebat haec versio itala vetus testamentum iuxta versionem graecam LXX interpretum, et novum testamentum iuxta editionem graecam vulgarem latine reddita. Quis illius auctor fuerit, quaque certa aetate confecta sit haud constat. Id certum est, eam esse antiquissimam, et primis saeculis usque ad saeculum septimum in ecclesiis latinis communiter adhibitam. Auctorem textum LXX interpretum de verbo expressisse, liquet ex huius versionis fragmentis. Fragmenta biblica in nostris missalibus romanis ex hac versione desumpta sunt.

Flaminius Nobilius quotquot eius fragmenta reperire potuit collegit, et reliqua iuxta versionem LXX interpretum latine reddidit, haecque versio polyglottis londinensibus inserta est. Critico autem caret usu praeterquam in excerptis ex patribus *.

Cum versio itala, successu temporis saepissime descripta, quam plurima menda contraxisset, s. Hieronymus illam quod ad vetus testamentum maxima ex parte ex LXX interpretibus iuxta recensionem Origenis emendavit, ac postea vetus foedus quod ad maximam partem e textu hebraico latine vertit, novumque foedus iuxta textum graecum emendavit, ex quo postremo s. Hieronymi opere Vulgata nostra descendit, ut mox videbimus.

Correctio bibliorum sacrorum a s. Hieronymo iuxta hexapla Origenis facta, in multis ecclesiis antiquitus recepta fuit. Psalterium primum ab illo cursim, ut ipse fatetur (4), iuxta versionem LXX interpretum emendatum, Romae susceptum fuit, et ideo romanum dicitur. Postea vero Hieronymus illud ad textum hexaplorum accuratius emendavit, additis asteriscis atque obelis. Hoc psalterium in Galliis receptum fuit, propRestereaque gallicum vocitatur.

§ XXIX. Versio Vulgata utriusque foederis.

603. S. Hieronymus linguae hebraicae, graecae et latinae peritissimus, ac sub finem vitae etiam idioma chaldaicum edoctus, omnes libros protocanonicos e textu hebraico vertit eo fine: « Ut iudaeis, inquit, » calumniandi et irridendi christia- » nos ablata occasio esset, utque » scirent christiani, quid hebraica » veritas contineret (5).»

Librum Tobiae iuxta exemplar chaldaicum ope interpretis iudaei linguae chaldaicae periti (conf. n. 241) latine reddidit, et postea ipse librum Iudith ex idiomate chaldaico in linguam latinam translulit. Haud alios libros veteris foederis vertit Hieronymus.

Vertit autem Hieronymus hosce libros non continue, sed eo ordine ac tempore, quo amici huiusce vel illius libri versionem ab eo petebant (6).

(1) August. de doctr. Christ. l. 2, c. 15.
(2) Hier. in Isaiae c. XIV et XLIX.
(3) Greg. epist. ad Leandr.
(4) Hier. praef. in Psalmos.
(5) Hier. t. 4 oper. col. 627, et praef. in l. Iob.
(6) Hier. praef. in Paralip., in Esdr. et Nehem., ac in Pentat.

* Versionem italam magnam partem deperditam esse diu creditum est: at spes affulget eam aliquando denuo integram videndi; nam p. Buriel Soc. Iesu ad finem saeculi elapsi Toleti detexit duos codices gothicos manuscriptos huius celebris versionis. Caeterum tempore Lucae Brugensis, anno 1619 defuncti, extabat in abbatia malmundariensi (Malmedi) in dioecesi leodiensi codex manuscriptus omnium epistolarum s. Pauli versionis italae. D. Martianay anno 1710 ex hac versione edidit libros Iudith et Iob, ac Evangelium s. Matthaei, et p. Blanchini anno 1748 Romae edidit quatuor Evangelia.

Hieronymus sensum librorum sacrorum ad veritatem expressit, sed quandoque antiquiorum interpretum graecorum vocibus usus est, ne nimia interpretationis novitate lectores offenderet, ut ipse fatetur (1), propterea que in suis commentariis quandoque propriam versionem retractat.

Nonnullae autem discrepantiae versionis vulgatae a textu hebraico proficiscuntur ab amanuensium incuria, ut (Gen. III, 15) *ipse* pro *ipsa* vel *ipsum;* (ibid. c. VIII, 7) *et non revertebatur* pro *et revertebatur;* (Gen. XI, 13) *trecentis tribus* pro *quadringentis triginta octo* (n. 104), et (Exod. XXXII, 28) *viginti tria millia* pro *tria millia* (conf. n. 130).

Libros sacros novi testamenti s. Hieronymus, collatis multis codicibus graecis et recensione Origenis, ad preces Damasi r. p. emendavit, et graecae fidei restituit (2). Ne autem populum lectioni veteris versionis italae adsuetum sua recensione offenderet, novum foedus ita emendavit, « ut his tantum, quae sensum » videbantur mutare, correctis, re» liqua manere pateretur ut fue» rant (3).

Constat igitur Vulgata nostra

1° Ex libris protocanonicis veteris foederis a s. Hieronymo iuxta textum hebraicum, et ex libris Tobiae ac Iudith iuxta chaldaicum translatis.

2° Ex libris et partibus veteris foederis quales erant in veteri versione itala. Hi libri ac partes sunt: Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch, I et II Machabaeorum, Epistola Ieremiae, septem ultima capita libri Estheris, duo ultima capita Danielis, oratio Azariae, et canticum trium puerorum, atque Psalterium, quod nonnullas tamen s. Hieronymi emendationes continet.

Verterat quidem Hieronymus Psalterium iuxta textum hebraicum; sed haec versio, ob longum et publicum usum Psalterii iuxta veterem versionem italam, in usum ecclesiae recepta non fuit (4), quia fuisset « arduum senis mutare linguam, et » senescentem iam mundum ad ini» tia trahere parvulorum (5). »

3° Constat Vulgata ex libris novi foederis antiquae versionis italae a s. Hieronymo ad preces Damasi r. p. iuxta codices graecos emendatis.

§ XXX. Fata versionis Vulgatae.

604. Licet vulgata versio utriusque foederis, quae maxima ex parte d. Hieronymum auctorem vel emendatorem habet, sit praecellens, et in genere suo absolutissima, vel ab initio tamen quamplurimos nacta est adversarios, de quibus s. Hieronymus in omnibus fere praefationibus, et in multis epistolis conqueritur: « Cogor, aiebat, per singulos » scripturae divinae libros adversa» riorum respondere maledictis, qui » interpretationem meam reprehen» sionem septuaginta interpretum » criminantur (6).» Clamitabant alii Hieronymi recensionem novi foederis veterum auctoritati esse iniuriosam (7).

Hieronymus, praeiudicatarum opinionum probe gnarus, Damaso r. p., qui illum ad novum testamentum versionis italae emendandum induxerat, dicebat: « Pius labor, sed » periculosa praesumptio, iudicare » de caeteris, ipsum ab omnibus iu-

(1) Hier. praef. ad comment. in Ecc., et praef. in Pentat.

(2) Hier. praef. ad Damasum, et catal. script. eccles.

(3) Hier. praef. in quatuor evangelia.

(4) Psalterium versionis italae in ecclesia romana conservatum fuit usque ad Paulum V, qui Vulgatae psalmos ei suffecit. Laudatum Psalterium adhuc Romae in basilica s. Petri, et Venetiis in ecclesia s. Marci usurpatur.

(5) Hier. praef. ad Damasum.

(6) Hier. praef. in Iob. Conf. epist. 10 Augustini ad Hier. Ruff. t. 4, p. 424, 448, 450. Praef Hier. in lib. Esdr. et Nehem. et Apol. 2.

(7) Hier. epist. 26 ad Marcellam.

» dicandum: senis mutare linguam, » et senescentem iam mundum ad » initia trahere parvulorum. Quis » enim doctus pariter vel indoctus, » cum in manus volumen assumpse- » rit, et a saliva, quam semel im- » bibit, viderit discrepare quod le- » ctitat, non statim erumpat in vo- » cem, me falsarium, me clamitans » esse sacrilegum, qui audeam ali- » quid in veteribus libris addere, » mutare, corrigere (1)?»

A posteris autem, aequioribus iudicibus, versio s. Hieronymi iure merito approbata fuit, saeculo quinto et sexto in usum publicum ecclesiarum latinarum, auctoritate potissimum s. Gregorii magni (2), recepta, et saeculo septimo in latinorum ecclesiis communiter usurpata. Quare s. Isidorus episcopus hispalensis (3) saeculo septimo aiebat: « De hebraeo in latinum eloquium tantummodo Hieronymus presbyter » sacras scripturas convertit, cuius » editione *generaliter* omnes eccle- » siae usquequaque utuntur, pro eo » quod veracior sit in sententiis et » clarior in verbis. »

Successu temporis cum exemplaria versionis hieronymianae saepissime describerentur ac multiplicarentur, varia amanuensium menda in illam irrepserunt, immo nonnulla ei ex versione itala tamquam emendationes illata fuerunt; quare sub initium saeculi noni, iussu Caroli magni, ab Alcuino iuxta vetustiores ac veriores fontes emendata est. Illam dein circa annum 1089 recensuit Lanfrancus episcopus cantuariensis, et circa medium saeculi duodecimi Nicolaus card. Secuta sunt correctoria Sorbonnae, Hugonis a s. Caro, et emendatae editiones Adriani Gumelli, Alberti Castellani, editorum polyglottorum complutensium, Roberti Stephani, annis 1540 et 1545; Hentennii anno 1547, Lovanii, et theologorum lovaniensium, quorum opera versio haec cum codicibus manuscriptis collata, atque pluribus lectionibus variantibus aucta, prodiit Antverpiae, 1580 et 1585 *.

§ XXXI. Vulgatae utriusque foederis correctiones romanae.

605. Concilium tridentinum versionem vulgatam quam authenticam declaraverat, corrigi, seu quam emendatissime imprimi iusserat (4); quare Pius IV, Pius V et Sixtus V illam ad antiquissimos codices undique conquisitos, et etiam ad textus primigenios, hebraicum nempe et graecum, emendarunt, haecque correctio prodiit Romae anno 1590, et *constitutione perpetuo valitura* ecclesiae latinae praescripta fuit.

Cum autem sixtina correctio haud esset accuratissima, altera instituta fuit, in qua 2000 circiter locorum ad antiquos codices, ad textus citatos a patribus, et ad textum primigenium emendata sunt, plerisque correctionibus ex editione theologorum lovaniensium desumptis (conf. n. 604). Prodiit nova haec editio Romae sub Clemente VIII anno 1592; eamque omnes posteriores editiones sequuntur.

(1) Hier. praef. ad Damasum.
(2) Greg. praef. moral. in Iob.
(3) Isid. lib. 1 off. c. 12.
(4) Sess. 4, decr. 2.

* Primae editiones Vulgatae praelo commissae sunt absque nota anni et loci impressionis. Prima editio annum et locum typographiae exhibens est moguntina anni 1462, 2 vol. in fol., quae est summae raritatis. Exemplar illius venditum fuit apud comitem Hoym 2000 libell. Moguntinam editionem aliae secutae sunt; ut Embriceae 1465, 2 vol. in fol., Augustae Vindelicorum 1466, in fol., Reutlingae 1469, in fol., Romae 1471, Moguntiae 1472; in fol., Neapoli 1476 in fol., Venetiis 1476, in fol., Parisiis 1476, 2 vol. in fol. Omnes istae editiones sunt rarissimae et carissimae.

Celebre Psalterium anni 1457 hoc anno 1817 a Ludovico XVIII Galliarum rege emptum fuit 12,000 libell. Hoc Psalterium est primus liber, qui annum editionis exhibeat. Nec aliud exstat huiusce Psalterii exemplar praeter illud quod Viennae in Austria asservatur.

Occasione istarum correctionum Thomas Iames suum bellum papale composuit, propterea quod 2000 circiter locorum in secunda correctione emendata essent. At constat, hasce correctiones non respicere nisi locutiones plus minusve accuratas (1). In correctione sixtina et clementina nullum umquam mendum detectum fuit, quod dogma aliquod aut mores respiceret.

Lucas brugensis plusquam 4000, et Isidorus Clarius 8000 mendorum in Vulgata haberi dixerunt; at ex collatione Vulgatae cum suis fontibus, codicibusque antiquis patet, nullum esse, quod rei substantiam attingat.

§ XXXII. Decretum tridentinum de Vulgata utriusque foederis.

606. Cum saeculo decimo sexto multae versiones utriusque foederis circumferrentur, quarum aliae a catholicis, aliae ab acatholicis confectae erant, protestantesque versionem vulgatam ex ecclesiis eliminarent, concilium tridentinum (2) edixit: « Sancta synodus considerans » non parum utilitatis accedere posse ecclesiae Dei, si ex omnibus » *latinis editionibus* quae circumferuntur sacrorum librorum, quaenam pro authentica sit habenda » innotescat, statuit et declarat, ut » haec ipsa vetus et vulgata editio, » quae longo tot saeculorum usu in » ipsa ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, » praedicationibus et expositionibus » pro authentica habeatur, et ut nemo illam reiicere quovis praetextu audeat vel praesumat.»

Decreto praecedenti statuit: « Si » quis autem libros ipsos integros » cum omnibus suis partibus, prout » in ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit....anathema sit.»

Eo ipso igitur quod a tridentino concilio vulgata declarata sit authentica seu auctoritatem faciens, nullumque librum aut partem reiicere liceat, sequitur versionem hanc quod ad substantiam cum fontibus congruere, ita « ut nullo defoedata sit » errore, ex quo perniciosum aliquod » dogma in fide et moribus colligi » possit,» ut Vegas theologus hispanus, qui concilio tridentino interfuit, loquitur (3). Synodum tridentinam hoc sensu Vulgatam dixisse authenticam pariter testatus est cardinalis a s. Cruce, qui ut legatus romani pontificis sessioni quartae concilii tridentini praefuit, et postea sub nomine Marcelli secundi romanus pontifex fuit, prout refert Andradus theologus regis Lusitaniae ad concilium tridentinum (4).

Quod vero authenticitas Vulgatae menda non excludat, quae dogmata et mores non attingunt, inde patet quod concilium tridentinum Vulgatam declaraverit authenticam, *licet correctione indigeret;* illamque quam emendatissime typis mandari iusserit; quod postmodum a r. pontificibus peractum est (n. 605).

Vulgatam vero versionem, utut optime iuxta regulas sanae critices sub Clemente VIII emendatam, menda tamen, utut minoris momenti, continere, 1° candide fatetur praefatio bibliorum sub Clemente VIII scripturae sacrae praescripta, in qua dicitur: « Quamvis in hac bibliorum » recognitione in codicibus manu» scriptis, hebraeis graecisque fon» tibus, et ipsis veterum patrum » commentariis conferendis non me» diocre studium adhibitum fuerit: » in hac tamen pervulgata lectione,

(1) Vide Bukentop: Lux de luce.
(2) Sess. 4, decret. 2.
(3) Vegas de iustific. l. 15, c. 9.
(4) Andrada, defensio tridentinae fidei p. 561.

» sicut nonnulla consulto mutata, » ita etiam alia, *quae mutanda vi- » debantur, consulto immutata re- » licta sunt.*»

2° Card. Bellarminus, qui unus ex correctoribus romanis fuit, in epistola ad Lucam brugensem scribit: « Scias velim, biblia vulgata non » esse a nobis accuratissime casti- » gata: multa enim de industria, » multis de causis, pertransivimus, » quae correctione indigere vide- » bantur.»

Catholicorum nonnulli autumarunt concilium tridentinum Vulgatam fontibus hebraicis et graecis praetulisse, horumque usum suo decreto prohibuisse, idque quidam antiqui acatholici tridentinae synodo exprobrarunt.

Verum ex ipsis verbis decreti tridentini liquet: — Concilium Vulgatam fontibus non praetulisse; nam illam non cum *fontibus*, sed cum latinis *editionibus* quae tum circumferebantur contulit, eamque edixit, confusionis nempe tot versionum, periculique errorum evitandi causa, solam inter omnes existentes versiones latinas in publicis lectionibus, etc. ut authenticam adhibendam esse; — Concilium tridentinum Vulgatam fontibus non praetulisse, horumque usum non interdixisse, testati sunt

1° Cardinalis a s. Cruce sessionis quartae concilii praeses, et dein ipse romanus pontifex sub nomine Marcelli II, testibus Andrea Vega et Andrado (1).

2° Melchior Canus, episcopus canariensis, Andr. Vegas, Andradus, Laynez (2), generalis societatis Iesu, qui omnes concilio tridentino interfuerunt, card. Pallavicinus (3), qui historiam concilii tridentini conscripsit, et

3° Salmeron societatis Iesu, qui pariter concilio tridentino interfuit. Hic « nihil, ait, de exemplaribus » graecis aut hebraicis agebatur (in » conc. trid.), tantum tot inter e- » ditiones latinas, quas saecula no- » stra parturierunt, quaenam ex illis » praestaret, sermo erat; liberum » autem reliquit s. synodus omni- » bus, qui scripturas sacras profun- » dius meditantur, fontes graecos » et hebraeos, quatenus opus sit, » consulere.... Licebit nobis, salva » concilii auctoritate, tam ex he- » braicis quam graecis exemplari- » bus, sumere efficax argumentum, » tamquam ex textu scripturae sa- » crae » (4).

4° Decretum tridentinum hoc in sensu semper intellexerunt meliores theologi, ut card. Bellarminus (5), qui Calvinum mendacii arguit, quod assereret tridentinam synodum Vulgatam fontibus praetulisse; Genebrardus, Ribera, Serarius, Bonfrerius, Sanderus, Adam Contzen, Tannerus, Bannez, Du Pin, Calmet, Bergier, Iahn, etc.

Praecipit quidem concilium tridentinum usum versionis Vulgatae in publicis lectionibus, disputationibus, etc.; at cum concilium locutum non sit nisi de versionibus latinis, sequitur illam solam *ex omnibus versionibus latinis* ad usum publicum in ecclesia latina adhibendam esse. Ita catholicorum doctissimi concilii tridentini decretum semper intellexerunt, censentes illud respicere eos, qui linguas primigenias librorum sacrorum haud callent, iisve haud utuntur; quare doctissimi interpretes catholici novas versiones bibliorum sacrorum post tridentinae synodi decretum iuxta textus primigenios librorum sacrorum elucubrarunt (conf. n. 608-612), et alii in

(1) Loc. cit.
(2) Apud Mariana.
(3) Lib. 6, c. 17.
(4) Salm. proleg. 3.
(5) Bellarm. de verbo Dei lib 2, c. 10.

suis commentariis in scripturam sacram Vulgatae praetulerunt textum primigenium, ubi hic clarior et expeditior videbatur; eademque de causa graeci catholici in usum ecclesiae suae pro veteri foedere versionem adhibent alexandrinam LXX interpretum, et pro novo foedere textum graecum primigenium, arabes versionem arabicam, syri syriacam, armeni armeniacam, etc.

Cum vero textus primigenius quod ad substantiam incorruptus sit (n. 575-583), et Vulgata quod ad substantialia cum suis fontibus congruat (hoc n. 606), sequitur dissensionem momentosam inter textum primigenium et Vulgatam locum habere non posse *.

§ XXXIII. Versiones orientales novi foederis.

607. Antiquissima versio orientalis novi foederis est syriaca, *Pescito* seu *litteralis* vocitata, et ad textum graecum elucubrata. Parum est elegans, at est fidelis, ideoque magno in pretio habetur. Aetas eius accurate nequit determinari: ast ad finem saeculi secundi vel saltem ad initium tertii saeculi existebat.

Widmanstadius primam eius editionem iuxta duos codices ab Ignatio patriarcha alex. anno 1552 ad Iulium II missos procuravit Vindebonae anno 1555. In hac vero editione desiderabantur epist. II et III Ioannis, II Petri, epist. Iudae ac Apocalypsis; at ei ex alia recentiore editione syriaca addita sunt in polyglottis parisiensibus d. Le Jay, et in londinensibus cl. Walton. Optima editio est Hamburg. 1664 et 1667, d. Aegydii Guthier.

Anno 508 altera celebris versio syriaca iuxta textum graecum recensionis Origenis diligenter curata est a Polycarpo, et Philoxeno episcopo syro dicata, proindeque philoxeniana dicta est. Quatuor evangelia exinde excerpta typis mandata sunt Oxonii 1778.

Praeter has versiones extant variae aliae versiones orientales novi foederis, ut arabicae, persicae, armeniacae, aethiopicae, sclavicae et gothicae, quarum aliae e textu primigenio immediate, aliae mediate fluxerunt (1).

DE RELIQUIS VERSIONIBUS OCCIDENTALIBUS

§ XXXIV. Versiones latinae, italicae et hispanicae.

608. Primus, qui novam versionem latinam veteris et novi foederis iuxta textum hebraicum et graecum elucubravit, fuit Santes Pagninus ordinis sancti Dominici, et bibliothecae vaticanae praefectus. Eius versio post 25 circiter annorum laborem prodiit Lugduni anno 1527 cum duabus epistolis Adriani VI et Clementis VII editionem permittentium. Versio haec, quae verbum de

* Vulgatam latinam, parvis nonnullis naevis haud obstantibus, optimam esse versionem, non modo patet ex auctoritate s. concilii tridentini, s. Hieronymi, eiusdem, maximam partem, auctoris vel correctoris, atque catholicorum, verum etiam ex consensu doctissimorum et aequissimorum acatholicorum. Hos inter Louis de Dieu: « Me haud erraturum arbitror, inquit, si » Vulgatae auctorem, quicumque ille sit, homi» nem doctum, immo doctissimum dixero» (Not. in evang.).

P. Fagius sciolos atque impudentes appellat, qui de hac celeberrima versione male loquuntur (Praef. ad collat. translat. V. T.).

Drusius concilium tridentinum laudat, quod Vulgatam sua auctoritate sanciverit (Ad loca difficilia Pentat.).

H. Grotius: « Tutissima omnium, ait, iis, qui » nec hebraice nec graece didicere, est Vulgata » versio, quae nullum habet malum dogma, sic» ut tot saeculorum et gentium consensus iudi» cavit » (in voto pro pace ecclesiae).

Cl. Walton episcopus anglicanus: « Vulgatam, » inquit, magni faciendam, et non temere pro» scindendam, tum propter eius antiquitatem » et usum generalem per occidentem per mille » annos, tum interpretis, quem Hieronymum ex » parte cognoscimus, doctrinam et fidelitatem » (Proleg. 10, n. 14).

Versio hieronymiana ad textum primigenium non emendata extat in divina bibliotheca Hieronymi a Martinaeo edita Parisiis 1693.

(1) Consule *Kortholt de variis bibliorum edit. Morin, exercitationes biblic.*, *Simon, hist. critiq. du V. et du N. T. Lelong, biblioth. sacrée.*

verbo exprimit, propter sinceritatem maxime laudatur.

Arias Montanus, sacerdos hispanus, theologiae doctor et eques ordinis sancti Iacobi, Pagnini versionem emendatius edidit, Antverpiae 1572.

Isidorus Clarius ordinis sancti Benedicti, et dein episcopus fulginiensis (di Foligno) versionem vulgatam iuxta textum hebraicum et graecum emendatam edidit Venetiis 1542; ait se illam a plusquam 8000 mendorum expurgasse. Eius prologus ac prolegomena ab indice romano notata, in editione anni 1564 omissa sunt.

Cl. Houbigant, Oratorii presbiter, biblia hebraica edidit cum versione latina ac notis, Paris. 1753, 4 vol. in-fol. Conatus est textum hebraicum emendare iuxta regulas critices et textum latinum. Libros sacros, qui in canone iudaeorum haud reperiuntur, ex graeco idiomate latine reddidit. Accusatus fuit Houbigant a nonnullis, praesertim comparate ad emendationem textus hebraici, hypercriseos, et neglectus antiquarum versionum biblicarum. Verum Benedictus XIV illum Brevi ac numismate decoravit, et clerus gallicanus eum pensione annua donavit.

Cl. Weitenauer, societatis Iesu, vetus ac novum foedus fontibus originariis adhibitis, satis pura latinitate edidit anno 1768-1773.

609. Antiquissima versio italica bibliorum sacrorum a Iacobo de Voragine ordinis sancti Dominici, et archiepiscopo genuensi, iuxta Vulgatam medio saeculo decimo tertio facta est; at haud amplius exstat, et nonnulli asserunt, eam nunquam extitisse.

Antiquissimae versionis italicae, quae certo extet, auctor est Nic. Malermi seu Malerbi camaldulensis monachus iuxta vulgatam facta et typis mandata Venetiis anno 1471, 2 vol. in-fol., sub titulo: *Biblia volgare istoriata.*

Ant. Brucioli anno 1530 aliam versionem italicam, ab indice romano notatam, iuxta textum hebraicum, aut versionem Pagnini, et iuxta textum graecum confecit. Optima editio ea est quae prodiit anno 1540 Venet. 3 vol. in-fol. et 4 cum commentariis.

Tudeschi versionem Brucioli emendatam edidit anno 1560.

610. Cyprianus de Valère loquitur de versione bibliorum sacrorum in linguam hispanicam circa annum 1420, ut creditur, facta.

Antiquissimae versionis hispanicae, quae extet, auctor est Cassiodorus Reina; typis mandata est in Germania, anno 1569.

§ XXXV. Versiones gallicae.

611. Antiquissimae versionis gallicae, cuius certa habeatur notitia, auctor est Petrus Valdo seu de Vaux, sectae valdensium auctor, qui vixit circa annum 1160 aerae vulgaris. Utrum autem nonnulla adhuc eius exemplaria supersint atque in antiquis bibliothecis delitescant ignoratur (1).

Antiquissima Biblia gallica, quae certo extent, curata sunt a d. Guyard des Moulins sacerdote circa annum 1294; typis mandata fuerunt Parisiis ad ann. 1488, 2 vol. in-fol.

Recentiores versiones gallicae sunt 1° quae a d. le Maistre presbytero Portus-Regii (Port-Royal), vulgo Sacy, iuxta Vulgatam concinnata, Paris. 1682, etc. 32 vol. in-8°, cum declarationibus sensus litteralis et spiritualis e ss. patribus depromptis. Maxima autem earum pars facta est a dd. Du Fossé, Huré et le Tourneux. Haec versio a d. Beaubrun emendata prodiit Paris. 1717, 3 vol.

(1) Vide Le Long, Bibliothèque sacrée, t. 2.

in-fol. Adiectum fuit vol. quartum continens libros apocryphos veteris foederis, scripta temporis apostolici, praefationes hieronymianas, dissertationes in Scripturam sacram, etc.

Versio d. Sacy in nonnullis recognita cum Vulgatae textu latino adhibita fuit a cl. Augustino Calmet ordinis sancti Benedicti in doctis suis commentariis in sensum litteralem Scripturae sacrae, Paris. 1707-1716, 24 vol. in-4°. Eius eruditissimae dissertationes et praefationes commentariis insertae, quae meliorem eorum partem constituunt, cum novemdecim dissertationibus novis, separatim typis mandatae fuerunt, Paris. 1720, 2 vol. in-4°.

Cl. Calmet in suis commentariis et dissertationibus, ut et in dictionario biblico, eruditionis causa plures difficultates ab adversariis christianae religionis appositas refert, quas crebro nullatenus, aut obiter tantum solvit; quare deistae proxime superiorum temporum ex operibus cl. Calmet frequenter arma adversus libros sacros deprompserunt, difficultatum solutionibus, quando praesto erant, dolose praetermissis. Hoc vir eruditissimus haudquaquam praevidit; at optandum esset ut nunquam difficultates adversus libros sacros retulisset, quin eas solide enuclearet.

D. Rondet commentaria cl. Calmet in compendium redacta edidit, Paris. 1748-1750, 14 vol. in-4° sub titulo: *Sainte Bible en latin et en français, avec des notes, des préfaces, et des dissertations.* Opus hoc passim vocatur *la Bible de l'abbé de Vence*, cuius dumtaxat aliquae dissertationes in eo habentur. Dissertationes ac praefationes cl. Calmet in illo integrae servatae sunt, sed identidem sunt recognitae, emendatae et auctae. Commentaria cl. Calmet in parvas notas contracta sunt, quae comitantur paraphrasin gallicam p. de Carrières. D. Rondet novam huius operis recogniti et aucti editionem procuravit, Avenione, 1763-1773, 17 vol. in-4°.

2° Versionem d. Sacy sequitur versio, seu potius paraphrasis gallica p. de Carrières, sacerdotis congregationis oratorii, quae paraphrasis, seu commentarius litteralis, ipsi versioni d. Sacy inserta est, textusque latinus Vulgatae in margine adiectus. Paris. 1701-1716, 24 vol. in-12. Nova illius editio cum chartis geographicis atque iconibus prodiit 1750, 6 vol. in-4°.

3° Houbigant, sacerdos oratorii, procuravit versionem gallicam veteris ac novi foederis. Conf. n. 608.

4° Novum testamentum gallice versum fuit notisque illustratum a p. Amelotte, presbytero oratorii, annis 1666-1670, 3 vol. in-8°. Haec versio deinceps saepius typis mandata fuit; est ad verbum expressa, sed parum elegans.

Novum testamentum gallicum, vulgo de Mons dictum, et anno 1665 typis commissum, primum auctorem habuit Ant. Le Maistre, dein vero ab Ant. Arnaud, et le Maistre Sacy recognitum fuit. Praecipui autem auctores editioni novi testamenti de Mons, quale exstat, sunt Ant. Arnaud, Pet. Nicolae, et Claud. de Sainte-Marie. Damnata fuit haec versio a Clemente IX anno 1668, et ab Innocentio XI anno 1679. Versio haec saepius recusa fuit, et a nonnullis in aliquibus locis, in iis potissimum ob quae proscripta fuerat, recognita. Versio gallica, quae animadversione p. Quesnelli comitatur, quoad substantiam cum illa congruit.

P. Bouhours societatis Iesu anno 1697 versionem gallicam novi testamenti edidit, Paris. 1697-1703, 2 vol. in-12. Eam composuerat ad-

iuvantibus pp. Mich. Tellier, et Pet. Besnier eiusdem societatis. Versio haec aliquantulum obscura est. P. Lallemant societatis Iesu hanc versionem adoptavit in suis animadversionibus moralibus in novum testamentum, Paris. 1713-1725, 12 vol. in-12.

Richard Simon versionem gallicam novi testamenti elucubravit, et notis litteralibus atque criticis illustravit, Trevoltii (Trévoux), 1702, 4 vol. in 8°, quae damnata fuit a cardinale de Noailles, archiepiscopo parisiensi, et cl. Bossuet, episcopo meldensi.

Extat adhuc versio gallica novi testamenti a p. Martianay ordinis sancti Benedicti confecta, atque notis atque declarationibus litteralibus illustrata, quarum multae haud accuratae visae sunt, Paris. 1712, 5 vol. in-12; atque Ant. Godeau, episcopi vinciensis (de Vence), versio gallica novi testamenti, Paris. 1668, 2 vol. in-8°. Haec versio medium tenet inter paraphrasim atque versionem.

5° P. Berthier societatis Iesu conscripsit *les psaumes traduits en français avec des notes et des réflexions*, Paris. 1785, 8 vol. in-12; — versionem gallicam Isaiae, Paris. 1789, 5 vol. in-12.

Ludovicus de Poix, discipulus Gullielmi de Villefroi, ordinis Oratorii, cum pp. Hieronymo atrebatensi (d'Arras), et Seraphino parisiensi eiusdem ordinis, Parisiis gallice vertit Ecclesiastem, 1771, prophetias Habacuc, Ieremiae et Baruch, 1780, 6 vol. in-12, atque Psalmos. Versiones horum trium operum ad textum hebraicum exactae sunt.

Cl. Contant de la Mollette, vicarius generalis Viennae in Gallia, versus finem saeculi decimi octavi varia opera eruditissima in libros sacros gallice edidit, quae sunt 1°: *La Genèse expliquée d'après les textes primitifs*, Paris. 1777, 3 vol. in-12. 2° *L'Exode expliqué d'après les textes primitifs*, ibidem, 1780, 3 vol. in-12. 3° *Le Lévitique expliqué d'après les textes primitifs*, ibidem 1785, 2 vol. in-12. 4° *Les Psaumes expliqués d'après l'hébreu, le chaldéen, le syriaque, l'arabe, l'éthiopien, l'arménien, le grec et le latin*, ibid. 1781, 3 vol. in-12.

§ XXXVI. Versiones germanicae.

612. Antiquissima versio gothica, seu teutonica, confecta est ab Ulphila, episcopo gothorum versus annum 360 aerae vulgaris (1), qui tamen libros Regum haud interpretatus est. Diu creditum fuit ex hac antiqua versione tantum superesse quatuor Evangelia, lacunis referta, quae anno 1665 cura Fr. Iunii et Th. Mareschalli typis mandata fuerunt Dordraci, in-4°, iuxta exemplar codicis argentei (characteribus argenteis scripti) in abbatia de Werden prope Coloniam Agrippinam reperti, et in bibliotheca Upsalae modo asservati; at paucis abhinc annis in bibliotheca guelpherbytana (Wolfenbüttel) detectum fuit fragmentum illius versionis partem epistolae ad romanos referens. D. Knittel, archidiaconus guelpherbytanus hoc fragmentum praelo commisit. Quatuor evangelia versionis Ulphilae typis recusae fuerunt Lipsiae, 1805, in-4°, cura Christoph. Zahn.

Antiquiora biblia germanica typis mandata annum editionis non exhibent, nisi calamo notatum. Antiquissima versio germanica, cuius annus typographicus probe notus, ea est quae prodiit Norimbergae anno 1477, et Augustae Vindelicorum anno 1477.

Plures versiones germanicae ante et post concilium tridentinum pro-

(1) Socrates hist. eccles. lib. 4, c. 33, Sozomenus hist. eccles. l. 5, c. 38. Philostorg. l. 2. c. 5.

dierunt. Inter recentiores sunt quas p. Cartier, anno 1748, p. Weitenauer anno 1781-1783, d. Braun anno 1788, d. Fischer anno 1784, et cl. de Brentano anno 1797, etc. ediderunt. Eius opus eruditissimis commentariis illustratum a cl. Th. A. Dereser continuatur.

Cl. Bonif. Mart. Schnappinger editionem germanicam novi testamenti cum eruditissimis commentariis edidit anno 1800, alteram auctam anno 1808, et tertiam adhuc auctiorem parat hoc anno 1817.

Versiones danicae, suecae, russicae, polonicae, bohemicae, anglosaxonicae et anglicae haud adeo recentes videri possunt apud cl. Calmet (1), Le Long (2) et Du Pin (3).

§ XXXVII. Versiones belgicae.

613. Versiones bibliorum sacrorum in linguam belgicam antiquissimae sunt; biblia autem belgica anno 1548 antiquiora nomen interpretis generatim haud exhibent. Nicolaus van Winghe anno 1548 versionem belgicam edidit, et in praefatione ait se usum esse bibliis flandrice praelo mandatis in Hollandia anno 1478.

Biblia Nic. van Winghe a doctoribus lovaniensibus emendata prodierunt Antverpiae 1599, ac dein saepius recusa fuerunt.

Protestantes belgae ab initio eorum pseudo-reformationis non habuerunt nisi versionem belgicam iuxta versionem germanicam Lutheri confectam; sed anno 1613, Dordraci in nationali synodo sanxerunt ut nova versio belgica iuxta textum primigenium concinnaretur, quae anno 1637 primum in lucem prodiit.

Librorum sacrorum versionem belgicam edidit Ultraiecti anno 1717 Aegidius de Wit presbyter de numero appellantium. Versio haec est clara atque perspicua, at liberior neque accurata.

Versionem belgicam stylo eleganti atque perspicuo concinnatam procurarunt Andraeas van der Schuur sacerdos appellans, eiusque continuatores appellantes, Ultraiecti anno 1732. Versio haec saepius, Vulgata neglecta, sequitur textum hebraicum.

Maximam partem librorum sacrorum veteris foederis iuxta latinum textum Vulgatae eleganti idiomate belgico perspicue reddidit Wilhelmus Smits ordinis min. recol., anno 1704, in Kevelaër vico provinciae Gueldriae natus, et anno 1770, Antverpiae defunctus. Addidit eruditissima prolegomena, sed prolixa, dissertationes, et notas criticas, litterales ac grammaticales, atque chartas geographicas et icones. P. Van Hove eiusdem ordinis egregium hoc opus continuavit. Libri sacri a pp. Smits et Van Hove belgice redditi sunt: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Tobias, Iudith, Esther, Iob, Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Canticum cant., Sapientia et Ecclesiasticus, simul 21 vol. in-8° Antverpiae, ann. 1744, et sequentibus.

§ XXXVIII. Textus primigenii versionumque usus in studio Vulgatae.

614. Qui abdita scripturae sacrae mysteria scrutaturus versionem Vulgatam adhibet, ad textum primigenium, et ad veteres versiones, praesertim quae ex illo proxime fluxerant, confugiat necesse est, 1° quando Vulgatae sensus est obscurus aut ambiguus; 2° quando sensus scriptoris sacri sub idiotismo vel proverbio orientali latet; 3° quando de amanuensium vel typographorum mendis suspicio oritur; 4° quando voces textus primigenii in Vulgata occur-

(1) Dict. de la bible.
(2) Bibliothèque sacrée.
(3) Dissert. prélim. sur la bible l. 1, c. 9.

runt; 5° quando significatio nominum propriorum loco horum nominum posita est, ut Prov. XXX, 1 (conf. n. 296); et 6° quando Vulgatae dictio languet.

615. Versiones omnes immediatae, antiquae et recentes testantur quomodo earum auctores textum primigenium suo aevo habuerint, ac intellexerint.

Magnam habent auctoritatem versiones antiquae, quae e textu primigenio, hebraico, chaldaico, et graeco a viris harum linguarum probe gnaris eo tempore quo linguae istae adhuc vigebant, immediate ac diligenter confectae sunt. Litterales versiones immediatae caeteris praestant, cum nobis exhibeant conditionem textus primigenii interpretum aetate, quaque ratione isti ad verbum illum expresserint, litteraliter reddiderint, quasque lectiones e variantibus secuti sint. Versiones immediatas mediatis praeminere per se liquet.

Praestantiores igitur versiones in usu Vulgatae adhibendae sunt: 1° versio alexandrina, LXX interpretum vocata (n. 589-591), cui addenda sunt fragmenta Aquilae, Theodotionis et Symmachi (n. 592-594); 2° versio samaritana Pentateuchi (n. 599), et imprimis ipse Pentateuchus samaritanus (n. 585-586); 3° Paraphrases chaldaicae Onkeloso, et Ionathani attributae (n. 597); 4° versio syriaca Pescito (n. 598 et 607), aliaeque versiones quas suo loco e textu primigenio immediate fluxisse diximus. Versiones vero antiquas praestare recentibus ex eo patet, quod textus primigenius, quo antiquior, eo paucioribus mendis laboraverit.

Atque haec de textu primigenio, variisque versionibus librorum sacrorum sufficiant. Finem Hermeneuticae sacrae impositiuri paucis de scripturae sacrae sensibus, criteriisque interpretationis agemus.

CAPUT V.

DE LIBRORUM SACRORUM SENSIBUS ET CRITERIIS EXEGETICIS SEU REGULIS INTERPRETATIONIS

SECTIO I.

DE SENSIBUS SCRIPTURAE SACRAE

§ I. De sensibus Scripturae sacrae generalim.

616. Verba sunt signa cogitationum; igitur ex verbis cogitationes, seu rerum notiones eruendae sunt. Quum vero connexio notionum cum verbis a mente loquentis pendeat, sequitur sensum in genere esse mentem auctoris, seu id quod sentit auctor.

Quare scripturae sacrae sensus est illa rerum notio, quam scriptores sacri in mente habuerunt, vel quam Spiritus sanctus per verba scriptorum sacrorum significare intendit.

Cum vero verba non semper in propria, sed etiam in metaphorica seu tropica significatione accipiantur, liquet sensum litteralem esse duplicem, *proprium* nempe, quem verba propria et obvia significatione exprimunt, et *metaphoricum* seu tropicum, quem verba ad alienam significationem translata exhibent. Sic Christus sensu metaphorico dicitur *sedere ad dextram Patris.*

Cum sensu metaphorico seu tropico similitudinem habet sensus *mysticus* seu *typicus:* quemadmodum enim prior subest verbis metaphoricis seu tropicis, ita hic inest rebus sensu litterali vel tropico expressis.

Quare sensus mysticus est, qui rei verbis expressae inest, tamquam imagini seu τύπῳ, *typo;* quare res, quae est imago alterius τύπος, *typus* audit. Occurrit hic sensus haud infrequenter in scriptoribus sacris novi foederis, ut Matth. II, 15, coll. cum Oseae XI, I; I Cor. IX, 8-9, coll. cum Deut. XXV, 4.

§ II. Subdivisio sensus mystici.

617. Sensus mysticus pro rerum diversitate, quibus applicantur ea quae in libris sacris sensu litterali vel metaphorico dicta sunt, subdividi solet in sensum mysticum allegoricum, moralem seu tropologicum, et anagogicum.

Habetur sensus mysticus allegoricus, quando aliquid e veteri foedere exponitur de Christo, de ecclesia militante, vel de aliqua veritate novi foederis; adest sensus mysticus moralis seu tropologicus, dum aliquid e veteri vel novo Testamento ad mores refertur; et anagogicus, cum quid vitae futurae accommodatur. Cassianus, ex. gr., ponit urbem Ierusalem, quam ait litteraliter significare metropolim Iudaeae, allegorice ecclesiam Christi, tropologice animam hominis, et anagogice civitatem coelestem seu ecclesiam triumphantem.

Origenes in scriptura sacra tres sensus distinxit, sensum litteralem nempe, moralem et spiritualem. Idem faciunt Hieronymus (1), Cyrillus et Gregorius. In sensu litterali, seu historico, res prout se habet, exponitur, in morali ad mores accommodantur historici iudaeorum eventus, et in sensu spirituali, terrenis praetermissis, omnia ad futuram vitam referuntur. S. Augustinus primus ex patribus quatuor hosce sensus distinxit (2), quem dein plures secuti sunt.

Solebant veteres sensum litteralem, allegoricum, moralem et anagogicum hisce versibus exprimere:

Littera gesta docet, quid credas allegoria;
Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

§ III. De duplici sensu litterali.

618. Antiquiores interpretes, qui regulas exegeseos ex ipso stylo prophetarum desumebant, quibusdam in vaticiniis duplicem sensum litteralem agnoverunt. Cum autem imperiti interpretes hunc duplicem sensum latius exponerent, sensus hic suspectus fieri coepit, ac dein a nonnullis reiectus fuit.

Cum porro eadem vox, idem signum, duo simul indicare possit, consuetudine humana vocibus et signis quandoque plures significationes tribuente, liquet fieri posse ut eodem in vaticinio, seu in eodem loco, duplex detur sensus, et quidem litteralis. Profecto campanae sonitus et hostium adventum, et incendium simul significare potest, si hostes et incendium simul adsint, quemadmodum vox hebraica *nephilim*, quae gigantem et depraedatorem significat, exprimere posset utrumque simul, si gigas simul depraedator esset.

Porro duplicem sensum litteralem quandoque in vaticiniis esse inde patet, quod prophetae aliquando sensum vaticiniorum a Deo illis inspiratorum haud intellexerint, proinde alia cogitaverint quam quae Deus intenderit. Deum autem hoc in casu sermonem prophetae tali modo temperasse, ut praeter sensum, quem propheta in mente habebat, alium sublimiorem sensum exprimeret, nemo inficias ibit.

§ IV. De sensu mystico seu typico.

619. Sensum mysticum, vel typicum, ceu verum sensum in sensu litterali tamquam in typo seu imagine quandoque reperiri, probant scriptores sacri novi foederis qui loca veteris foederis alio in sensu de Christo, etc. allegant. Sensus iste mysticus ab intemperantibus interpretibus exaggeratus nonnullis in suspicionem venit, ac tandem a non paucis in Germania reiectus fuit, habitusque est pro nuda accommodatione rei praeteritae ad aliam pro-

(1) Hieron. epist. ad Hedibiam.

(2) August. Genes. ad litt. l. 1

pter analogiam, quae inter illas intercederet.

At sensum mysticum ut nudam accommodationem propter analogiam haberi non posse evincitur inde, quod scriptores sacri novi foederis, praesertim Matthaeus, loca veteris foederis in alio sensu de Christo allegantes, ad illa provocent tamquam ad probationes eorum quae dicunt.

Hallucinati sunt graviter ii exegetae qui cuivis sensui litterali sensum mysticum subesse rati, commentaria sua sensibus mysticis arbitrariis inferserunt; atque ita theologi nonnulli in studio scripturae sacrae haud versati, hisce interpretibus consultis, quandoque argumenta ex huiusmodi mysticis significationibus adversus incredulos et acatholicos depromserunt, quae nihil probabant, indeque plus damni quam utilitatis redundavit, cum adversarii nostrae religionis sibi ita persuaserint catholicos huiusmodi argumentis fidem suam superstruere.

D. Paulus (I Cor. X, 6, 11) ait quidem: « Haec autem in figura facta sunt nostri... Haec autem omnia in figura contingebant illis; » at minime dicit omnia prorsus quae contigerunt apud hebraeos fuisse typos, sed voce *haec*, sententiam suam circumscribit.

Non minus a vero aberrarunt ii, qui opinionem secuti in scholis iudaeorum, ex contorta interpretatione scripturae sacrae enatam, quasi nempe verba scripturae sacrae tantum significent quantum possunt significare, arbitrati sunt inter plures sensus litterales vel mysticos aeque probabiles nobiliorem sensum tenendum esse. Attendenti enim patet ita viam pandi scripturam sacram quibuscumque sensibus, mysteriis, vaticiniis et allegoriis arbitrariis torquendi, atque hac ratione damnum potiusquam utilitatem ecclesiae Christi afferendi, cum increduli et acatholici huiusmodi arbitrarias expositiones explodant.

§ V. De sensu accommodatitio.

620. Sensum hunc haud esse verum scripturae sacrae sensum, ipsa eius denominatio probat. Verba vero scripturae sacrae in alio sensu rebus piis accommodari posse, exemplum scriptorum sacrorum novi foederis, et consuetudo primorum patrum ecclesiae evincunt quidem, verum oportet ut sensus accommodatitius contineatur in sensu litterali scripturae sacrae tamquam pars in toto, vel ut species in genere, vel tamquam indicium. Generatim vero sequentes tres regulae servandae sunt: ut

1° Sensus accommodatitius sensui litterali falsum sensum non attribuat.

2° Non praeponatur sensui litterali, ut monet s. Hieronymus (1).

3° Accommodetur rebus piis.

S. Hieronymus de iis qui loca scripturae sacrae temere a suo contextu avellunt, atque iis ita abutuntur ait: « Si forte ad scripturas sacras post saeculares litteras venerint, et sermone composito aures populi mulserint, quidquid dixerint legem Dei putant; nec scire dignantur quid prophetae, quid apostoli senserint, sed ad sensum suum incongrua appetunt testimonia, quasi grande sit, et non vitiosissimum docendi genus, depravare sententias, et ad voluntatem suam trahere scripturam repugnantem (2). »

SECTIO II.

DE CRITERIIS SEU REGULIS EXEGETICIS

§ VI. Praenotanda.

621. Scriptura sacra licet divina sit, ab hominibus tamen et pro hominibus exarata est. Eius libri, ve-

(1) Hier. epist. ad Paulinum.

(2) Hier. prolog. galeat.

tustissimi praesertim, multis abhinc annorum millibus per scriptores sacros lingua, patria, moribus et quandoque idiotismis a nobis distinctos, confecti sunt: quare illam saepe obscuram esse nemo mirabitur; perindeque ad illius genuinum sensum investigandum criteria quaedam, seu praecepta necessaria esse per se liquet. Cum vero in studio tanti momenti imprimis ab erroribus cavendum sit, sequitur interpretem christianum imprimis criteria, seu praecepta immunitatem ab erroribus praestantia, dein vero regulas, quarum ope verum scripturae sensum inveniat, prae oculis habere debere: quare primum criteria generalia, dein vero particularia sensus litteralis trademus.

§ VII. Criteria exegetica generalia seu regulae generales interpretationis.

Regula I.

622. In interpretatione scripturae sacrae *expositio ecclesiae sequenda est* (1); cum enim Christi ecclesiae librorum sacrorum intelligentia credita sit, et non soli rationi, cui multa sunt impervia, expositionem ecclesiae privatae nostrae interpretationi praeponere debemus: « Ne» cesse est, ait Vincentius Lirinen» sis, propter tantos tam varii erro» ris anfractus, ut prophetiae et » apostolicae traditionis linea secun» dum ecclesiastici et catholici sen» sus normam dirigatur. » Quaelibet interpretatio scripturae sacrae, quae traditioni apostolicae non innititur, cum eaque haud omnino consentit, semetipsam destruit, et scripturam sacram depravat.

§ VIII. Regula II.

623. *Consensui unanimi patrum ecclesiae in rebus fidei et morum est adhaerendum;* quando enim patres in rebus dogmaticis et moralibus sunt unanimes, nobis exhibent fidem ecclesiae catholicae, quae hac super re haud potest errare. Hinc concilium tridentinum: « Ad coërcenda » petulantia ingenia decernit ut nemo » suae prudentiae innixus, in rebus » fidei et morum ad aedificationem » doctrinae christianae pertinentium, » sacram scripturam ad suos sensus » contorquens, contra eum sensum, » quem tenuit et tenet sancta mater » Ecclesia, cuius est iudicare de vero » sensu et interpretatione scriptura» rum sanctarum, aut etiam contra » unanimem consensum patrum i» psam scripturam sacram interpre» tari audeat (2). »

(1) Conc. trid. sess. 4, c. 4.

§ IX. Regula III.

624. *Observanda est analogia fidei sive doctrinae,* id est consensus cum aliis aliorum librorum sacrorum dogmatibus; cum enim omnis doctrina librorum sacrorum a Deo proficiscatur, et unum corpus constituat, inter eius partes mutuus consensus sit oportet, quare si quae loca cum veritatibus alibi clare enuntiatis pugnare videantur, ita exponenda sunt, ut cum his consentiant. Iuxta hanc regulam scimus ex Ezechielis XVIII, 20-30, et Isaiae I, 16-18, non dari peccatum irremissibile, licet Matthaei XII, 32, legatur: « Qui » dixerit (vebum) contra spiritum san» ctum, non remittetur ei, neque in » hoc saeculo neque in futuro, » sensumque Matthaei ex contextu esse, blasphemiam pharisaeorum, Christi opera manifeste divina daemoni adscribentium, peccatum esse, quod prodit animum tam malignum tamque incorrigibilem, ut in hac et in altera vita ob perseverantiam malitiae gravissime puniendum sit.

(2) Ibid. c. 2.

§ X. Criteria exegetica particularia, seu regulae particulares interpretationis sensus litteralis.

Regula I.

625. In indagando sensu litterali cuiusvis loci, interpres *sacrum textum eiusque contextum sedulo expendat*, id est non modo singulas voces locutionesque perpendat, verum etiam quae antecedunt ac consequuntur; cum enim sacer scriptor antecedentia et consequentia in sua mente coniungat, haec attendi debent, ad eius mentem rite cognoscendam. Sic vox *infernus* modo in scriptura sacra sumitur pro sepulcro aut morte, ut Gen. XXXVII, 35; Iob. XXI, 13; Ps. IX, 18; Ps. LIV, 16, et modo pro loco supplicii damnatorum, ut Luc. XVI, 22-23; II Pet. II, 4, etc.; genuina vero eius significatio ex contextu colligitur. Ita pariter ex contextu intelligitur s. Paulum (I Cor. III, 14-15) adhibere symbolum architecti qui domum haud solidis fundamentis superstruens, per ignem transire debet ad vitam servandam, ubi domus igne corripiatur.

§ XI. Regula II.

626. *Scopus libri eiusque partium diligenter investigandus est.* Si enim finis seu scopus, ad quem res referuntur, innotescit, facile res ipsae patescunt. Sic perspecto fine allegoriarum et parabolarum, earum sensus facilius innotescit, ut Matth. XIII, 3, etc., ubi Christus diversam divinae suae doctrinae sortem ob diversam auditorum dispositionem parabola seminantis exponit.

§ XII. Regula III.

627. *Adiuncta personae scribentis, obiecti, temporis, loci et occasionis perpendenda sunt.* Videndum scilicet, quaenam sit indoles scriptoris sacri; memoria retinendum scriptores utriusque foederis esse hebraeos, qui vetus foedus hebraice maximam partem, novumque ferme totum graece conscripserunt, peculiares tamen loquendi modos atque idiotismos, seu hebraismos usurpantes, quibus graecae vel latinae interpretum voces haud plene perfecteque semper respondent *. Observandum

* Sic 1° hebraei carentes comparativo, vel eius loco ponunt positivum, ut Ps. CXVII, 8: *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine*, pro: Melius est confidere in Domino, etc.; vel quod praeferendum est affirmant, et quod reiiciendum negant, ut Oseae VI, 6, et Matth. IX, 13: *Misericordiam volo et non sacrificium*, pro: Misericordiam malo quam sacrificium; vel antithesin adhibent, ut Malachiae I, 2-3: *Dilexi Iacob, Esau autem odio habui*, pro Dilexi Iacob, Esau autem minus amavi.

2° Cum lingua hebraica careat superlativo, hebraei eius loco adhibent vel nomen abstractum, ut *sanctitas* pro sanctissimo; vel nomen concretum repetunt, ut *sanctum sanctorum*, pro sanctissimo, vel adiiciunt substantivum; ut Coloss. III, 14: *Vinculum perfectionis*, pro vinculo perfectissimo.

3° Hebraei non habent, ut latini, casus nominum; quare in versionibus quandoque unus casus pro altero ponitur.

4° Vox *semper*, *aeternum*, *αἰωνίως*, hebraice *holam*, haud semper aeternitatem absolutam significat, sed crebro durationem diuturnam indeterminatam, uti etiam in aliis linguis, v. gr. Ecclesiastis I, 4: *Terra in aeternum stat.*

5° Hebraei saepe imperativo aut optativo utuntur loco futuri, ut Oseae XIV, 1: *Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum suum: in gladio pereant, parvuli eorum elidantur, et foetae eius discindantur*, pro: Peribit Samaria... in gladio peribunt, parvuli eorum elidentur, et foetae eius discindentur.

6° Hebraei non raro praeteritum loco praesentis adhibent, ut Ps. CXV, 10: *Credidi, propter quod locutus sum*, pro: Credo, ideo loquor.

7° Hebraei loco idearum abstractarum saepe utuntur antrhopopathis, Deumque quandoque figurate exhibent humano modo agentem, ut Gen. VI, 6-7: *Poenituit eum* (Deum) *quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus delebo*, inquit, *hominem, quem creavi, a facie terrae.* (Conf. Genes. I, 5; XI, 5-7.

8° Bona ac prospera Deo frequenter immediate adscribunt, eo quod Deus sit auctor naturae, atque omittunt causas naturales ac intermedias, licet ipsis probe notas, ut Iob X, 8: *Manus tuae fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu;* Ps. CIII, 13-14: *Rigans montes de superioribus suis.... Producens foenum iumentis.* Conf. Matth. VI, 26.

9° Hebraei mala pariter Deo immediate quandoque attribuunt, eorumque causas naturales, quamvis eis probe cognitas, praetermittunt, ut Amos III, 6: *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?* Conf. Isaiae XXXI, 1-2; XLV, 7. Per haec vero indicant, mala iuxta ordinem a Deo in hoc mundo statutum evenire,

pariter est, utrum scriptor sacer suo an alterius nomine loquatur, vel alios loquentes inducat.

Exploranda sunt quae spectant personam vel rem de qua agitur. Habenda est ratio temporis, quo res contigit vel scripta est, et quo in loco, quaque occasione. Sic plures Psalmi facilius intelliguntur, si attendatur ad tempus et ad locum, quo exarati fuerunt, quo res quae in iis dicuntur contigerunt, atque ad facta, quae ipsis occasionem praebuerunt.

§ XIII. Regula IV.

628. *Loca parallela consulenda sunt*, id est, loca similia scripturae sacrae adeunda sunt, ut ex eorum collatione locus obscurus explicetur, aut dubius elucidetur. Differt autem parallelismus ab analogia fidei, eo quod parallelismus non de fidei integritate, sed de loci aut vocis genuino sensu agit. Sic ex collatione locorum parallelorum Luc. IV, 5; Matth. XVII, 1; XX, 17; XXIV, 40, cum Matth. IV, V, VIII, liquet vocem παραλαμβάνει *assumpsit* (Matth. IV, V, VIII), significare *duxit* (conf. n. 546).

§ XIV. Regula V.

629. *Apparentes antilogiae componendae sunt*, id est loca, quae sibi contradicere videntur, secum componi debent. Istae apparentes antilogiae oriuntur aut ex versionum discrepantia a fontibus, aut ex idiotismis, hebraismis et graecismis in versione servatis, et a consuetudine nostrorum idiomatum alienis, aut ex diversitate obiectorum, de quibus variis in locis est quaestio, aut tandem ex vagis indefinitisque dictionibus, quibus id exprimitur, quod definite intelligendum esse prima et generalia religionis principia docent. Modus hasce apparentes antilogias componendi ex enumeratione causarum, ex quibus proveniunt, per se innotescit. Speciatim adeat interpres loca, ubi eaedem res fusius aut clarius exponuntur.

§ XV. Regula VI.

630. *In dubiis consulendi sunt doctores ecclesiae*, ii potissimum, qui linguae hebraicae pro interpretatione veteris foederis, et graecae pro explicatione novi testamenti probe gnari fuerunt.

§ XVI. Regula VII.

631. *In dubiis de genuina lectione textus primigenii interpres consulat versiones antiquas, eas praesertim, quae e fontibus immediate emanarunt* (n. 615). Quando praestantiores versiones antiquae cum textu primigenio, aut secum consentiunt, genuinam exhibent lectionem textus primigenii; textum enim primigenium aeque ac praestantissimas versiones antiquas esse vitiata, aut hasce versiones omnes corruptas fuisse, incredibile est: « Plurimum hic quo-
» que iuvat, ait s. Augustinus, in-
» terpretum numerositas, collatis co-
» dicibus inspecta, atque discussa,
» tantum absit falsitas (1). »

permitti, atque ad sapientissimos fines ab eo dirigi.

10° Actiones immo hominum moraliter malas Deo interdum immediate adscribunt, ut Exod. X, 1: *Ego induravi cor eius* (Pharaonis), *et servorum illius;* II Reg. XXIV, 1: *Addidit furor Domini irasci contra Israël commovitque Davidem in eis dicentem: Vade, numera Israël et Iudam;* Rom. I, 24-28; *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis... Tradidit illos Deus in reprobum sensum ut faciant ea quae non conveniunt.* Per haec vero hebraei significant, Deum hasce malas actiones permittere, et ad optimos fines dirigere.

11° Verba haec: *Dominus tradidit, locutus est, praecepit*, etc., quandoque dumtaxat significant aliquem ob divinae providentiae dispositionem obtinuisse occasionem vel facultatem aliquid faciendi, ut I Reg. XXIV, 11, Saulem interimendi; II Reg. XVI, 10, maledicendi Davidi; II Reg. XXIV, 1, numerandi populum israëliticum. Confer. I Paralip. XXI, 1, et II Reg. XXIV, 10.

(1) August. de Doctr. Christ., lib. 2, c. 14.

§ XVII. Subsidia exegetica.

632. Libri sacri non modo doctrinales sunt, sed etiam, et quidem, maximam partem, historici; cum vero historiae antiquae communiter, et doctrinalia frequenter absque multiplici eruditione historica exponi nequeant, sequitur idoneo interpreti praeter philosophiae, physicae et theologiae scientias, atque linguae hebraicae et graecae notitiam, qua libri sacri generatim conscripti fuerunt, multiplicem eruditionem historicam necessariam esse. Consequenter

Ad libros, praesertim veteris foederis, probe intelligendos, interpres callere debet generatim historiam universalem antiquam, et speciatim

1° Historiam iudaeorum populorumque illis finitimorum. Hisce vero notionibus acquirendis inservient imprimis ipsa historia librorum sacrorum, dein Flavii Iosephi *Antiquitates iudaicae;* Calmet *Historia Veteris ac novi Testamenti;* Prideaux *Historia iudaeorum, populorumque vicinorum,* etc.

2° Noscere debet interpres ritus moresque iudaeorum, historiam naturalem, praesertim Palaestinae, regionumque conterminarum, hebraeorum pondera, mensuras, rem militarem, domesticam, veterem geographiam, et

3° Artem criticam, cuius ope genuina lectio, interpretatio, et eruditio a spuriis et falsis discernatur.

Legi merentur hac de re cl. Fleury, *Mores israëlitarum;* Michaëlis, *Ius Mosaicum;* Iahn, *Archaeologia Biblica;* Comes de Stolberg, *Historia Religionis I. C.;* Calmetus, *Dissertationes ac Commentaria;* Petavius, *Rationarium temporum;* Usserius, *Annales veteris ac novi Testamenti;* Lamy, *Apparatus geographicus et chronologicus,* etc.

§ XVIII. Characteres rectae pravaeque interpretationis Scripturae sacrae.

633. Character generalis rectae interpretationis scripturae sacrae est eius consensus cum criteriis seu regulis exegeticis n. 622-631 recensitis.

Specialem autem suppeditabit generatim interpretationis simplicitas ac facilitas; cum enim libri sacri generatim absque artificio sed magna cum simplicitate, atque sermone facili populique captui accommodato, conscripti sint, eorum expositio et simplex et facilis generatim sit oportet; quare quo simplicior et facilior est interpretatio, eo plerumque verior est; consequenter expositio obvia cuiuslibet lectoris menti caeteris interpretationibus generatim praestat.

634. Character vero generalis pravae interpretationis est eiusdem dissensus a criteriis seu regulis exegeticis n. 622-631 traditis.

Character autem particularis est interpretationis contorsio atque obscuritas; huiusmodi est expositio, quae licet verbis loci sacri seorsim spectatis forte subsit, contextui tamen, aut claris aliis locis parallelis adversatur.

§ XIX. Conditiones ad rectam interpretationem Scripturae sacrae necessariae.

635. Prima conditio ad interpretandam scripturam sacram necessaria notio est canonis librorum sacrorum, illorum inspirationis, authentiae, textus primigenii, ac praecipuarum versionum, quam capitibus I, II, III ac IV Hermeneuticae sacrae tradidimus; notitia regularum exegeticarum et subsidiorum interpretationis, quam n. 622-632 suppeditavimus, harumque regularum accurata observantia.

Secunda conditio est conscientiae puritas; haec enim praestat, ut interpres praeiudicatis opinionibus depositis, candido amore veritatis im-

buatur et ducatur, mentem scriptoris sacri sedulo assequi conetur, atque sublimis doctrinae spiritualis intelligendae idoneus efficiatur: « A» nimalis autem homo non percipit » ea, quae sunt Spiritus Dei: stul» titia enim est illi, et non potest » intelligere quia spiritualiter exa» minatur » (I Corinth. II, 14). Quam verum sit hoc effatum d. Pauli comprobarunt deistae nostrorum temporum, et imprimis d. de Voltaire in suis flagitiosis *bibliis, tandem* impiissime *declaratis (Bible enfin expliquée par plusieurs Aumôniers de S. M. L. R. D. P.)*.

Tertia conditio est animi modestia: nam « Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam » (Iac. IV, 6).

Quarta conditio in eo est ut interpres a nimio novitatis perinde atque antiquitatis amore alienus sit; secus enim sententiam aliquam solius novitatis aut antiquitatis causa, non ponderatis rationibus, probabit aut reiiciet.

Quinta est amor, aestimatio ac veneratio scripturae sacrae: « amari » prius debet sacra scriptura quam » disci, ait s. Augustinus, unde a » multis, quia aut oderunt, aut non » amant, ea non intelligitur (1). »

Sexta tandem conditio est obsequium fidei; quare s. Augustinus: « Si non intellexisti, inquit, cre» de; intellectus enim merces fidei » est (2). »

§ XX. Fontes pravae interpretationis Scripturae sacrae.

636. Primus fons pravae interpretationis est ignorantia vel neglectus conditionum, quas n. 635 recensuimus.

Alter fons consistit in praeiudicatis opinionibus, quibus quis ductus scripturam sacram suis notionibus placitisque accommodat.

Tertius fons est libido scripturam sacram cum ratione, seu cum principiis philosophicis componendi, quae generico rationis nomine significantur; quo fit ut sensus scripturae sacrae saepe negligatur, atque fallaces humanae mentis notiones et coniecturae illi sufficiantur.

Quartus fons est inanis voluntas scripturam sacram rite intelligendi; unde fit, ut quis affirmet non quae sacer textus dictat, sed quae mens aut animus suggerit.

Quintus demum fons est effraenis illa licentia et sacrilega audacia, miracula, et cetera quae supra naturam sunt, utut clare in libris sacris enuntiata, physice seu naturaliter exponendi, ut praestitere I. Chr. Fredericus Eck, et H. E. Gottlob Paulus (3): « Qui non credit filio men» dacem facit Deum: quia non cre» dit in testimonium, quod testifi» catus est Deus de filio suo » (I Ioan. V, 10).

Hic sistendum foret; at cum ad intelligentiam librorum sacrorum interpreti maxime opportunae sint notiones circa regionem, quam populus electus incoluit, temporis divisionem apud illum, circa sacra eiusdem tempora, sacrificia, pondera, mensuras ac nummos, quas in corpore Hermeneuticae sacrae obiter tantum attigimus, de illis, ut de subsidiis Hermeneuticae sacrae per modum appendicis quaedam subiiciemus.

APPENDIX

SUBSIDIORUM HERMENEUTICAE SACRAE

DE REGIONE, DIVISIONE TEMPORIS, TEMPORIBUS SACRIS, SACRIFICIIS, PONDERIBUS, MENSURIS AC NUMMIS HEBRAEORUM

SECTIO I.

DE PALAESTINA

§ I. De Palaestina generatim, priscisque eius incolis.

637. PALAESTINA est parva regio Syriae in Asia. Accipitur autem vox

(1) August. De utilitate credendi.
(2) August. Tract. in Ioan.
(3) Vide praefat. Hermeneuticae sacrae.

Palaestinae quandoque pressa, et latiori communiter significatione: priori sensu sumpta designat regionem palaestinorum, seu philistinorum, quae iuxta mare mediterraneum a Gaza meridiem versus usque Lyddam septentrionem versus protenditur.

Palaestina latiori sensu accepta significat totam regionem Chanaan, seu terram promissam, quae mare mediterraneum, Iordanem, ac mare mortuum interiacet. Saepe tamen ad citeriorem partem Iordanis contrahitur.

638. Prisci incolae Palaestinae latius sumptae, antequam ab israëlitis teneretur, fuerunt 1° Sidonii, Sidonis posteri, qui occuparunt regionem, ubi fuerunt urbes Sidon, Tyrus et Acco, seu Accaron, quae postea Ptolemais nuncupata fuit.

2° Hethaei, posteri Heth: illorum urbes fuerunt Dor, Aphec, Iezraël, Magedo, Galgal, Sarona et Gazer.

3° Iebusaei, posteri Iebi, postea philisthiim dicti. Eorum urbes erant Iebus seu Ierusalem, Lachis, Geth, Ecron, Azotus, Ascalon, Gaza, Gerara et Dabir.

4° Amorrhaei, posteri Amor. Horum civitates erant Nabba, Hesebon, Bosor et Ramoth Galaad.

5° Gergesaei, posteri Gerges. Illorum urbes fuerunt Damascus, Machati, Gessur, Soba, Theman, Astharath et Adra.

6° Hevaei, posteri Heve. Ipsorum urbes fuerunt Iericho, Hai, Bethel, Gabaa, Lebna, Macedo et Bezer.

7° Araci, posteri Arac. Urbes eorum erant Esebon, Madian, et Petra.

8° Sini, posteri Sin. Horum urbes erant Sodoma, Adama, Gomorrha, Seboim et Segor.

9° Aradi, posteri Arad. Eorum civitates fuerunt Arad, Herimoth, Hebron, Odolla et Eglon.

10° Samaraei, posteri Samar. Incoluerunt regionem ubi fuerunt postea urbes Samaria, Taphua, Thersa et Tanai.

11° Amathi, posteri Amath. Illorum urbes fuerunt Semeron, Cedes, Asor et Amath (1).

Hisce populis accensendi sunt Pheresaei, quorum urbes fuerunt Amalec et Bosra.

§ II. De nominibus Palaestinae.

639. Palaestina, sensu lato accepta, vocata fuit

1° *Terra Chanaan* (Gen. X, 19), quia a posteris Chanaan, filii Cham, seu a chananaeis post diluvium fuit inhabitata. Filii Chanaan, qui hanc regionem inter se partiti sunt, diuque possederunt, sunt: Sidon, Heth, Iebus, Amor, Gerges, Heve, Arac, Sin, Arad, Samar et Amath (Gen. X, 15-19).

2° Nuncupata fuit *Terra promissa*, eo quod Deus illam promiserat posteris patriarcharum Abrahae, Isaaci et Iacobi (Gen. XII, XIII, XV, XVII).

3° *Terra hebraeorum* seu *israëlitarum*, postquam Iosue eam inter duodecim tribus Israël divisit.

4° *Regnum Iuda et regnum Israël*, postquam nempe sub Roboam Salomonis filio ac successore haec regio in duo regna divisa fuit, duaeque tribus Iuda ac Beniamin regnum Iuda, et decem aliae tribus regnum Israël constituerunt (conf. n. 80).

5° Appellata fuit *Iudaea*, quia post reditum hebraeorum ex captivitate babylonica septuaginta annorum, per Cyrum concessum, potior pars iudaeorum ex hoc exilio reversorum de tribu Iuda erat.

6° *Palaestina* dicta fuit a graecis et romanis, qui per exercitium commercii hanc regionem detectam a suis incolis palaestinis, quos he-

(1) Gen. X, 15-18.

braei philistinos vocabant, Palaestinam dixere.

7° Tandem *Terra sancta* dicta fuit a christianis ob nativitatem, vitam, passionem, mortem et mysteria sacrosancta Iesu Christi ibi peracta.

§ III. Limites Palaestinae. Numerus incolarum. Fertilitas.

640. Palaestina latiori sensu accepta, seu regio Chanaan, aut Terra Promissa, iuxta Gen. X, 19, terminum septentrionalem habuit Sidonem, et Geraram terminum meridionalem, quae urbs media est inter Gazam terminum occidentalem, et Pentapolim terminum orientalem.

Cincta erat ad septentrionem Phoenicia et monte Libano, qui illam a Syria separabat, ad orientem montibus Hermon, Galaad et Arabia, ad meridiem monte Seir, et ad occidentem mari mediterraneo. Regio haec ab austro ad septentrionem octoginta circiter leucis, et ab occidente ad orientem quadraginta circiter leucis protendebatur.

641. Palaestina, antequam per frequentes iudaeorum captivitates vastaretur, regio erat amoenissima, fertilissima, et incolis refertissima, quod vel ex ingentibus bellatorum exercitibus patet, quos reges istius regionis coëgerunt, ut Saul, qui trecenta militum, millia recensuit in Besech (I Reg. XI, 8). Ioab praefectus militum lustrata Palaestina, tribubus Beniamin et Levi exceptis (1), Davidi retulit in Israël octingenta millia virorum et in Iuda quingenta millia hominum ad bellum apta reperiri (II Reg. XXIV, 9), nempe tredecies centena millia virorum. Si huic numero addantur viri, qui in tribubus Beniamin et Levi ad arma apti erant, liquet in Palaestina sub Davide circiter septuagies centena incolarum millia fuisse, cum viri ad bellum apti quintam partem incolarum alicuius regionis non constituant (conf. n. 191, 224-225) *.

Tempore destructionis Hierosolymae sub Tito in Palaestina plura centena incolarum millia adhuc erant, et in sola obsidione Hierosolymae undecies centena millia hominum perierunt.

§ IV. Fertilitas Palaestinae. Continuatur.

642. Christianae religionis hostes ex hodierno Palaestinae statu conficere vellent hanc regionem semper fuisse sterilem ac ingratam, Moysen proinde falso eam laudare ut regionem amoenissimam ac fertilissimam.

Verum Palaestinam antiquitus fuisse regionem prorsus amoenam, et omnino fertilem, praeter Moysen, Davidem, Salomonem et Ieremiam, Fl. Iosephus testatur. Hecataeus, Alexandri magni contemporaneus, refert Palaestinam fuisse regionem fertilissimam et incolis omnino refertam (2). Tacitus (3), Ammianus Marcellinus, Plinius, et quoquot ex antiquis auctoribus de Palaestina loquendi occasionem habuerunt, idem scribunt. Plinius ait Hierosolymam non solummodo Palaestinae, sed etiam totius orientis fuisse urbem clarissimam : « Hierosolyma, inquit, » longe clarissima urbium orientis, » non Iudaeae modo (4). »

(1) I Paral. XXI, 6.

* I Paralip. XXI, 5, Ioab dicitur recensuisse in *Israël mille millia et centum millia virorum*, et in *Iuda quadringenta, septuaginta millia*, quae constituunt quindecies centena et septuaginta millia virorum ad bellum aptorum. Existimant nonnulli in I Paral. XXI, 5, mendum amanuensium irrepsisse; alii affirmant Ioabum tot quidem viros ad bellum aptos in Israël et Iuda recensuisse, at cum hanc recensionem invitus instituerit, et hac de causa tribus Beniamin et Levi non recensuerit, ut I Paral. XXI, 6, legitur, aiunt ipsum Davidi recensionem tot millium hominum tantum tradidisse, quot II Reg. XXIV, 9, leguntur; auctorem vero Paralipomenon reliqua virorum millia a Ioabo recensita sed regi tacita, ex coaevis documentis adiecisse. Iuxta locum autem I Paral. XXI, 5, octoginta centena circiter incolarum millia in Palaestina fuissent.

(2) Hecat. apud Fl. Iosephum contra Apionem.

(3) Tacit. Annal. lib. 21.

(4) Plin. Hist. nat. lib. 5, c. 14.

Iustinus de iudaeis scribit: « O-
» pes genti, ex vectigalibus opobal-
» sami crevere: est namque vallis,
» quae continuis montibus, velut
» muro quodam instar castrorum,
» clauditur. Spatium loci ducenta
» iugera, nomine Iericho dicitur.
» In ea sylva est, et ubertate et a-
» moenitate insignis. Siquidem pal-
» meto et opobalsamo distinguitur:
» et arbores opobalsami formam si-
» milem piceis arboribus habent,
» nisi quod sunt humiles magis, et
» in vinearum morem excoluntur.
» Hae certo anni tempore balsamum
» sudant: Nec non minor loci eius
» opacitatis, quam ubertatis admi-
» ratio est. Quippe cum toto orbe
» regionis eius ardentissimus sol sit,
» ibi tepidi aëris naturalis quaedam
» ac perpetua opacitas est (1). »

Palaestina, quondam cultoribus referta adeoque foecunda, postea a babyloniis, aegyptiis, syris, romanis, saracenis, arabibus, etc. saepius devastata, et cultoribus incolisque maximopere spoliata, nuncque turcis subiecta, defectu cultorum fere sterilis est; sed testibus viatoribus, vel recentioribus, multis in locis adhuc antiquae suae foecunditatis atque amoenitatis vestigia retinet: variis enim in locis fructus quicumque sine ulla fere cultura crescunt, imo abundant ubi cultores non desiderantur. Vites minime deficiunt, licet turcae vino non utantur. Iumentorum, pecudum, ferarum, avium, arborum frugiferarum, frugum terrae omnis generis nulla est inopia, praesertim in locis, ubi incolae frequentes sunt (2).

§ V. Temperies Palaestinae.

643. Genesis VIII, 22, annus more orientalium in sex partes dividitur, quam divisionem hic sequemur.

Prima anni parte, seu tempore messis, a dimidio aprilis usque ad dimidium iunii, coelum est serenum; prima vero aprilis parte aër incalescit.

Secunda parte anni, seu tempore fructuum, a dimidio nempe iunii usque ad dimidium augusti, dies noctesque tam fervidae sunt, ut incolae sub dio dormiant.

Tertia anni parte, seu tempore aestus, a dimidio augusti usque ad dimidium octobris, aër adhucdum praefervidus est. A dimidio autem aprilis usque ad dimidium septembris pluvia et tonitrua generatim nulla sunt (3). Rorat copiose. Fontes ac rivi exsiccantur, et humus prae calore rimas agit.

Quarta parte anni, seu tempore sementis, a dimidio octobris usque ad dimidium decembris, temperies variat, modo substillum est, pluvium fit coelum, nebulosum, caliginosum, etc. Altera vero dimidia parte octobris prima pluvia autumnalis, sementi necessaria, decidit. Temperies autem saepe adhuc est calida, sed dein fit frigida, et nives in montes decidunt. Versus finem novembris arbores foliis denudantur.

Quinta anni parte, seu tempore hiemis, a dimidio decembris usque ad dimidium februarii, nives in planities labuntur, sed vix per diem ibi durant, et glacies, quae non nisi tenuis est, solis radiis dissolvitur, viae vero sunt lubricae (conf. Matth. XXIV, 20). Fulgura, tonitrua et grandines sunt frequentia. Campi floribus ornantur, et sub finem ianuarii segetes virescunt, arbores nova folia inducunt, et rivi aquis onerantur.

(1) Iust. Hist. lib. 36.

(2) Vide Guénée: Recherches sur la Judée considerée principalement par rapport à la fertilité de son territoire depuis la captivité de Babylone jusqu'à notre temps, tom. 3 des Lettres de quelques juifs, etc., à M. de Voltaire. Paris 1817, pag. 297, etc.

(3) Conf. Prov. XXVI, 1, I Reg. XII, 17, Hier in Amos IV, 7.

Sexta parte anni, seu tempore frigoris, a dimidio februarii usque ad dimidium aprilis, temperies ab initio est frigida, progrediente autem tempore incalescit. Pluviae vero, fulmina, tonitrua ac grandines continuantur; sed versus dimidium aprilis omnino cessant. Ultima pluvia prima dimidia aprilis parte decidit, et serotina ab hebraeis nuncupatur pluvia prima seu autumnalis (ideo *matutina*), et pluvia ultima, seu vernalis (ideo *seròtina*), vocata (Ioël II, 23), a iudaeis quam maxime exoptabantur, utpote arvorum fertilitati maximopere necessariae. (conf. Lev. XXVI, 4. Deuteron. XI, 14, 17. Ierem. III, 3. Oseae VI, 3. Zach. X, 1).

§ VI. Calamitates Palaestinae.

644. Regio haec, natura sua tam amoena, variis subiacet calamitatibus, quae sunt:

1° Terrae motus, quibus Palaestina saepe concutitur, ac vastatur. Ab hac calamitate prophetae varios tropos deprompserunt ad magnas rerum conversiones designandas.

2° Tonitrua, fulgura, grandines, inundationes, et cataractae nubium, quae tempore hiemis locum habent. Eas describit Plinius (1). Hae calamitates prophetis ac poëtis hebraeorum plures tropos suppeditarunt.

3° Agmina locustarum, quae agros vastant. Hae locustae quatuor circiter pollices longae sunt, et crassitudine circiter digitum hominis aequant (conf. Apoc. IX, 7; Ioël I, 4).

4° Ob locustarum vastationes, et pluviae autumnalis inopiam, oritur quandoque maxima annonae caritas atque fames.

5° Ventus terribilis, quem appellant arabes Samum, seu pestiferum, turcae Samyel, hebraei vero nuncupare videntur *ventum urentem* (Iob. XXVII, 21; Ierem. IV, 11). Hic ventus numquam ultra septem vel octo minuta, non ultra duos pedes a terra, nec alte in aërem spirans, momento interimit quotquot homines sub dio stantes reperit (conf. Ps. CIII, 16. Ierem. XVIII, 17. Ezech. XVII, 10. Oseae XIII, 15); animalia dio exposita haud occidit, sed illa totis artubus contremiscunt, et instinctu quodam naturali caput humi demittunt.

Homines quo sibi ab eo praecaveant proni in faciem humi procidunt, pedibus plagae unde ventus spirat obversis, atque ore ad terram firmiter applicato, ne quidquam de aura mortifera sorbeant. Ventus hic potissimum spirat in Persia, Babylonia, desertis Aegypti, et in Nubia.

D. Thévenot scribit cadavera hoc vento enecatorum mox nigrum colorem induere; si attrectentur, ossa carnibus exui; ferunt hunc ventum igneum esse, eoque tactos aliquos intus se uri conquestos fuisse (2). Scribit, anno 1665, in urbe Bassora quatuor millia hominum hoc vento fuisse interempta (3).

6° Pestis, quae ex Aegypto aliisque vicinis regionibus advehitur. De illa frequens in libris sacris fit mentio.

§ VII. Montes Palaestinae.

645. Palaestina est regio montosa, et duo iuga montium, unum cis et alterum trans Iordanem per eam ex Syria in Arabiam procurrunt varia passim planitie interrupta.

Praecipui montes sunt

1° Libanus, qui duobus constat iugis, inter quae magna vallis interiacet, quam antiqui Coelesyriam dixerunt. Graeci tractum orientalem Antilibanum, et occidentalem Libanum nuncupant. Hebraeis vero uterque tractus Libanus dicitur.

(1) Plin. Hist. nat. l. 2.

(2) Vide Thévenot Reise. Th. II. B. I. Kap. 12.

(3) Ibid. B. III. Kap. 10.

Mons Libanus olim complures praegrandes aluit cedros in historia et praesertim in scriptura sacra celeberrimas. Hae arbores sunt ingentis omnino altitudinis ac crassitudinis. Nonnisi paucae altissimae ac densissimae, testibus viatoribus, modo ibi supersunt. Inter residuas fertur nonnullas reperiri triginta quinque, et quadraginta pedum crassitudinis.

Antilibanus altior est Libano, et perpetuis nivibus est coopertus, quamquam et in altiori Libani vertice nives tempore aestatis haud deficiant. Vertex altissimus Antilibani ab hebraeis Hermon dicebatur.

Antilibanus nutrit pinos et abietes, et a Libano per fertilem et amoenam vallem Coelesyriam separatur. Altitudo horum montium est 9000-9600 circiter pedum.

2° Carmelus, qui constituit iugum montium versus meridiem Ptolemaidis, et septentrionem Dorae ad mare Mediterraneum. Ex hisce montibus eorumque vallibus regio amoenissima conflatur, quod nomen Carmeli sat indicat, cum *vineam Dei* significet. Summitates Carmeli abietibus ac quercubus, et eius valles lauris ac olivis ornatae sunt, ac rivi fontesque nullibi desunt. Maxima altitudo Carmeli est circiter 2100 pedum.

Alius mons Carmelus dictus cum urbe eiusdem nominis est in tribu Iuda.

3° Thabor, de quo Hieronymus: « Est autem, inquit, Thabor mons » in Galilaea, situs in campestribus, » rotundus atque sublimis et ex om- » ni parte finitus aequaliter (1). » Fl. Iosephus scribit altitudinem huius montis esse triginta stadiorum, et in eius summitate esse planitiem viginti sex stadiorum circuitus, muris circumdatam, et versus septentrionem inaccessibilem. In hoc vertice quondam urbs fuit. Mons iste hodie omnino desertus est.

(1) Hieron. in Oseae V.

4° Montes Israël, etiam montes Ephraim dicti, qui opponuntur montibus Iudae. Solum horum montium est fertile; iuga vero montium Israël regionem Iordanis respicientia, et quae a monte Olivarum usque ad planitiem Ierichuntis protenduntur, aspera sunt et salebrosa. Vertex altissimus ultimi iugi montium *quarantania* vel *quarantena* modo nuncupatur, antiquitus *Remmon* appellatus videtur (Iud. XX, 45). Montes Hebal et Garizim, quorum alter ad aquilonem, et alter ad austrum Sichemi situs est, celebres sunt (Deut. XXVII et Ios. VIII). Samaritani in monte Garizim templum suum habebant.

Ad montes Iudae pertinent celeber mons Moria, cui a Salomone templum hierosolymitanum superstructum fuit, mons Sion, ubi civitas David fuit, mons Olivarum, seu Oliveti, ab olivarum frequentia sic nucupatus, et haud procul Hierosolymis dissitus; ex hoc monte Christus in coelum adscendit: mons Calvariae prope Hierosolymam, ita appellatus, quod publico iudicio damnati ibi ultimum supplicium subirent, eorumque calvaria illic sparsim iacerent. In hoc monte Christus opus redemptionis humani generis complevit.

5° Montes Galaad trans Iordanem siti, qui longo tractu ab Antilibano usque in Arabiam Petraeam procurrunt. Hi montes variis in locis varia sortiuntur nomina. Ad septentrionem occurrunt montes Basan, qui pascuis et quercubus celebres fuerunt. Ad austrum sunt montes Abarim, quos inter versus Ierichuntem conspicui sunt vertices Nebo et Phasga, unde omnis regio Chanaan videtur. Moyses hosce vertices conscendit ad Terram promissam contemplandam (Deut. XXXIV, 1).

Extra Palaestinam occurrunt mons Sinai in Arabia Petraea, ob legem quam Moyses ibi a Deo accepit, insignis (Exod. XXXIV, 1, etc.), et mons Horeb etiam in Arabia Petraea prope montem Sinai situs, ubi Deus apparuit Moysi in rubo ardenti (Exod. III, 1).

§ VIII. Planities Palaestinae.

646. Planities huius regionis, in libris sacris celebriores, sunt

1° Tractus maritimus a torrente Aegypti usque ad montem Carmelum, tractus a Gaza usque ad Ioppen, et tractus a Ioppe usque ad Carmelum.

2° Planities Iezraël, seu Esdrelon, quae a mari Mediterraneo et montibus Carmeli usque ad Iordanem per mediam Palaestinam protenditur.

3° Regio Iordanis seu ambo littora Iordanis a lacu Genesareth usque ad mare Mortuum. Ad hanc regionem spectant planities Ierichuntis, vallis salinarum ad mare Mortuum et campestria Moab.

§ IX. Vallis Ennom.

647. Inter valles Palaestinae memorabimus dumtaxat vallem Ennom, prope moenia Hierosolymae sitam, in cuius parte, Topheth vocata, infantes idolo Moloch comburebantur (I Reg. XXIII, 10. Ierem. VII, 21).

Moloch significat *regem*, et idolum ammonitarum erat. Hoc nomine alii Saturnum, cui notum est a gentilibus infantes immolatos fuisse, alii vero alium deum paganorum intelligunt. Cl. Calmet existimat Moloch repraesentasse Solem seu gentilium Deum coeli.

Iudaei cultui idoli Moloch dediti fuisse videntur iam ante eorum egressum ex Aegypto, eo quod Moyses ipsis consecrationem infantium huic idolo sub capitis poena prohibuerit: « De semine tuo, ait, non » dabis, ut consecretur idolo Moloch (Lev. XVIII, 20). Si quis dederit de semine suo idolo Moloch » morte moriatur (Lev. XX, 2). » Propheta Amos iudaeis: « Portastis, » inquit, tabernaculum Moloch vestro (c. V, 26); » et s. Stephanus: « Suscepistis tabernaculum Moloch (Act. VII, 43).»

Iudaeos quandoque suos infantes in honorem idoli Moloch combussisse ex Ps. CV, 37; Ezech. XVI, 21; XXIII, 39, liquet, licet quandoque eos solummodo per ignem traducerent, seu suo ritu lustrarent.

Infantes modo sequenti idolo Moloch immolati dicuntur. Statua idoli Moloch erat aenea et cava, eiusque brachia extensa, et versus terram flexa. Igne interius excitato statua calescebat, et ad eius pedes rogus accendebatur. Infans idolo immolandus brachiis statuae imponebatur, sed mox in subiectum ignem propter statuae ardorem delabebatur, in quo horrendos edens clamores comburebatur. Ne autem miseri infantis vociferationes atque cruciatus spectatores commoverent, strepitus ingentes ope tympanorum aliorumque instrumentorum excitabantur. Hae dicuntur fuisse horribiles caeremoniae sacrificiorum, quae iudaei in honorem idoli Moloch in valle Topheth peragebant (1). Vox *Toph* hebraice *tympanum* significat.

§ X. Silvae et deserta Palaestinae.

648. Silvarum frequens fit mentio in bibliis sacris. Celebriores vero sunt

1° Silva cedrorum in monte Libano (conf. n. 645).

2° Silva pinorum atque abietum in monte Antilibano (n. 645).

3° Silva quercuum in montibus Basan (Zach. XI, 2, et n. 645).

4° Silva ad confinia tribuum Iuda

(1) Vide Calmet Dict. de la Bible art. Topheth

ac Beniamin prope Baala urbem, quae ideo Cariathiarim, seu *urbs silvarum* dicitur (Ios. XV, 9).

5° Silva Ephraim (Ios. XVII, 15, II Reg. XVIII, 6).

6° Silva Hareth (I Reg. XXII, 5), et silva deserti Ziph (I Reg. XXIII, 14-16).

7° Silva Ioardes trans Iordanem a romanis excisa (1).

8° Silvae in summitatibus montium Carmeli et Thaboris.

9° Fruticeta in littoribus lacus Merom et Iordanis, quae *superbia Iordanis* appellantur (Zach. XI, 3. Ierem. XII, 5; XLIX, 19, L, 44).

Harum silvarum gratia Palaestina olim lignis abundabat; modo autem, cum plures silvae tum a iudaeis, tum ab eorum hostibus victoribus excisae sint, ligna ignibus haud sufficiunt; quare siccata stercora pecudum ligni loco a pauperibus frequenter adhibentur (conf. n. 342).

649. Inter varia deserta Palaestinae quae in libris sacris laudantur memorabimus:

1° Desertum Iudae ita dictum, eo quod in tribu Iuda incipiat (II Paral. XX, 20. Matth. III, 1, etc.), seu magnum illud desertum, quod ab urbe Thecue per Arabiam desertam usque ad Sinum persicum excurrit, et in Euphratis littoribus ultra urbem Bir protenditur.

2° Desertum Engaddi ad occidentale littus maris Mortui (I Reg. XXIV, 1-2).

3° Desertum Ziph (I Reg. XXIII, 14-16).

4° Desertum Maon (I Reg. XXIII, 24).

5° Desertum Carmeli.

6° Desertum Thecue.

7° Desertum Ierichuntis.

8° Desertum Bethaven (Ios. XVIII, 12).

(1) Fl. Ios. de Bell. Iud. lib. 8, c. 6.

* Lacui Phialae palea iniecta fuit, quae per meatus subterraneos delata fuit in Panium, e quo Iordanes suam originem ducere ad id usque temporis creditum fuerat.

§ XI. Iordanes. Lacus Merom, et lacus Genesareth.

650. Iordanes, solus fluvius Palaestinae magnam aquarum copiam vehens, et in libris sacris celeberrimus, ad radicem montis Antilibani e lacu Phiala exoritur, ut sub Philippo Galilaeae tetrarcha primum compertum fuit *. Labitur dein sub terra spatio circiter sex leucarum, atque ad urbem Paneadem, seu Caesaream Philippi, ad pedem montis Panii sitam, magno cum murmure e terra erumpit.

651. Emensus dein rursus sex circiter leucas praeterfluit per lacum Merom vel Semechon, quem aquis complet. Lacus Merom vel Semechon sexaginta stadia longus et triginta latus est (2). Iuxta Fl. Iosephum eius paludes procurrunt usque Daphnen (3).

Iordanes e lacu Merom egressus, et sex circiter leucas emensus influit in lacum Genesareth.

652. Lacus hic etiam vocatur lacus *Cennereth, Genesar* (I Mach. XI, 67), *mare Galilaeae* (Matth. IV, 18) a Galilaea regione vicina, et *mare Tiberiadis* ab urbe Tiberiade, quae primum *Cennereth* vel *Ceneroth*, postea *Genesar* aut *Genesareth*, atque tandem ab Herode tetrarcha in honorem imperatoris Tiberii ampliata, *Tiberias* nuncupata fuit.

Hic lacus iuxta Fl. Iosephum quatuor circiter leucas cum dimidia longitudinis, et duas latitudinis habet. Aqua eius clara est, dulcis, et magnam copiam piscium alit. Littora obsita sunt collibus et montibus frugiferis, atque amoenis oppidis, Capharnaum nempe, Corozaim, Iuliade, Gerasa, Gadara, Bethsaida, Tiberiade, Tarichea, etc. Discipuli Iesu in hoc lacu iussu divini sui magistri retia laxantes, tantam ceperunt piscium multitudinem, ut retia dis-

(2) Fl. Ioseph. de Bell. Iud. lib. 4, c. 1.

(3) Fl. Ios. loc. cit.

rumperentur (Luc. V). Ibi Christus tempestatem, ipso dormiente, exortam sedavit (Matth. VIII). Iesus super aquas huius lacus ambulavit (Matth. XIV), et Petrus ad iussum Christi super eum incedens submergi coepit (ibid.).

Iordanes e lacu Genesareth egressus, et 150-200 pedibus latus, ac septem altus, variis anfractibus profluit ad regionem, quae ab ipso Iordanis regio dicitur. A dimidio aprilis, seu tempore messis Palaestinensium, Iordanes intumescit, solitoque rapidius fertur, eo quod nives perpetuae Antilibani, quibus suam originem debet, tunc calore solis solvantur. Tandem ab urbe Caesaraea Philippi quinquaginta circiter leucas emensus, in mare Mortuum, seu lacum Asphaltidem influit.

§ XII. Mare Mortuum, seu lacus Asphaltides.

653. Mare hoc vocatur mare Mortuum quia nihil vivum alit. Appellatur *mare Orientale* ut contraponatur mari occidentali seu mari Mediterraneo. Dicitur *mare deserti* et *planitiei* a deserto et planitie quae sunt ad occidentem et ad septentrionem. Vocitatur *mare Siddim* et *mare Sodomae,* eo quod occupet vallem silvestrem, in qua sitae erant amoenae civitates Pentapoleos, Sodoma nempe, Gomorrha, Adama, Seboim et Segor. Tandem nuncupatur *mare Salsum, mare salis;* et *lacus Asphaltides,* eo quod eius aquae sale quammaxime imbutae sint, et hebraei nomine salis complectantur *asphaltum,* bitumen et nitrum.

Locus, quem nunc mare Mortuum tenet, ante Pentapolis subversionem vallis erat silvestris, amoena, fertilis, a Iordane irrigua, et paradiso Domini comparata. Iordanes in hunc modo lacum dilabitur. Sed cum verisimile sit, ingentem aquarum copiam quae eo nunc influit, antequam Pentapolis conflagrata dehisceret, in varios rivos deductam vallem illam irrigasse ac foecundasse, ac demum sub terram dilapsam esse, quod nunc mare mortuum est, iam tum lacum subterraneum fuisse (Gen. XIV, 3) oportet, sed spissa terrestri crusta obductum quasi fornice ex asphalto concreta, ex imo solo, ubi diu illud fuerat conglomeratum, emergente, eoque suffulta. Asphaltum hodieque e solo maris Mortui in superficiem aquarum emergit, atque disruptum, foetidum saporem in aërem spargit.

Genesis XIV, 10, legitur in laudata valle ante subversionem Pentapoleos fuisse multos puteos bituminis, quo nempe asphaltum seu bitumen ex subterraneo lacu penetrarat. Bitumen hoc fulminibus, seu igne coeli, ut hebraei loquuntur, iuxta Gen. XIX, 24, a Deo in vallem Pentapoleos coniectis, conflagravit, atque ita crusta terrea, lacum subterraneum obducens bituminis fulcimine subtracto, privata, in aquas subsidit, et ubi antea vallis erat (Gen. XIX, 24-25) (1), prodiit lacus.

Mare Mortuum, seu lacus Asphaltides, iuxta Fl. Iosephum viginti quinque circiter leucarum longitudine, et sex circiter latitudine esse dicitur. Cum non modo Iordanis, sed et aliorum fluviorum et torrentum aquas recipiat, quin usquam visibiliter exoneret, illas per meatus subterraneos in mare Rubrum vel Mediterraneum effundere credendum est.

Quaecumque huic lacui immerguntur, inde extracta salis crusta obducta sunt. Tanta abundat asphalti seu bituminis copia, ut res ponderosae ei iniectae vix submergi possint, sed potius super aquas fluitent: « Quae gravissima sunt, scribit Fl. » Iosephus, in eum iacta fluitant. » Vespasianus, qui eius visendi causa

(1) Vide Calmet. Dict. de la Bible, art. Sodome.

» illuc venerat, iussit quosdam na- » tandi inscios, vinctis post terga ma- » nibus, in altum proiici; et evenit » omnibus, tamquam vi spiritus sur- » sum repulsos, desuper fluitare. » Multis autem locis vomit nigras » bituminis glebas, quae super un- » dam et habitu et magnitudine tau- » ris sine capitibus assimiles na- » tant (1). »

Littora huius lacus montibus consepta sunt, praeterquam ad septentrionem, ubi solum est planum, sterile, exustum, cineribus tectum, et sale imbutum. In hac planitie crescit *Solanum Melangenae*, quod etiam *vitis Sodomae* nuncupatur. Mala, quae producit, appellantur *botri venenati*, et *uvae amarae*. Specie pulcra sunt, sed interius corrupta et cineribus plena (2). Moyses ad hosce fructus alludit cum dicit: « De vi- » nea Sodomorum vinea eorum, et » de suburbanis Gomorrhae: uva » eorum uva fellis, et botri amaris- » simi (Deut. XXXII, 32). »

Verno tempore circa hunc lacum, ob copiosiores Iordanis aquas intumescentem, foveae excavantur, in quibus aquae decrescente lacu subsidunt, et in vapores solutae salis crustam deponunt. Hoc sale tota fere vicina regio utitur. Conf. Ezech. XLVII, 11.

§ XIII. Alii Palaestinae fluvii et torrentes.

654. Fluvii et torrentes, qui in mare Mortuum labuntur sunt

1° Saphia vel Saphria; 2° Zered; 3° torrens Arnon, et 4° torrens Cedron (Ioan. XVIII, 1). Hic ultimus torrens perfluit vallem Iosaphat Hierosolymam inter et montem Olivarum. Vix aquas habet nisi verno tempore. Christus hunc torrentem transiit cum discipulis quando, ante passionem, patrem suum coelestem ibat adoraturus (Ioan. XVIII, 1).

Caeteri celebriores fluvii ac torrentes, quorum in libris sacris mentio fit, sunt

1° Belus seu Beleus, qui prope Ptolemaidem in mare Mediterraneum fluit. Eius arena quondam ad vitrum conficiendum adhibita fuit, indeque parvus iste fluvius celeber evasit (3).

2° Torrens Cison vel Cisson aut Kisson.

3° Torrens Arundineti.

4° Torrens Botri.

5° Torrens Besor.

6° Torrens Iaboc.

7° Torrens Iaser.

8° Torrens Carith, prope quem propheta Elias a corvis pastus fuit (III Reg. 17).

§ XIV. Divisio Palaestinae sub Iosue.

655. Palaestina sub Iosue, Moysis in ducem hebraeorum successore, in duodecim regiones seu partes divisa fuit. Posteri Iosephi patriarchae duas quidem partes sortiti sunt, unam nempe Ephraim tribui, alteram Manassis assignatam; at tribus Levi non singularem ullam regionem obtinuit, sed quadraginta octo dumtaxat civitates, quae variis in regionibus dispersae erant. Duodecim partes regionis Chanaan seu Palaestinae duodecim tribubus assignatae fuerunt.

1° Tribus Ruben, 2° Gad, 3° Manasse, 4° Iuda, 5° Simeon, 6° Dan, 7° Beniamin, 8° Ephraim, 9° Issachar, 10° Aser, 11° Zabulon, 12° Nephthali.

§ XV. Divisio Palaestinae aevo Christi nostraque aetate.

656. Aevo Christi haec regio divisa erat in provincias *cis Iordanem* et *trans Iordanem* sitas. Provinciae cis Iordanem erant numero tres, scilicet

(1) Fl. Ioseph. de Bello Iud. lib. 5, c. 5. Conf. Iustin. Hist. lib. 36.

(2) Conf. Fl. Ioseph. de Bello Iud. lib. 5, c. 5, et Tacit. Annal. lib. 5.

(3) Conf. Plin. Hist. nat. lib. 36, c. 26, et Tacit. Annal. lib. 5.

Prima erat Galilaea, continens partem septentrionalem Palaestinae, Phaenicia, Syria, Iordane, lacu Genesareth et planitie Esdrelon circumdatam. Dividebatur haec provincia in *Galilaeam superiorem*, seu septentrionalem, et in *Galilaeam inferiorem*, seu australem. Pars prior vocabatur etiam *Galilaea gentium* (Matth. IV, 15), eo quod maior pars incolarum ex gentilibus constaret.

Christus in Galilaea, in civitate Nazareth (Luc. I, 26) conceptus et educatus, atque ut plurimum conversatus fuit. Ibi publicum suum munus exorsus est, pluraque miracula edidit. Quare *Galilaeus* ipse eiusque itidem apostoli, necnon christiani *Galilaei* nuncupati sunt. Iulianus imperator christianos omnes ex contemptu *Galilaeos* appellabat.

Secunda provincia cis Iordanem erat Samaria, quae se a vico Ginea et ab urbe Scythopoli usque ad Acrabatanem et civitatem Annuath, non vero usque ad mare Mediterraneum, protendebat (1).

Tertia provincia erat Iudaea. Praecincta erat mari Mediterraneo. Arabia Petraea, mari Mortuo, Iordane et Samaria.

Regio trans Iordanem vocabatur *Peraea* a voce graeca πέραν *trans*, ad orientem fluminis Iordanis nempe, significante. Complectebatur vero octo provincias, seu tractus:

1° Peraeam arctiori significatione, a torrente Arnon usque ad torrentem Iaboc.

2° Galaad ad septentrionem torrentis Iaboc.

3° Decapolim, quae praeter plures civitates minores complectebatur decem urbes maiores et celebres, a gentilibus potissimum inhabitatas. Urbes istae erant Caesarea Philippi Bethsaida, Corozaim, Capharnaum, Gadara, etc.

(1) Conf. Fl. Ioseph de Bello Iud. lib. 3. c. 2.

4° Gaulonitim, ad orientalia littora lacus Genezareth et Iordanis usque ad Hermonem.

5° Bathanaeam ad orientalem Gaulonitidem, et septentrionalem Galeaditidem sitam.

6° Auranitidem, etiam Ituraeam vocatam (Luc. III, 1), ad septentrionem Bathanaeae, et orientem Gaulonitidis.

7° Trachonitidem ad orientem Caesareae Philippi, et ad septentrionem Auranitidis.

8° Abilenem, quae erat tractus Phoeniciae circa Libanum. Vocata fuit Abilene Lysaniae a Lysania eius tetrarcha (Luc. III, 1).

657. Palaestina modo sub ditione turcarum est, atque dividitur in tres *Melkanes*, seu partes haereditarias, quae sunt Iafa, Loudd et Gaka; prima pertinet ad matrem imperatoris turcarum Validè (*ossia la sultana madre*), et duae aliae ad praefectum rei maritimae (*Capudan Pascià*).

SECTIO II.

DE DIVISIONE TEMPORIS APUD HEBRAEOS

§ XVI. De die, nocte et horis. Divisio diei.

658. Dies alius *naturalis* est, alius *civilis*: prior, seu solaris, est spatium viginti quatuor horarum, alter est tempus, quo populus aliquis initium et finem diei solet determinare. Initium ac finis diei apud varios populos varia semper fuerunt, hodieque sunt. Babylonii dies suos numerabant ab uno ortu solis ad alium, itali etiamnum dies suos computant ab uno occasu solis ad alterum, catholici vero romani ab una media nocte ad aliam.

Hebraei tam pro sacris quam pro civilibus rebus ab uno occasu solis ad alterum diem computabant: « A » vespera usque ad vesperam cele- » brabitis sabbata vestra, » ait Moyses hebraeis (Lev. XXIII, 32). Ecclesia catholica hunc usum antiquum

retinuit in celebratione officii divini.

Solebant antiqui hebraei diem integrum, seu spatium viginti quatuor horarum, designare per voces *vespere et mane:* « Factumque est ve- » spere et mane, dies unus (Gen. I, » 5) » aut per *noctem et diem:* « Nox » et dies non requiescent (Gen. VIII, » 22) » atque diem et noctem quandoque vocabant partem aliquam diei et noctis (Matth. XII, 40).

Primaevos homines diem divisisse in tres partes, nempe mane, meridiem et vesperam, sole scilicet oriente, medio et occiduo, naturale omnino fuit.

Antequam horis iudaei uterentur diem dispescebant in sex partes inaequales, prout nostra adhuc aetate arabes dividunt. Hae partes erant:

1° Aurora, seu crepusculum matutinum (Iob III, 9; XXIV, 17.)

2° Mane quando sol surgit (Gen. XIX, 15).

3° Fervor seu calor diei, qui circa horam nonam inchoat (I Reg. XI, 11).

4° Meridies (Gen. III, 8; XLIII, 16).

5° Ventus seu aura diei, qui in calidis regionibus Orientis singulis diebus ante solis occasum usque ad vesperam aliquot horas spirat (Gen. III, 8).

6° Vespera, cuius prima pars occidente sole, et altera ingruentibus tenebris incipiebat.

Horae ante captivitatem babylonicam in libris sacris non eo sensu commemorantur quo nunc sumuntur. Hoc enim sensu prima illarum mentio fit Dan. III, 6. Horae ab initio ad gnomones exigebantur, qui meridiem dumtaxat indicabant, dein ad horologia solaria exacta sunt. Primum horologium solare occurrit IV Reg. 20, 9-11 *. Cum autem sole splendescente gnomones et horologia solaria nullius essent usus, excogitatae sunt Clepsydrae **.

Hebraei deinde spatium quo sol regionem illustrat, diviserunt in quatuor partes, quarum quaelibet tres horas complectebatur. Cum autem sol diutius aestatis quam hiemis tempore luceat, horae istae tempore aestivo quam hiberno erant longiores. Partes istae diei, quae ab Ausonio *trihoria* nuncupantur, dicebantur hora prima, tertia, sexta et nona. Hora prima inchoabatur cum ortu solis, durabatque tres circiter ex horis nostris. Tertia hora inde incipiebat, et durabat usque ad meridiem. Hora sexta inchoabatur a meridie, et nostra hora tertia pomeridiana terminabatur. Nona hora inde incipiebat et desinebat cum occasu solis, ita ut ultima hora quarti trihorii esset hora duodecima diei. Hora tertia, sexta, et nona iam occurrunt Dan. VI, 11-13, collat. cum Act. II, 15; III, 1; X, 3, 9. Ps. LIV, 18, ut precibus destinatae. Marcus XV, 25, hoc modo horas numerat (n. 567).

Hebraei insuper diem dividebant in duodecim horas, ex quibus quatuor illa trihoria constabant. Prima hora incipiebat cum solis ortu, sexta erat meridies, et duodecima cum occasu solis desinebat. Quare Christus Ioan. XI, 9: « Nonne, ait, duo- » decim sunt horae diei? » Ioannes XIX, 14, hoc modo horas numerandi utitur (n. 567).

Hebraei duas distinguebant *vesperas:* prima incipiebat post meridiem circa nostram horam pomeridianam secundam, atque durabat usque ad

* Posteriori aetate Anaximenes, philosophus milesius, qui saeculo quarto ante Christum vixit, horologium solare inter graecos excogitavit, illudque lacedaemonibus obtulit, ut scribit Plinius (Hist. Nat. lib. 2, c. 76). Alii vero honorem inventi horologii solaris in Graecia deferunt Anaximandri philosopho, Anaximenis magistro.

** Clepsydra apud persas saeculo decimo septimo adhuc usurpata huiusmodi erat: Scutella, tenuissima constans aerea lamina, in ima parte exiguo pertusa foramine, in vasi aqua repleto imponebatur. Aqua trium horarum spatio per foramen permeante scutella implebatur et submergebatur, atque ita singula submersione tres horas indicabat

solis occasum; altera vespera inchoabatur ab occidente sole. Quare tempus inter primam et secundam vesperam elapsum, *inter duas vesperas* vocabatur.

§ XVII. Divisio noctis.

659. Ante captivitatem babylonicam hebraei noctem in tres dumtaxat vigilias dividebant. Prima vigilia vocatur (Lament. II, 19) *principium vigiliarum*, et ab occasu solis usque ad mediam noctem durabat. Secunda vigilia nuncupatur (Iudic. VII, 19), *vigilia noctis mediae*, et a media nocte usque ad gallicinium perdurabat. Tertia vero vigilia appellatur (Exod. XIV, 24) *vigilia matutina*, atque a gallicinio usque ad ortum solis durabat. Hae partes noctis ita nuncupatae fuisse videntur a vigiliis, quas levitae in tabernaculo et in templo obibant.

Christi aetate iudaei ad exemplum romanorum noctem in quatuor vigilias partiebantur. Prima vigilia inchoabatur ab occasu solis, tres horas durabat, ac *vespera* dicebatur (Marc. XI, 19). Secunda vigilia usque ad mediam noctem perdurabat, ideoque *media nox* nuncupatur (Matth. XXV, 6). Tertia vigilia usque ad nostram horam tertiam matutinam durabat, atque *cantus galli*, seu gallicinium, dicebatur (Marc. XIII, 35). Quarta tandem vigilia cum oriente sole desinebat, atque *diluculum* vocabatur (Io. VIII, 2). Hae vigiliae quandoque etiam alia nomina sortiebantur.

§ XVIII. De hebdomadibus.

660. Numerus *septem* apud hebraeos, ob memoriam creationis septimo die absolutae, sacer erat. Periodus septem dierum ab illis hebdomada vocabatur (Gen. XXIX, 27-28), septima vero die *sabbatum* erat. Ab hoc die, ut a praecipua hebdomadis parte, hebraei totam hebdomadem sabbatum vocabant (Luc. XVIII, 12). Dies hebdomadis nominibus propriis carebant, et nuncupabantur prima, secunda, tertia dies sabbati, qui respondebant diei solis, lunae, martis, etc., dies vero septima, seu sabbatum, respondebat diei Saturni. Nomina Solis, Lunae, et planetarum Martis, Mercurii, etc., diebus hebdomadis ab aegyptiis indita fuerunt. Cum hebraei una eademque voce utantur ad significandum *primum* ac *unum*, *una sabbati* vel *sabbatorum* apud eos significat primam diem hebdomadis (Marc. XVI, 19; Luc. XXIV, 1; Ioan. XX, 1).

Hebraei autem hellenistae sextam diem hebdomadis, seu vigiliam sabbati, vocant Παρασκευή, *Parasceve* (Marc. XV, 42), quae vox graeca *praeparatio* sonat. Dies sexta hebdomadis Parasceve seu praeparatio dicta fuit, quod hebraei eo die cibos in diem sabbati praeparare deberent; eos enim septimo praeparare nefas erat.

Iudaei non hellenistae sextam diem hebdomadis appellabant vesperam sabbati, quae vespera incipiebat hora nona, seu circa nostram horam tertiam pomeridianam.

Praeter hebdomades septem dierum hebraeis in usu erant 1° hebdomades septem hebdomadum, seu quadraginta novem dierum a festo paschatis usque ad festum pentecostis, quod ultimum festum diem in quinquagesimum incidebat, et *Festum hebdomadarum* vocatur (Deut. XVI, 9-10); 2° hebdomades septem annorum (Lev. XXV), quarum septimus annus vocabatur *annus sabbaticus* (conf. n. 665), atque 3° hebdomades septem annorum sabbaticorum, seu quadraginta novem annorum, quae periodus claudebatur anno *iubilaeo*, in annum quinquagesimum incidente (conf. n. 666). Fl. Iosephus adhuc meminit periodi

duodecim annorum iubilaeorum, seu sexcentorum annorum (1); at libri sacri de ea silent.

§ XIX. De mensibus et anno hebraeorum.

661. Ortus et occasus solis diem determinarunt, septemque dies hebdomadem in memoriam creationis constituerunt. Phases vero lunae primaevis hominibus procul dubio menses determinandi occasionem praebuerunt. Cum enim viderent lunam post viginti novem dies cum dimidio cursum suum renovare, absque dubio hoc temporis spatium notarunt, quod dein *mensis* dictum est.

Verisimile est homines primaevos quippe astronomiae adhuc ignaros, non ad solis cursum, sed ad reditum aestatis fructuumque maturitatem annum exegisse. Quum enim utraque sub initio post duodecim circiter menses lunares recurrere videretur, annum verisimiliter ad hanc periodum exegerunt, isque proinde nonnisi 354 diebus primitus constitit.

Sed cum post aliquot huiusmodi annos tempestates haud amplius iisdem mensibus recurrerent, annus lunaris ad solarem redigi debuit, quod iam ante diluvium fieri coeptum est. Annum solarem ex duodecim mensibus triginta dierum constantem ante diluvium adhibitum fuisse, ex historia, quam Moyses ex documentis coaevis, verisimiliter Noë familiae propriis, de diluvio contexuit, patet (2). Cum vero duodecim menses triginta dierum nonnisi 360 dies conficiant, mensi duodecimo quinque dies adiiciendi erant, ut annus solaris 365 dierum haberetur.

Nihilominus Moyses hebraeis annum lunarem, ad solarem tamen redigendum, praestituit. Cum enim menses singulos a prima phasi lunae incipi, consequenter cum ultima phasi finiri statuisset, sequitur menses hebraeorum lunares fuisse, eorumque annum proinde lunarem. Moyses autem, ut hic annus 354 dierum ad annum solarem 365 reduceretur, sacerdotibus praecepit, ut secunda die paschatis, seu decima sexta die post neomeniam mensis Nisan, primi mensium anni sacri, manipulum maturum ad altare offerrent. Si enim seges ultimo mense anni sacri nondum matura fuisset, cogebantur sacerdotes mensem adiicere. Hoc vero singulis fere tribus annis praestare debebant, cum undecim dies, qui in anno lunari quotannis deerant ad annum solarem conficiendum, spatio trium annorum lunarium plusquam mensem integrum constituerent. Quare hebraei singulis circiter tribus annis lunaribus mensem unum inter Adar mensem ultimum, et Nisan mensem primum anni sacri, intercalabant, quem *Veadar* seu secundum mensem Adar vocabant.

Hebraei igitur menses lunares annumque lunarem ad solarem redigendo, improprie annum solarem habuerunt, eumque servarunt. Quare auctor Ecclesiastici: « Luna, inquit... » ostensio temporis, et signum aevi. » A luna signum diei festi... mensis » secundum nomen eius (3) ». Graeci pariter annum iuxta cursum solis, et menses iuxta lunam metiebantur: « Universi graeci, ait Geminius, an» nos iuxta solem, menses vero et » dies iuxta lunam agebant (4). »

§ XX. Nomina mensium hebraeorum.

662. Menses hebraeorum antiquitus nominibus propriis haud distinguebantur, et vocabantur *mensis primus, secundus, tertius*, etc. (5). In

(1) Fl. Ios. Antiq. lib. 1, c. 3.
(2) Gen. VII et VIII.
(3) Eccli. XLIII, 6-8.
(4) Gemin. Isagog. c. 6.
(5) Gen. VII, 11, VIII, 4, 5. Lev. XXIII, 34

libris Moysis mensis *Abib*, seu *novarum spicarum* unus memoratur, aut *novarum fructuum*, qui primus mensis anni sacri, postea *Nisan* dictus fuit (1).

In captivitate vero babylonica iudaei nomina mensium chaldaeorum seu babyloniorum adoptarunt. Cum autem menses lunares sint viginti novem dierum cum dimidio, hebraei primo mensi triginta, sequenti viginti novem dies sicque alternatim assignarunt.

Cum anno duplici uterentur, sacro nempe, iuxta quem officia templi, et res religionis peragebantur, annoque civili, secundum quem res civiles dirigebantur, primum tempore verno a prima neomenia mensis Nisan, qui respondet mensi martio, et iuxta recentiores nonnullos, mensi aprilis; alterum vero tempore autumnali a prima neomenia mensis Tisri seu Tischri, qui respondet mensi septembris, et iuxta quosdam recentiores, mensi octobris, inchoabant. En nomina mensium hebraeorum iuxta annum sacrum :

1° *Nisan* (II Esdr. II, 1) antiquitus *Abib* dictus, 30 dierum. Incipiebat a prima neomenia mensis martii vel aprilis.

2° *Ziv* (III Reg. VI, 1, 27), seu *Ijjar*, 29 dier. Incipiebat a prima neomenia aprilis vel maii.

3° *Sìvan* (Esth. VIII, 9), 30 dier. Incipiebat a prima neomenia maii vel iunii.

4° *Tammuz* 29 dier. Incipiebat a prima neomenia iunii vel iulii.

5° *Ab*, 30 dier. Incipiebat a prima neomenia iulii vel augusti.

6° *Elul*, 29 dier. Incipiebat a prima neomenia augusti vel septembris.

7° *Tisri*, seu *Tischri*, 30 dierum. Incipiebat a prima neomenia septembris vel octobris.

(1) Exod. XIII, 4; XXIII, 15; XXXIV, 18. Deut. XVI, 1.

8° *Bul* (I Reg. VI, 38) etiam *Marcheschvan* nuncupatus, 29 dier. Incipiebat a prima neomenia octobris vel novembris.

9° *Casleu*, vel *Kisleu* (Zach. VII, 1), 30 dier. Incipiebat a prima neomenia novembris vel decembris.

10° *Tebeth* (Esth. II, 16), 29 dier. Incipiebat a prima neomenia decembris vel ianuarii.

11° *Sabath*, seu *Scebat* (Zach. I, 7), 30 dier. Incipiebat a prima neomenia ianuarii vel februarii.

12° *Adar* (Esth. III, 7), 29 dier. Incipiebat a prima neomenia februarii vel martii.

Mensis quem hebraei singulis fere tribus annis intercalabant, *Ve-Adar*, seu *secundus Adar* nuncupabatur ; inter menses Adar et Nisan collocabatur, atque 29 dierum erat.

SECTIO III.

DE TEMPORIBUS SACRIS HEBRAEORUM

§ XXI. De temporibus sacris hebraeorum generatim.

663. Deus apud populum suum electum varios dies festos instituerat, tum ad perennem memoriam praecipuorum benefactorum, quae illi impertiri dignatus fuerat, tum ut ope caeremoniarum externique cultus maiestate, divinae illum religioni addiceret; tum ut a laboribus requiem, certaque gaudia illi procuraret; tum ut ipsum edocendi occasionem suppeditaret, cum lex Moysis in religiosis conventibus legeretur atque exponeretur; tum ut variae populi electi familiae in unum coetum convenientes, charitatem mutuam renovarent, arctiorique secum invicem nexu perstringerentur.

Festa hebraeorum alia per legem Moysis, et alia deinceps per iudaeos instituta sunt.

Festa legis mosaicae sunt 1° *Sabbatum*, 2° *Neomenia*, 3° *Pascha*, 4° *Pentecostes*. 5° *Festum tabernaculo-*

rum, seu Scenopegiae, 6° Festum *collectae* et 7° Festum *expiationis* seu propitiationis.

Festa vero ab hebraeis instituta sunt 1° festum *Purim* seu sortium, et 2° festum *Encaeniorum*.

§ XXII. De sabbato.

664. Antiquissimum festum hebraeorum est *Sabbatum*, seu septima dies hebdomadae, institutum in memoriam septimi diei mundi, quo Deus a procreandis novis rerum speciebus cessavit (Gen. II, 2-3).

Hac die iudaeis vetitum erat vel ipsos parare cibos, immo ignem accendere (Exod. XXXV, 1-3). Cum sabbatum requiem a laboribus, et diei sanctificationem indiceret, festa alia iudaeorum saepe sabbata vocantur, ut Lev. XXIII, 11; XXIV, 32. Immo hebdomada ipsa quandoque ab hac praecipua die sabbatum vocitatur, ut Luc. XVIII, 12: *ieiuno bis in sabbato*, id est in hebdomade.

Nonnulli quidem hac nostra aetate negant institutionem sabbati ex Gen. II, 2-3 posse probari, propterea quod sequentibus temporibus de sabbato celebrando nulla mentio habeatur.

Ast cum Moyses (Exod. XX, 8), populo hebraico dicat: « Memento ut » diem sabbati sanctifices, » eius institutionem ut notam sumsit, eo magis quod nullibi praestituat quae die sabbati agenda vel omittenda sint, utpote ex institutione sabbati notissima.

Scopus autem praecipuus sabbati erat, per cessationem a laboribus huiusque diei sanctificationem, fateri Deum hoc universum creasse, septimo die a procreandis novis rerum speciebus cessasse, illumque pietate ac morum probitate colendum esse. Quare profanatio huius diei ultimo supplicio punienda erat: « Sex die» bus, ait Moyses israëlitis, facietis » opus: septimus dies erit vobis » sanctus, sabbatum, et requies Do» mini: qui fecerit opus in eo occi» detur (Exod. XXXV, 2). »

Scopus vero secundarius sabbati erat ut homines, mancipia praesertim, illa die per quietem vires resumerent, atque de Deo beneficentissimo, qui hanc requiem instituerat, gauderent: « Sex diebus operaberis, » ait Deus populo hebraeo; septimo » die cessabis, ut quiescat bos et » asinus tuus: et refrigeretur filius » ancillae tuae et advena (Exod. » XXIII, 12). »

§ XXIII. De anno sabbatico.

665. Ad sabbatum referendus est *annus sabbaticus*. Hic enim quovis anno septimo, quemadmodum sabbatum quovis die septimo recurrebat.

Annus sabbaticus institutus fuit ad creationem huius universi septimo die absolutam, cultumque creatoris quovis septimo anno peculiariter in memoriam revocanda. Annus hic incipiebat prima die mensis septimi, seu Tisri, qui respondet nostro mensi septembris vel octobris.

Hoc anno iudaei 1° prohibebantur agros suos conserere, et metere, vineas putare, et sua sponte enata colligere (Exod. XXIII, 10-11; conf. n. 57).

2° Eodem anno debita venditionis aut mutui causa poterant hebraei a peregrinis vel gentibus, neutiquam vero ab hebraeis, repetere.

3° Eodem anno mancipia hebraeorum, neutiquam vero alienigenarum, manumittebantur.

4° Eodem anno lex Deuteronomii Moysis a sacerdotibus festo tabernaculorum in tabernaculo vel templo populo universo praelegenda erat (Deut. XXXI, 10, 12).

Hac anni sabbatici institutione insuper consulebatur chronologiae he-

braeorum; tellus vires suas reficiebat; pauperes sublevabantur; sua enim sponte enata illis, peregrinis ac feris erant relinquenda; ferarum genera conservabantur; iudaei parsimoniae studebant, industriaeque assuescebant, quippe quibus fruges annis superioribus essent congerendae, ut hac ratione famem annonaeque caritatem praecaverent (conf. n. 57).

§ XXIV. De anno iubilaeo.

666. Septem annos sabbaticos excipiebat apud hebraeos *annus iubilaeus*, ita ut quinquagesimus annus esset annus iubilaeus, non vero quadragesimus nonus, ut nonnulli autumarunt.

Annus iste computabatur ab exordio anni sabbatici; quare quemadmodum primus annus sabbaticus fuit annus septimus a primo anno occupationis et culturae regionis Chanaan; ita primus annus iubilaeus fuit quinquagesimus annus occupationis atque culturae huius regionis.

Anno iubilaeo 1° remittebantur omnia debita, 2° mancipia, etiam quae legitima de causa nondum fuerant manumissa, libertatem nanciscebantur; 3° praedia maiorum divendita aut alienata ad antiquos haeredes sine pretio aut compensatione redire debebant, ideoque annus iubilaeus vocabatur annus remissionis (Lev. X, etc.).

Hoc anno iubilaeo denuo tum chronologiae hebraeorum consultum erat, praesertim vero pauperibus, quippe qui aut aere alieno, aut servitute liberabantur, aut bona avita recuperabant.

§ XXV. De neomeniis.

667. Νεομηνία, *Neomenia*, graece *novam lunam*, novum mensem, primumque diem mensis lunaris designat. Interpres latinus mori romanorum se accommodans primum diem cuiuslibet mensis hebraeorum, seu neomeniam, calendas vocat. Neomenia autem non a coniunctione lunae cum sole, sed a prima phasi lunae computabatur.

Moyses hunc diem peculiari religione iusserat celebrari, quia eo die provida Dei gubernatio in renovatione phasium lunae valde conspicua est. Ut autem superstitiones gentilium inde arceret, praecepit ut in neomeniis, praeter quotidiana sacrificia, duo vituli, aries, septem agni anniculi, cum farina oleo perfusa, et libamine vini, offerrentur Deo in sacrificium, hircus pro peccato immolaretur, utque sacerdotes tubis clangerent: « In calendis offeretis » holocaustum Domino, ait Moyses » hebraeis, vitulos de armento duos, » arietem unum, agnos anniculos, » septem immaculatos, et tres decimas similae oleo conspersae in » sacrificio per singulos vitulos: et » duas decimas similae oleo conspersae per singulos arietes: et decimam decimae similae ex oleo in » sacrificio per agnos singulos, holocaustum suavissimi odoris atque » incensi est Domino. Libamenta autem vini, quae per singulas fundenda sunt victimas, ista erunt: » media pars hin per singulos vitulos, tertia per arietem, quarta per » agnum. Hoc erit holocaustum per » omnes menses, qui sibi anno vertente succedunt. Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis in holocaustum sempiternum cum libamentis suis. » (Num. XXVIII, 11-15. Conf. Num. X. 10).

Celebratione neomeniarum rursus chronologiae hebraeorum consulebatur. Poterant autem iudaei diebus neomeniarum consueta eorum officia obire.

§ XXXI. Neomenia novi anni, seu festum tubarum.

668. Omnium solemnissima erat neomenia mensis septimi, Tisri vocati, quo annus civilis inchoabatur. Mensis iste respondet mensi septembri vel octobri. Dies haec sacra erat, atque feriata ad quidquam agendum. « Mense septimo, ait Moyses, prima die mensis, erit vobis sabbatum, memoriale, clangentibus tubis, et vocabitur sanctum : omne opus servile non facietis in eo, et offeretis holocaustum Domino (Lev. XXIII, 24-25). » Cum hoc festo initium anni civilis sonitu tubarum annuntiaretur, solemnitas haec *Festum tubarum* nuncupata fuit.

Praeter sacrificia quae in aliis neomeniis offerebantur, sacrificari debebant in holocaustum vitulus, aries, septem agni anniculi, cum farina oleo perfusa, et libamine vini. Hircus offerendus erat pro peccato (Num. XXIX, 1, etc.).

Gentiles quondam primum diem mensis in honorem lunae celebrarunt; hunc autem cultum, variis superstitionibus refertum, vel a neomeniis hebraeorum mutuati sunt, vel lunam coluerunt quod tum denuo conspicua fieret, neutiquam vero hebraei suas neomenias a gentilium cultu lunae deprompserunt, ut Ioan. Spencerus in sua dissertatione in neomenia evincere vellet (1).

§ XXVII. De festis solemnioribus hebraeorum generatim.

669. Solemniora festa hebraeorum erant festa *Paschatis, Pentecostis,* et *Tabernaculorum.*

Festa paschatis et tabernaculorum celebrabantur cum octava ; prima autem et ultima illorum dies tantummodo sacrae erant, his vero diebus iudaeis suos cibos parare licitum erat (Exod. XII, 16. Lev. XXIII, 35). Festum pentecostis sine octava celebrabatur.

Ad tria haec festa celebranda omnes iudaei adulti se antiquitus ad tabernaculum, et postea ad templum hierosolymitanum conferre debebant. Munera offerebant ex secundis decimis, secundis pecudum primogenitis, et secundis primitiis constantia; sacrificia offerebant, convivia instituebant, atque Deo de collatis sibi ac nationi beneficiis gratias persolvebant.

§ XXVIII. De festo paschatis.

670. Hoc festum in memoriam insignis liberationis israëlitarum ex Aegypto, et conservationis eorum primogenitorum ab angelo exterminatore, aegyptiorum primogenitos interimente, institutum (Exod. XII), solemnissimum festum hebraeorum erat. Ab hebraico *Pesach*, transire significante, *Pascha,* quod graeci etiam *Phase* dicunt, seu *transitus* nuncupatum fuit, eo quod nocte israëlitarum egressum ex Aegypto antecedente angelus exterminator domos hebraeorum praeterierit, quarum postes sanguine agni paschalis tincti fuerant (Exod. XII).

Decima quarta die mensis Abib, postea Nisan dicti, seu primi mensis anni sacri, inter duas vesperas, hoc est spatio, quod inter nostram horam secundam pomeridianam usque ad sextam circiter vespertinam interfluit, agnus paschalis immolandus erat (Exod. XII).

Iam decima die huius mensis paterfamilias agnum anniculum, vel hoedum seponebat (Exod. XII, 1-6), quem decima quarta die eiusdem mensis inter duas vesperas in tabernaculo, et postea in templo ad aram immolabat (Exod. ibid.), et sacerdos eius sanguinem ad pedem altaris fundebat. In Aegypto, quando festum paschatis prima vice celebra-

(1) Spencer, de legibus hebraeorum ritualibus etc. lib. 3, cap. 1, dissert. 4.

tum fuit, patresfamilias sanguine agni postes suarum domuum tinxerunt (Exod. XII, 7).

Agnus paschalis duobus baculis, altero per longum, et altero ad pedes anteriores transversim perfossus, et sic quasi crucifixus integer assabatur in clibano. Assatus manducabatur cum herbis amaris, seu lactucis agrestibus, quo sapidior fieret. Agnus in qualibet familia immolandus erat, sed ad illum comedendum non plures quam viginti, et non pauciores quam decem, praesentes esse debebant: quod si horum aliqui in aliqua familia desiderarentur, ex altera familia assumendi erant. Hebraei in prima celebratione paschatis, seu in Aegypto, calceati et succincti baculos prae manibus habentes, tanquam ad iter parati, agnum paschalem celeriter comederunt, quae adiuncta postea omissa sunt. Agnus paschalis integer comedendus erat, neque ossa eius frangenda (Exod. XII, 46. Num. IX, 12), quod utrumque semper observatum fuit (Conf. Ioan. XIX, 36). Quae de agno paschali supererant, in ignem proiicienda erant. Qui, non legitime impeditus, celebrationem paschatis neglexisset, reus erat mortis (Num. IX, 13).

Septem diebus festi paschatis non nisi panes azymi manducari poterant, et ideo hoc festum solemnitas azymorum dicebatur (Exod. XXIII, 15). Qui panem fermentatum eo tempore comedisset, capitis reus erat (Exod. XII, 18-19). Vespere diei decimae quartae mensis Nisan fermentatum e domibus maxima religione auferebatur, nec ex eo quidquam per totam hebdomadem conspiciendum erat. D. Paulus I Cor. V, 7, ad hunc ritum alludit, dum corinthios hortatur ut *purgent vetus fermentum*.

Agnus paschalis antiquitus in tabernaculo, extructo autem templo hierosolymitano, Hierosolymae in templo immolandus erat (Deut. XVI, 5-6): quare iudaei eversis Hierosolymis coenae paschatis primaevae memorialem alteram suffecerunt, in qua multi servantur ritus ex iis qui stante adhuc templo observati fuisse videntur. Conf. Matth. XXVI, 23-27. I Cor. XI, 26-27.

Decima quinta mensis Nisan, seu prima dies azymorum, erat solemnissima dies festi paschalis (Lev. XXIII, 7), atque omnia opera servilia severissime prohibita erant (Ibid.). Decima sexta vero die eius mensis, seu secunda die paschatis, offerebatur primus maturus manipulus hordei atque in holocaustum agnus anniculus cum farina et libamine immolabatur. Hoc ritu consecrabatur messis (Lev. XXIII, 5-13). Singulis aliis diebus hebdomadis paschalis holocausta et victimae pro peccato immolabantur (Num. XXVIII, 16, etc.).

§ XXIX. De festo pentecostis.

671. Hoc festum ab hebraeis celebrabatur quinquaginta diebus post secundam diem paschatis, seu decimam sextam mensis Abib aut Nisan, proinde sexto die mensis sivan: et ideo *festum hebdomadarum* (Deut. XVI, 10) dicebatur, quia septem nempe hebdomades dierum a festo paschatis elapsae erant. Graece dictum fuit Πεντεκοστή, *Pentecoste*, seu *quinquagesima* dies a paschate.

Festum hoc institutum fuit in memoriam legis Moysi a Deo in monte Sinai datae, quinquagesima die post israëlitarum egressum ex Aegypto. Finis huius festi erat, Deo pro data lege mosaica et pro messe solemnes gratiarum actiones reddere; quare etiam *solemnitas messis primitivorum* seu primitiarum vocabatur (Exod. XXIII, 16).

Duo panes ex farina novarum fru-

gum, atque decima pars ephae eiusdem farinae, ut primitiae messis offerebantur; quare pentecostes *dies primitivorum* nuncupabatur (Num. XXVIII, 26). Hoc festo plura holocausta, et sacrificium pro peccato, offerebantur (Lev. XXIII, 18-20). Ad festum pentecostis iudaei undequaque Hierosolymam concurrebant (Act. II).

§ XXX. De festo tabernaculorum, seu Scenopegiae et Collectae.

672. Festum tabernaculorum institutum fuit in memoriam itineris israëlitarum per Arabiam Petraeam, ubi sub tabernaculis seu tentoriis habitarunt, atque hinc *festum tabernaculorum*, et graece Σκηνοπηγία, *scenopegia*, nuncupatum fuit, simul autem in gratiarum actionem collectionis fructuum et vindemiae celebratum fuisse videtur.

Celebrabatur hoc festum a decima quinta die mensis septimi seu Tisri usque ad vigesimam tertiam, per octo nempe dies continuos. Octava dies peculiare festum erat (Lev. XXIII, 34-44).

Hebraei his octo diebus sub tabernaculis seu tentoriis, ut in itinere per Arabiam Petraeam, habitare debebant (Lev. XXIII, 34-44). Haec tentoria super domos, aequato tecto in Palaestina coopertas, vel aliis in locis extruebant, atque ipsis extra illa dormire, comedere ac bibere vetitum erat *.

Primo die festi tabernaculorum iudaei manibus ferre debebant fructus arboris pulcherrimae, quae creditur esse citrus seu malus medica, spatulas palmarum, ramosque aliarum arborum frondosarum (Lev. XXIII, 40-41). Hebraei hos ramos in fasciculos colligatos tota prima die gestabant, atque in ipso tabernaculo vel templo retinebant. Aliis diebus huius festi hosce ramos dumtaxat ad tabernaculum vel templum ferebant, ubi illos prae manibus tenentes altare circumdabant, atque laetum hosanna canebant, tubae autem eo tempore undique resonabant. Visio Apocalypsis VII, ubi Ioannes describit sanctos palmas manibus ferentes, et thronum agni circumdantes, laudatae hebraeorum caeremoniae analoga est. Septima vero die festi tabernaculorum iudaei septies altare circumibant, in memoriam expugnationis Ierichuntis, haecque caeremonia *magnum hosanna* appellabatur.

Laetissima autem solemnitas huius festi haec erat. Sacerdos singulis diebus huius festi mane vaso aureo aquam ex fonte Siloë hauriebat, solemniter in templum deferebat, atque in sacrificio matutino in cornu australi altaris vino mixtam effundebat, levitis laete canentibus, et tibiis undique concinentibus. Iesus iuxta Ioan. VII, 37, ultimo die festi tabernaculorum huic caeremoniae intererat, atque exclamabat: « Si » quis sitit veniat ad me, et bibat,» docens se esse illum fontem perennem, de quo propheta Zacharias loquitur c. XIII, 1.

Diebus festi tabernaculorum plura sacrificia quam in aliis festis praestituta erant (Num. XXIX, 12, etc.). Iudaei oblationes faciebant, et laeta convivia agitabant (Deut. XVI, 14-15). Anno autem sabbatico diebus huius festi in tabernaculo ac dein in templo lex mosaica populo praelegebatur (Deut. XXXI, 10-13).

673. Dies octavus festi tabernaculorum solemniter celebrandus, at-

* Gentiles, qui plura a iudaeis mutuati sunt, pariter festa quaedam sub tentoriis celebrabant. Ovidius (Fast. lib. 3) ita describit festum *Annae Perennae*, quod Romae sub tentoriis viridibus agebatur:

Sub Iove pars durat, pauci tentoria ponunt;
Sunt quibus e ramis frondea facta casa est.
Pars sibi pro rigidis calamos statuere columnis:
Desuper extensas imposuere togas.

que feriatus sancte transigendus erat. Vocabatur hic dies hebraice *Hazèret* quae vox finem solemnitatis significat. Vulgatae auctor eum vocat *coetum* atque *collectam* (Lev. XXIII, 36). Existimant alii hoc die eleemosynas collectas fuisse, alii vero collecta fuisse quae ad expensas cultus divini necessaria erant.

§ XXXI. De festo expiationis seu propitiationis.

674. Festum hoc institutum fuit in expiationem peccatorum, sive voluntarie, sive errore, seu irreverenter, seu praeter legalem munditiam, ab universo populo hebraico, anno vertente, admissorum.

Celebrabatur decima die mensis tisri, qui erat mensis septimus anni sacri iudaeorum. Severum hoc festo ieiunium sub poena capitis agebatur, atque ab una ad alteram vesperam cibum aliquem sumere nefas (Lev. XXIII, 27-29); itemque aliquid operari res capitalis erat (ibid.).

Summus sacerdos unus ipse sacra operabatur. Lotus toto corpore, lineis femoralibus et tunica alba linea indutus, linea zona accinctus, itemque linea cidari seu mitra sacerdotali redimitus, iuvencum pro suis et familiae peccatis, duosque hircos pro peccatis populi ad altare ducebat; deindeque sortiebatur quis hircorum Deo sacrificandus, et quis in desertum liber esset dimittendus (Lev. XVI).

Manibus super iuvencum expansis, sua et familiae peccata confitebatur, atque hanc victimam mactabat. Prunas sacri ignis altaris thusque thuribulo imponebat, et sanctuarium ingrediebatur. Illi hac una die per annum sanctuarium ingredi licebat. Sanctuario, postquam illud thure adoleverat, egressus, pauxillum sanguinis mactati iuvenci deferens, in sanctuarium rursus ingrediebatur, et digito hoc sanguine intincto, septies inter arcam et velum, sanctum a sanctuario separans, aspergebat. Dein egressus ad cornu altaris hircum mactandum sacrificabat, et denuo sanctuarium ingressus, septem ut antea aspersiones de sanguine hirci digito faciebat. Dein atrium tabernaculi ingressus, varias aspersiones sanguine hirci peragebat. Tandem accedebat ad aureum altare thymiamatis, quatuor eius cornua sanguine hirci et iuvenci illiniebat, ipsumque septies eodem sanguine aspergebat.

Sanctuario, atrio et altari lustratis, summus sacerdos manibus super caput hirci in desertum abigendi solemniter expansis, eum omnibus peccatis populi hebraici symbolice onerabat, atque tandem viro tradebat, qui illum in desertum abduceret, ibique liberum dimitteret.

Iuvencus, qui pro peccatis summi sacerdotis eiusque familiae, et hircus, qui pro peccatis populi mactabantur, symbola erant poenae pro peccatis promeritae, haeque victimae extra castra vel urbem concremabantur (Lev. XVI). Libera vero dimissio alterius hirci symbolice significabat, israëlitas poena eorum peccatis iuxta legem mosaicam debita liberatos esse. Hircus iste *hazazel* seu *hircus emissarius* nuncupabatur.

Tandem summus sacerdos vestibus albis depositis, in tabernaculo lotus, pretiosisque vestibus sacerdotalibus indutus, holocausta pro se et pro populo, ac aliud sacrificium pro peccato offerebat (Lev. XVI) *.

* Iudaei festo expiationis hoc modo peccata sua confitentur. Duo iudaei in angulum synagogae secedunt; confessurus peccata, profunde inclinatus, dorsoque nudato, peccata sua confitetur, pectusque toties plangit, quoties alter iudaeus confessionem audiens ipsum loro percutit. Iudaeus vero confessarium agens loro triginta novem ictus confitentis dorso infligit, ter recitans verba Psalmi hebraici LXXVIII, 38: « I» pse vero (Deus) propitiabitur iniquitati, et

Absolutis festis legis mosaicae, pauca de festis per iudaeos institutis dicemus.

§ XXXII. De festo Purim, seu sortium.

675. Festum *purim*, seu *sortium*, institutum fuit a Mardochaeo, viro iudaeo, summo Assueri, seu Xersis magni, regis Persiae administro, in memoriam liberationis iudaeorum in imperio persico captivorum, ab internecione quam illis decreverat Aman pridem regis Assueri administer (Esth. IX); quare hoc festum *dies Mardochaei* etiam dictum est (II Machab. XV, 37). Festum autem *purim* seu *sortium* nuncupatur, eo quod Aman sorte, quam persae *purim* vocant, in diem iudaeis fatalem inquisiverat.

Festum hoc celebrandum erat decima quarta et decima quinta die mensis adar, seu ultimi mensis anni sacri hebraeorum. In illo integer liber Esther praelegebatur. Modo autem hoc festum festo Bacchi simile est; quotiescumque enim nomen Aman occurrit, omnes iudaei plaudunt manibus, atque pugnis et malleis scamna percutiunt, vociferantes: *Pereat nomen eius.*

Iudaei olim in memoriam supplicii crucis Amani cruces super domos suas erigebant; at hoc illis prohibitum fuit (cod. theodos. tit. 12, c. II).

§ XXXIII. De festo encaeniorum, seu luminarium.

676. Apud iudaeos quatuor fuerunt festa dedicationis templi; festum dedicationis templi a Salomone exstructi celebrabatur mense tisri; festum reaedificationis huius templi per Zorobabelem incidebat in mensem adar; tertium erat festum dedicationis templi per Herodem regem Iudaeae, et quartum festum erat dedicatio templi per Iudam Machabaeum facta; cum enim Antiochus Epiphanes templum hierosolymitanum profanasset, Iudas Machabaeus illud mundavit, eiusque dedicationem celebravit. Haec dedicatio, quae a vigesima quinta die mensis casleu per octiduum multis sacrificiis acta fuerat, annua solemnitate continuata fuit. Festum hoc etiam *luminarium* nuncupatum fuit, quod iudaei ad felicem rerum conversionem, suamque laetitiam manifestandam multa luminaria accenderent.

Occurrit adhuc II Mach. I, 18, etc. *festum detecti ignis sacri* sub Nehemia, atque I Mach. VII, 48, etc. II Mach. XV, 37, festum ob devictum Nicanorem.

SECTIO IV.

DE SACRIFICIIS HEBRAEORUM.

§ XXXIV. Sacrificiorum antiquitas et origo.

677. Sacrificium est oblatio rei sensibilis per ministrum legitimum proxime Deo facta, atque aliqua ratione destructae, puta combustione, immutatione, fractione, aut effusione.

Sacrificia humano generi coaeva sunt, ut constat ex sacrificiis Abelis et Caini filiorum Adami (Gen. IV, 3-5), Noë (Gen. VIII, 20), Abrahami (Gen. XII, 7, XIII, 4, XV, 9-17, XXII, 13), Melchisedech (Gen. XIV, 18-19), Iacobi (Gen. XXVIII, 18), etc.

Origo quidem sacrificiorum ex primitivorum hominum grato animo in Deum, naturae auctorem, eorumque benefactorem, eique propterea eiusdem donorum primitias offerre volentium, repeti posset; at cum primitivi homines in infantia humani generis versarentur, vix credibile

» non disperdet: multumque avertit iram suam, » et non suscitabit totum furorem suum » (Vulg. ps. LXXVII, 38). Hac caeremonia finita, iudaeus confessarius humi se prosternit, atque ab altero iudaeo eodem excipitur modo. Conf. Buxtorfium, *Synagogae iudaicae*, c. XXV.

videtur Deum omnem cultum externum eorum arbitrio reliquisse. Verisimilius videtur Deum ipsum nonnulla hac super re determinasse, aut saltem innuisse, licet id ex Genesi non constet, neque ullum eius vestigium ante legem mosaicam occurrat. Sane origo sacrificiorum cruentorum animalium non satis commode ab inventione humana repeteretur. At enim cum Deus protoparentes docuerit ex pellibus animalium occisorum sibi vestes seu tegumenta conficere (Gen. III, 21), verisimile est hac ipsa animantum morte eos docuisse eamdem et ipsos per peccatum meruisse, itemque iis innuisse hanc violentam animalium necem cum in memoriam reatus ac poenae, tum in agnitionem supremi Dei in vitam omnium dominii, saepe esse repetendam.

Omnes antiqui populi Deo sacrificia cruenta obtulerunt non solum ad supremum eius dominium agnoscendum, et illius maiestatem honorandam, sed etiam ad ipsius iram placandam.

Profecto si sacrificia cruenta originis essent humanae, symbola fuissent hominum grati animi, reverentiae in Deum, agnitionis supremi eius in omnia, atque in ipsam vitam dominii. At si iussu aut nutu Dei instituta, erant insuper symbola poenae a peccatore promeritae, quae scelerum immanitatem animantum nece significabant, et ad morum emendationem faciebant.

§ XXXV. Sacrificia antemosaica.

678. Ante legem Moysis in Genesi non memorantur nisi holocausta, sacrificia eucharistica, sacrificia foederum, et pauca admodum de eorum ritibus.

Offerebant homines Deo sanguinem et carnes victimarum, vellera ovium, fructus terrae; lac, vinum, etc. Quilibet suorum sacrificiorum minister erat, aut saltem alterum sui vice constituere poterat. Communiter autem honor offerendi Deo sacrificia deferebatur viris probis, familiarum ducibus, principibus ac primogenitis.

§ XXXVI. Sacrificia mosaica. Eorum divisio.

679. Moyses sacrificia offerenda lege determinavit, cui ritus ex patriarcharum consuetudine receptos accommodavit, variosque alios adiecit, tum ne israëlitae ad sacrificia gentilium variis caeremoniis distincta relaberentur, tum ut saepius hosce ritus obeuntes legem divinam menti alte imprimerent, reverentiam in Deum animique gratitudinem palam facerent, legem fidelius observarent, atque ita novis obligationibus ex datione legis profectis, plenius satisfacerent. Uni autem familiae Aaronis, fratris Moysis, honor sacrificia Deo offerendi delatus fuit.

Inter sacrificia legis mosaicae alia erant 1° cruenta, et *victimae* seu *hostiae* dicebantur. Ad haec sacrificia quatuor dumtaxat animalium genera apta erant, boves nempe, oves, caprae, et, in aliquibus casibus, ex volucrum genere turtures, et pulli columbarum (Lev. I, 2, V, 6-7, XII, 6-8, XV, 29. Num. VI, 10). Moyses haec animalium genera pro victimis selegisse videtur, quia Deus haec animalia Abrahamo in sacrificium offerre praeceperat (Gen. XV, 9), et verisimiliter, ut superstitionem, qua aegyptii gentiles pleraque haec animalia prosequebantur, e mente israëlitarum exstirparet.

Animalia holocaustorum debebant esse mascula (Lev. I, 2-3), in turturibus vero ac in pullis columbarum nulla sexus ratio habebatur.

Sacrificia cruenta subdividebantur in sacrificia *piacularia*, seu in

sacrificia *pro peccato et pro delicto*, et in sacrificia *eucharistica*.

Sacrificiis pro peccato destinati erant iuvenci, hirci, caprae, oves, turtures, et pulli columbarum, pro conditione sacrificium offerentium. Sacrificia autem pro delicto iuxta varietatem delicti fiebant ex ovibus, capris, arietibus, pullis columbarum et turturibus. Sacrificia tandem eucharistica fieri dumtaxat poterant ex bobus, capris et ovibus.

Nulla autem victima infra aetatem octo dierum, et ultra aetatem trium annorum offerri poterat, quod tamen in turturibus et pullis columbarum haud attendebatur. Generatim offerebantur iuvenci triennes, ac oves et caprae anniculae. Victimae vero quovis vitio carere debebant.

2° Alia sacrificia erant incruenta, quae generatim fiebant ex frumento et vino; si ex frumento, *immolationes* seu oblationes, si ex vino, *libamina* vocabantur.

§ XXXVII. Locus sacrificiorum.

680. Holocausta et sacrificia piacularia ad plagam septentrionalem altaris, et sacrificia eucharistica ad eius partem meridionalem offerebantur. Holocausta et sacrificia pro peccato non modo pro singulis, sed et pro populo universo festis potissimum diebus Deo offerebantur.

Sacrificia sub capitis poena offerenda erant super altare in tabernaculo vel in templo per sacerdotes tantum (Lev. XVII, 1-7. Deut. XII, 13-14). Haec Moyses praecepit, quo iudaeos ab idololatria magis removeret (conf. Lev. XVII, 1-7. Deut. XII, 13-14). Unitas autem altaris et loci sacrificiorum israëlitis unitatem Dei in memoriam revocabat, atque familias statis diebus convenientes arctius consociabat. Prophetae tamen a periculo et suspicione idololatriae immunes aliis in locis quandoque sacrificabant (I Reg. XVI, 1-5. III Reg. XVIII, 21-40).

§ XXXVIII. Sacrificiorum ritus.

681. Victimam offerens, illam 1° in atrio ante altare Deo sistebat (Lev. I, 2-9).

2° Manum suam capiti animalis, non vero turturum aut pullorum columbarum, imponebat (Lev. I, 4). Capiti autem victimarum, pro tota natione immolandarum, seniores seu primates populi manus imponebant (Lev. IV, 13-15). Victimae per hanc manuum impositionem in locum illas offerentium sufficiebantur, ad indicandam poenam, quam offerentes per peccatum meriti fuerant vel promerituri fuissent. Victimam immolans pro delicto, manus capiti eius imponens, simul delictum suum confitebatur atque summus sacerdos capiti hirci pro omni populo offerendi manus imponens, eum omnibus peccatis populi symbolice onerabat.

3° Animalia pro populo mactanda a sacerdotibus et levitis sacrificabantur. Antiquitus nonnulla occidebantur ab offerentibus, sed posterius sacrificabantur a levitis (Lev. I, 2-9. II Paral. XXIX, 24, 34).

4° Sacerdos sanguinem victimae cratere excipiebat, atque ad basim altaris fundebat. In sacrificiis pro peccato cornua altaris sanguine illiniebantur, et in sacrificiis pro universo populo, aut pro summo sacerdote, sanguis victimae in sancto versus velum sanctuarii, et die expiationis in sanctuario versus operculum arcae et pavimentum ante arcam fundebatur, eoque quatnor cornua aurei altaris thymiamatis liniebantur (Lev. IV, 3-7, VIII, 15).

5° Levitae et sacerdotes animalia, pelle detracta, dissecabant; quod antiquitus ipsi offerentes praesta-

bant. Recentiori aetate ad id apte peragendum mensae marmoreae atque columnae in templo aderant. Victimae autem pro peccato, atque holocausta summi sacerdotis et populi, extra castra vel urbem integra comburebantur, demtis dumtaxat partibus in altari concremandis.

6° Modo ante, modo post mactationem nonnullarum victimarum ritus peculiares adhibebantur, qui pariter usitati erant quando offerebantur panes, placentae, et alia dona sacra. Hi ritus fuisse videntur oblatorum elevatio, et consequens eorum depositio (Exod. XXIX, 24. Lev. VII, 34, VIII, 27, IX, 21, X, 15, XXIII, 20. Num. V, 25); iisdemque desiderium, ut Deus sacrificium gratum haberet, oblationemque Deo esse factam, significabatur.

7° Sacerdos lignis, quae in altare detulerat, et in ordinem redegerat, ignem submittebat. Ignis a sacerdotibus perpetuo in altari nutriendus erat (Lev. VI, 12), alioque igne ad sacrificia uti vetitum erat (Lev. X, 1-2). Alii dein sacerdotes partes victimae comburendas lignis accensis imponebant, carnes nempe omnes holocaustorum privatorum, sique de holocaustis summi sacerdotis, populi, ac de omnibus aliis sacrificiis sermo sit, adipem intestinorum et renum, ambos renes, reticulum iecoris, atque crassam caudam ovium (Exod. XXIX, 13, 22. Lev. III, 4). Hae victimarum partes condiebantur sale puro (Lev. II, 13). Sacrificia autem pro peccato, et holocausta summi sacerdotis et populi integra comburebantur, exceptis partibus in altari concremandis, extra castra vel urbem, in loco, in quem cineres altaris conferebantur.

8° Carnes omnes holocaustorum comburendae erant. Ceterorum sacrificiorum carnes aliae sacerdotibus, aliae cedebant illis, qui sacrificia offerebant; omnes autem in tabernaculo vel in templo consumendae erant, praeterquam agnum paschalem, qui extra utrumque, non tamen extra castra, neque extra Solymorum moenia comedi poterat.

§ XXXIX. Holocausta.

682. Nomen Ὁλόκαυστον, *holocaustum,* provenit a vocibus graecis ὅλος, *totus*, et καίω, *accendo*. Ita nuncupatae fuerunt victimae, quae integrae concremabantur. Hebraei holocaustum vocant *Holà,* quae vox *ascendit* significat, eo quod *integra victima* per fumum in coelum *ascendebat.* Haec sacrificia omnium antiquissima sunt, et piacularia erant.

Alia holocausta offerenda erant diebus festis, et alia singulis diebus. Haec erant duo agni, quorum unus mane ante alia sacrificia, et alter vespere post alia sacrificia pro toto populo sacrificabantur. Hoc quotidianum holocaustum vocabatur *iuge sacrificium,* vel *holocaustum sempiternum.*

Alia holocausta offerebantur a personis privatis vel sua sponte, vel ex voto, vel ex praescripto legis, ut a Nazaraeis inopinato temeratis, vel absoluto eorum voto. Tandem alia offerebantur a sanatis a lepra, a puerperis, a summo sacerdote festo expiationis, et alia pro universo populo.

Holocausta fiebant ex iuvencis triennibus, hircis et arietibus anniculis, atque ex turturibus et pullis columbarum. Sanguis victimae, ad septentrionem altaris mactatae, a sacerdote fundebatur ad basim altaris circum. Animalia comburebantur integra cum intestinis ac pedibus antea lotis, cumque farina et oleo altari holocaustorum antea superpositis. Holocausta autem summi sacerdotis et populi concremabantur

extra castra vel urbem in loco, in quem coniiciebantur cineres altaris. Apud gentiles vinum fundebatur inter cornua victimae; apud hebraeos vero libamen vini effundebatur ad altare.

Holocausta turturum ac pullorum columbarum ita fiebant. Sacerdos illis caput ungue resecabat, sanguinem ad latus altaris fundebat, ingluvie et plumis in cinerarium proiectis, alisque confractis, reliqua super altare concremabat (Lev. I).

Gentiles per hebraeorum sacerdotes holocausta in templo offerre poterant, et Fl. Iosephus scribit Alexandrum magnum ita Hierosolymis vero Deo sacrificasse (1).

§ XL. Sacrificia pro peccato et pro delicto.

683. Si quis caeremoniarum mosaicarum aliquam voluntario infregisset, e populo erat exterminandus. Quod si per errorem, vel inadvertenter id fecisset, quod etiam de violatione aliquarum legum naturalium a Moyse poena sancitarum intelligendum est, poenam poterat redimere. Inde *sacrificia pro peccato*, et *sacrificia pro delicto*. Neutiquam autem omnia peccata per sacrificia a poenis lege Moysis statutis expiari poterant, sed aliqua dumtaxat. Peccata, quae sacrificio remitti poterant, dividebantur in *peccata* et *delicta*.

Haud liquet quomodo hebraei inter peccatum et delictum distinguerent. Cl. Iahn aliique nonnulli existimant peccatum fuisse violationem legum *negativarum* non sine testibus admissam, delictum vero violationem legum *affirmativarum* sine omni teste commissam (2). Alii tenent iudaeos per peccatum intellexisse violationem praeceptorum *affirmativorum*, atque per delictum, seu quod latinus interpres per delictum vertit, violationem praeceptorum *negativorum* (3). Alii tandem arbitrantur peccatum significasse peccatum *voluntarium* aut violationem legis per imprudentiam commissam, delictum vero peccatum *dubium* de violatione legis (4).

Victimae pro peccato et pro delicto offerendae, quae et ipsae *peccata* et *delicta* vocabantur, pro varietate peccatorum et peccantium variae erant. Victima autem pro summo sacerdote, et pro populo erat iuvencus. Princeps vero hircum mactabat (Lev. IV). Caeremoniae horum sacrificiorum referuntur Levitici c. IV.

Huiusmodi sacrificia nonnullis etiam speciatim praescripta erant, et quidem 1° Nazaraeis, qui inopinate temerati duos turtures aut duos pullos columbarum, unum pro peccato, et alterum in holocaustum offerre debebant (Num. VI, 10-11).

2° Pro peccatis ignorantiae populi in festis novi anni, paschatis, pentecostis, tabernaculorum, atque in neomeniis, hirci sacrificandi erant (Num. XXVIII, 29). Cum hebraei sibi persuasum haberent plures morbos, et dolores partus, poenas esse peccatorum,

3 Mundati a lepra agnum offerre debebant, aut si pauperes erant, duos turtures, aut duos pullos columbarum, unum pro peccato, et alterum in holocaustum (Lev. XIV, 13-31); atque

4° Puerperae, expletis diebus purificationis, offerre debebant agnum anniculum in holocaustum et turturem, vel pullum columbae pro peccato. Si vero pauperes erant, loco agni offerre poterant alterum tur-

(1) Fl. Ioseph de Bello Iud. lib. 2, c. 8.
(2) Iahn. Archaeologiae Bibl., p. II, § 232. Viennae 1805.
(3) Calmet. Dict. de la Bible, art. Péché.
(4) Conf. Lamy. Introd. à l'Ecriture sainte, liv. I, ch. 7. Lyon 1699.

turem, vel alterum pullum columbae in holocaustum (Lev. XII, 6-8).

§ XLI Sacrificia eucharistica.

684. Sacrificia *eucharistica,* quae etiam *pacifica* nuncupantur, offerebantur in gratiarum actionem beneficiorum a Deo acceptorum, et etiam ad nova beneficia a Deo impetranda. Animalia, hisce sacrificiis destinata, erant iuvenci, vaccae, hirci, caprae, arietes et oves. Alia eorum pars concremabatur, alia sacerdotibus, et alia offerentibus victimam cedebat (Lev. III, 7).

§ XLII. Sacrificia incruenta.

685. Haec sacrificia generatim fiebant ex frumento et vino; quae ex frumento, *immolationes* seu oblationes, quae ex vino, *libamina* nuncupabantur. Offerebantur ex farina triticea, et aliquando variis modis, oleo et thure parata erant, aliquando nulla adhibita praeparatione (Levit. II).

Erant haec sacrificia communiter additamenta victimarum; excipiuntur autem

1° Duodecim panes propositionis, qui singulis sabbatis permutabantur, atque a solis sacerdotibus ut sacerrimi in tabernaculo vel templo manducabantur (Lev. XXIV, 5-9).

2° Primitiae panum festo pentecostis (Lev. XXIII, 17-20).

3° Manipulus hordei secunda die paschatis offerendus (Lev. XXIII, 10, 11). Et

4° Farina, quae a paupere in sacrificium delicti offerebatur (Lev. V, 11-13).

Oblatio vini pariter additamentum victimarum erat, quod ad basim altaris fundebatur (Num. XV, 28) (1).

SECTIO V.

DE PONDERIBUS AC NUMMIS HEBRAEORUM

§ XLIII. De ponderibus ac nummis hebraeorum generatim.

686. Antiqui hebraei nummis cusis in usum commercii carentes, argentum et aurum dividebant, in bilance pendebant, ac ope lapidum ponderabant; quare Moyses duplicia iniqua pondera prohibens, iuxta textum hebraicum: *Non habebis,* inquit, *lapidem et lapidem,* unum nempe altero ponderosiorem (Deut. XXV, 13). Hac de causa emptores et mercatores bilancem et lapides, ad statutum pondus exactos, in sacculo ferebant (Deut. XXV, 13. Prov. XVI, 11. Mich. VI, 11). Nummi non cusi ponderum vicem hebraeis praestare poterant; quare eorum pondera argenti et auri, atque monetae haud cusae, ad eamdem normam aestimanda sunt.

Moyses ponderum aequitatem curaturus ac conservaturus, eorum ac mensurarum normas archetypas (*modelli)* in sacro tabernaculo servandas tradidit (Exod. XXX, 13. Lev. XXVII, 25), ut sacerdotes ad illas alia pondera ac mensuras exigerent, eorumque aequitatem curarent *.

Hae normae, quae, quoad pondus, quandoque *pondus sanctuarii,* nuncupantur, quia in tabernaculo vel templo custodiebantur, postea in templum hierosolymitanum delatae fuerunt, ubi sacerdos constitutus legitur *super omne pondus atque mensuram* (I Paral. XXIII, 29), ut nem-

(1) Conf. Fl. Ioseph. Antiq. lib. 3, c. 9 et 10.

* Ponderum ac mensurarum normae archetypae pariter in Aegypto sacerdotum curae commissae erant, ut pondera publica ac mensuras ad illas probarent (Clem. Alex. Stromat. lib. 6). Idem apud romanos obtinebat. Fannius poëta, Augusto coaevus, de amphora ita loquitur:

Amphora fit cubus, quam ne violare liceret,
Sacravere Iovi, Tarpeio in monte, Quirites.

Normae ponderum ac mensurarum etiam antiquitus a christianis in ecclesiis conservatae fuerunt, ut constat ex Iustiniani Authentic. Novella 128, c. 15, qui lege sanxit, ut *pondera et mensurae in sacratissima cuiusvis civitatis ecclesia custodirentur.* Hanc legem Valentinianus imperator instauravit.

pe pondera publica, quae et *regia* vocantur propterea quod ministri regii eorum aequitatem curarent, atque mensuras ad hasce normas exigeret.

Exusto autem sub Sedecia rege per chaldaeos templo hierosolymitano, hae normae perierunt, atque iudaei deinceps persis, graecis et romanis subditi, horum populorum ponderibus, nummis ac mensuris assuerunt. Quare pondera, nummi ac mensurae ipsorum hebraeorum a ponderibus, nummis ac mensuris aliorum populorum, in libris sacris occurrentibus, probe distinguenda sunt.

Cum interpretes librorum sacrorum voces hebraicas et graecas ponderum ac nummorum, quae in scriptura sacra occurrunt, saepe nominibus expresserint ponderum et monetarum romanorum ac graecorum, quae et posteriori aevo apud hebraeos usitata erant, oportet non hebraeorum modo, sed et romanorum atque graecorum pondera ac monetas dignoscere, eaque cum ponderibus monetisque nostrarum regionum comparare, ut quae in libris sacris de ponderibus ac nummis occurrunt recte intelligantur. Quare

§ XLIV. De pondere romano, atheniensi, trecensi ac parisiensi.

687. Pondus romanorum erat *libra*, seu *as*, quam iuxta duodecim menses anni in duodecim partes, *uncias* vocatas, dividebant; quare uncia duodecima pars librae erat. Aliis insuper utebantur librae seu assis divisionibus. Sic *semis* aut *semissis* erat dimidium librae seu assis, *triens* pars tertia, *quadrans* quarta, *sextans* pars sexta, etc.

Unciae partes erant *semi uncia*, seu unciae dimidium, *duella* tertia pars unciae, *sicilicum* pars quarta, *sextula* pars sexta, *drachma*, pars octava, etc. Ita ut libra seu as romanorum 96 drachmis constaret.

688. Pondus atheniensium erat δραχμή, *drachma*, quae octava pars erat unciae romanae. Centum drachmae *minam atticam* aequabant, et sexaginta minae *talentum*, quod consequenter 6000 drachmis constabat. Hinc Fannius apud Priscianum:

Accipe praeterea, parvo quam nomine Graii
Mnam vocitant, nostrique Minam dixere priores.
Centum haec sunt drachmae. Quod si modo dempseris illis
Quatuor, efficies hanc nostram denique libram.

689. Libra apud argentarios et aurifabros fere ubique in Europa usitata est *libra trecensis, nummularia, monetalis*, etiam *marca* (*peso di marco)* appellata.

Constat haec libra duabus *marcis*, singulis quatuor unciarum; quaelibet uncia *octo drachmis (grossi)*, unaquaeque drachma *tribus denariis (danari)*, et quilibet denarius viginti quatuor *granis (grani)*; ita ut uncia quaelibet constet 576 granis, et libra integra 4,608.

Libra parisiensis constat ex sexdecim unciis; uncia octo drachmis *(grossi)*, et quaelibet drachma septuaginta duo granis *(grani)*, ita ut uncia parisiensis constet ex 576 granis, ut uncia trecensis, libra vero ex 128 drachmis *(grossi)*, et 9216 granis. Uncia autem parisiensis pendet triginta novem granos, et tres quintas partes grani plus quam uncia romana.

§ XLV. De pondere hebraeorum, eiusque pretio generatim.

691. Pondus hebraeorum erat *Seckel*, unde nomen graecum σίκλος *(siclos)*, et latinum *siclus*. Vox *Sceckel* ab hebraico *Sciakal ponderare, pendere*, derivata est. Siclus dividebatur in viginti partes, quae *geràh* seu *oboli* vocantur: *Siclus viginti obolis* (gerah) constare, dicitur Num. XVIII, 16, et Ezech. XLV, 12.

Semi-siclus *bekah* dicitur, atque

decem gerah seu obolis constat. Sexaginta siclis constabat μνα, *mina*, μνᾶ, *mna* (1), et tria millia siclorum aequabant *talentum*, hebraice *chiccàr* nuncupatum (Exod. XXXVIII, 24-26).

Pondus sicli erat quatuor drachmarum atticarum, seu semi-unciae romanae, octo enim huiusmodi drachmae integram unciam romanorum aequabant (n. 687). Quod tale fuerit pondus sicli hebraici patet ex Matth. XVII, 23, ubi *didrachma*, seu duplex drachma vocatur semi siclus census, quem singuli iudaei quotannis pro expensis tabernaculi vel templi persolvebant (Exod. XXX, 13). Aliunde Fl. Iosephus: « Siclus, in» quit, hebraeorum nummus, qua» tuor drachmas atticas complectitur (2).» Hieronymus vero: « Siclus, » ait, id est stater, habet drachmas » quatuor (3). »

Septuaginta interpretes hebraicum *Scekel* seu *siclum* quandoque per δίδραχμον, *didrachmum*, seu duas drachmas reddunt, et Philo hebraeus semi-siclo unam drachmam tribuit. Quare nonnulli existimarunt duas siclorum species apud hebraeos fuisse, siclum nempe communem, publicum et regium, quem duas drachmas atticas aequare dicebant; et *siclum sanctuarii*, cui quatuor drachmas atticas attribuebant. Verum ista siclorum distinctio ruit, eo quod una drachma Alexandriae in Aegypto usitata, teste Varrone, contineret duas drachmas atticas (4). Septuaginta vero interpretes, uti et Philo, qui scripserunt Alexandriae, drachmam alexandrinam adhibuerunt ad siclum hebraicum aestimandum.

Siclus etiam aliquando per staterem redditur (Matth. XVII, 26), eo quod eiusdem esset pretii.

(1) Conf. Fl. Ios. Antiquit. lib. 14, c. 12.
(2) Fl. Ios. Antiq. lib. 3, c. 9.
(3) Hier. in Ezech. c. 4. Conf. et eius comment. in Matth. 17.

§ XLVI. De pretio sicli hebraici speciatim.

692. Ex dictis siclus hebraeorum pendet quatuor drachmas atticas, seu semi unciam romanam; hae vero aequant ducentos sexaginta sex granos cum triginta quatuor trigesimis quintis grani partibus librae trecensis et parisiensis.

Siclus argenteus et aureus eiusdem apud hebraeos erant ponderis. Siclus in libris sacris frequenter subauditur post epitheton *argenteus*, ut quando dicitur Iudas Iscariotes retulisse ad principes sacerdotum *triginta argenteos*, quibus Christum divendiderat (Matth. XXVII, 3).

Siclus argenteus, puti argenti, valet triginta duos asses *(soldi)*, quinque denarios et tertiam denarii partem monetae gallicae.

Siclus vero aureus, puti auri, valet viginti tres libras gallicas, quatuor asses, et quatuor denarios (5). Hae autem siclorum aestimationes aequissimae haud sunt, eo quod diversa sit argenti aurique siclorum puritas, neque ponderis accuratissima ratio.

§ XLVII. De nummis cusis hebraeorum.

693. Mercatura antiquitus exercebatur mercium, aliarumque rerum praesertim superfluarum. Postea autem metalla adhibita fuerunt, eo quod insitum eorum pretium ab omnibus dignosceretur. Metalla haec primitus secabantur, sectaque pendebantur. Tandem cusa notaque insignita sunt. Homeri aetate, qui quinto saeculo post Moysen, et decimo ante Christum floruit, commercia adhuc variarum rerum per mutationes potissimum exercebantur. Homerus enim (Iliad. lib. VII, vers. 472) de achivis ementibus vinum canit:

(4) Conf. Varron., lib. 4, de ling. lat.
(5) Calmet. Dict. de la Bible, art. Sicle d'or

Ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ'αἴθωνι σιδήρῳ
Ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ'αὐτοῖσι βόεσσιν,
Ἄλλοι δ'ἀνδραπόδεσσι......

Alii aere, alii splendido ferro,
Alii pellibus, alii ipsis bobus,
Alii mancipiis etc.

Plinius ad hunc Homeri locum respiciens (1), scribit: « Quantum feliciori aevo, cum res ipsae permutabantur inter se, sicut et troianis temporibus factitatum, Homero credi convenit: ita enim, ut opinor, commercia victus gratia inventa. Alios coriis boum, alios ferro, captivisque rebus emptitasse, tradit (2).»

Iam aetate Abrahae siclorum mentio fit, et Gen. XXIII, 16, legimus hunc patriarcham emisse ab Ephrone campum, in quo defunctam suam coniugem Saram sepeliret, *quadringentis siclis argenti probatae monetae publicae,* seu potius, ut LXX interpretes iuxta textum hebraicum habent, quadringentis siclis ἀργυρίου δοκίμου ἐμπόροις, *argenti probati mercatoribus*. Posteriori aetate Ioseph a suis fratribus divenditur ismaëlitis viginti argenteis, iuxta textum hebraicum, *viginti siclis argenti* (Gen. XXXVII, 28).

Verum in his aliisque locis, qui posteriori adhuc aevo in libris sacris occurrunt, quaestio non est de moneta ab hebraeis cusa, notaque insignita. Nuspiam aliquid innuitur de forma aut figura nummorum qui ab hebraeis cusi fuissent; cum tamen monetae nomen suum ordinarie desumant a principe, animali, aut figura, quae in illis exhibentur. Immo in textu primigenio scripturae sacrae ne memorantur quidem nummi signati hebraeorum usque ad tempora Machabaeorum, cum Antiochus Sidetes Simoni Machabaeo summo iudaeorum sacerdoti nummos cudere permisit. In textu primigenio occurrunt dumtaxat siclus, talenta, etc. quae erant pondera, non vero monetae signatae.

Hosce siclos, talenta, etc. fuisse pondera, hebraeosque usque ad Machabaeorum tempora nummos haud cudisse, patet:

I. Quod sicli, talenta, etc. ante aetatem Machabaeorum penderentur: sic 1° pendebantur quadringenti sicli, quibus Abraham memoratum campum emerat: *Abraham appendit pecuniam,* seu argentum, ait Moyses (Gen. XXIII, 16). 2° Filii Iacobi patriarchae referunt Iosepho fratri *argentum in pondere suo* (Gen. XLIII, 21). 3° Inaures, quas Eliezer Rebeccae obtulit, pendebant *siclos duos* (Gen. XXIV, 22). 4° Moyses narrat, a iudaeis pro tabernaculo oblata fuisse *aeris talenta septuaginta duo millia, et quadringentos supra siclos, ex quibus,* addit, *fusae sunt bases in introitu tabernaculi testimonii, et altare aeneum* (Exod. XXXVIII, 29-30). 5° Isaias de impiis: *Qui confertis aurum de sacculo,* inquit, *et argentum statera ponderatis* (Isaiae, XLVI, 6). 6° Ieremias, qui tempore captivitatis babylonicae septuaginta annorum vixit, pretium agri, quem ab Hanameel emerat, pependit: *Appendi ei,* ait, *argentum septem stateres, et decem argenteos* (Ierem. XXXII, 9-10). Quare 7° Propheta Amos mercatores fraudulentos inducit se invicem hortantes ad minuendas venditionis mensuras, augendaque pondera, iuxta quae reciperent solutionem: *Imminuamus mensuram, augeamus siclum, supponamus stateras dolosas* (Amos VIII, 5).

Genesis XXXIII 19 et Iob XLII, 11, in textu hebraico occurrit vox *kesitàh,* quam auctor Vulgatae, LXX interpretes, et Onkelos *agnum* seu *ovem* reddiderunt. Nonnulli quidem

(1) Plin. Hist. nat. lib. 33, c. 1.

(2) Conf. Aristotelem Moral. lib. 5, c. 8., et Politic. lib. 1, c. 6.

existimarunt, *kesitàh* fuisse monetam notatam figura agni. At cum tempore Iacobi patriarchae, qui Gen. XXXIII, 19, centum *kesitàh* seu agnos in solutionem empti agri dedit, monetae signatae haud existerent, oportet *kesitàh* fuisse certum pondus argenti, nisi agnum seu ovem designaverit.

Ex probatis igitur sequitur hebraeos usque ad captivitatem septuaginta annorum apud babylonios argentum et aurum in solutionem rerum emptarum pependisse, pondere sicli, talenti, etc., cusosque nummos haud habuisse.

II. Iudaei tempore captivitatis septuaginta annorum apud chaldaeos profecto nummos haud cuderunt, sed chaldaeorum monetis assueverunt. Ex hoc longo exilio reduces exiguum populum constituentes, persis ac dein graecis usque ad Machabaeorum tempora subiecti, horum populorum nummis atque ponderibus usi sunt. Antiochus Sidetes vero, rex Syriae, anno 138 ante Christum natum permisit Simoni, summo iudaeorum sacerdoti, ut monetas proprias cuderet: *Permitto tibi,* scribebat illi, *facere percussuram proprii numismatis in regione tua* (I Mach. XV, 6).

Ab hoc tempore, quo populus iudaeus ab exterarum nationum iugo in libertatem vindicatus fuit, Simon proprios nummos cudit, eiusque successores usque ad principum Herodum tempora cudere continuarunt, quibus characteres graeci nummis imprimi coeperunt.

Nonnulli existimant populum hebraicum iam proprios nummos cudisse anno 136 ante Christum, seu duobus annis ante facultatem ab Antiocho Sidete Simoni concessam, hosque nummos notatos fuisse titulo: *Siclus Israël;* nummos vero, quos Simon duobus post annis cudit, ipsius nomen exhibere; alii vero affirmant utrosque nummos a Simone cusos esse. Conf. n. 695.

§ XLVIII. Pondera ac nummi quorum in veteri foedere fit mentio.

694. In veteri foedere occurrunt

1° *Chiccàr* seu *talentum* (Exod. XXXVII, 24. Conf. n. 691).

2° *Mina* seu *mna* (III Reg. X, 17. Conf. n. 691).

3° *Scekel* seu *siclus* (Gen. XX, 16. Conf. n. 692).

4° *Bekah*, dimidia pars sicli (Exodi XXX, 13). Singuli iudaei quotannis semi-siclum in expensas tabernaculi vel templi persolvere debebant (Exod. XXX, 13). Valebat Bekah circiter sexdecim asses, et duos denarios cum dimidio monetae gallicae.

5° *Sceliscith hasc-scekel*, tertia pars sicli (II Esdrae X, 32). Valebat circiter decem asses gallicos et septem denarios.

6° *Rebhah Scekel,* quarta pars sicli (I Reg. IX, 8). Valebat octo asses, et unum circiter denarium.

7° *Gerah*, vigesima pars sicli (Exod. XXX, 13). Valebat unum assem, et septem circiter denarios.

8° *Kesitah* (Gen. XXXIII, 19) pondus antiquissimum, atque simul nummus non signatus, ignoti ponderis ac pretii.

9° *Darkemon*, *Adharcon*. Darkemon, cuius pluralis *darkemonim* occurrit I Esdr. II, 69 ubi est ex auro, et ab interprete latino per *solidos* vertitur, occurrit etiam II Esdr. VII, 70, 71, 72, quibus in locis ab Hieronymo per *drachmas* redditur.

Adharcon, unde pluralis *adharconim*, reperitur I Esdr. VIII, 27 et I Paral. XXIX, 7. In duobus istis locis ab interprete latino denuo per *solidos* vertitur. LXX interpretes *darkemon* et *adharcon* modo δραχμάς *drachmas*, modo aliam monetam reddunt.

Darkemon et *adharcon* videntur fuisse *daricus,* nummus aureus persarum insignis. Nummus iste Davidis quidem aetate (I Paral. XXIX, 7) occurrit; sed auctor librorum Paralipomenon, qui post captivitatem babylonicam vixit, pondus, seu nummum haud signatum hebraeorum iuxta monetam persarum aestimavit, ac per *daricum* expressit.

Cl. Pelletier et Calmet existimant daricum aureum valere undecim libras, undecim asses et novem denarios, cum quadrante monetae gallicae (1). Alii vero daricum multo maioris valoris esse statuunt. Iuxta d. Bernard daricus pondere duorum granorum superabat *guinaeam (guinea)* (2).

Darici, seu Darii aurei, ita nuncupati fuerunt iuxta alios a voce persica regem significante, quod nempe pecunia regia esset, regisque effigiem exhiberet, iuxta alios quod a Dario, Hystaspis filio, cusi sunt; sed verisimilius ita appellati fuerunt, quod a Dario Medo iam antea procusi fuerint.

Darici ex auro puro confecti erant, atque per plura saecula omnibus orientis nummis praelati fuerunt. Una parte effigiem regis exhibebant, altera sagittarium tiara acuminata ornatum, dextra sagittam, et sinistra arcum tenentem (3).

§ XLIX. Pondera ac nummi quorum in novo foedere fit mentio.

695. In novo foedere memorantur

1° Στατήρ, *Stater* (Matth. XVII, 26) qui praecipua moneta graecorum erat. Ex Matth. XVII, 26 patet illum pependisse quatuor drachmas atticas, duos semi-siclos, seu siclum integrum hebraeorum, cum Christus staterem pro suo et Petri censi persolvi iusserit (conf. 691). Pondus igitur illius erat ducentorum sexaginta sex granorum cum triginta quatuor trigesimis quintis grani partibus librae trecensis, et parisiensis. Consequenter pretium stateris argentei aequabat siclum argenteum iudaeorum, seu valebat triginta duos asses, quinque denarios, et tertiam denarii partem monetae gallicae.

Multi stateres adhuc supersunt, quo autem recentiores sunt, eo sunt pulcriores, sed etiam leviores; sumptus nempe eos excudendi in pretium fuerunt computati.

Exhibent stateres una parte caput Minervae, altera noctuam et monogramma aut nomen.

Simon, summus iudaeorum sacerdos, anno 138 ante Christum natum ad pondus stateris siclos cudit, qui sunt prima moneta signata hebraeorum (conf. n. 693). Lis agitata fuit num sicli hebraeorum superstites genuini sint. Modo autem pro genuinis habentur ii qui exhibent characteres samaritanos, qui primitivi characteres hebraeorum, chananaeorum seu phoenicum fuerunt, quique in Iudaea, Samaria et Phoenicia ad commercia communissime adhibebantur; quare sicli recentiori charactere hebraico insigniti recentes ac spurii sunt, quamvis forte etiam nonnulli characteres samaritanos referentes recentiori aetate ad veterum siclorum imitationem fuerint procusi.

Figurae, quae in siclis conspiciuntur sunt palma, nux pinea, quandoque spicae, manipulus, pampinus, botrus, flos, ramus amygdalinus, vas, quod alii *gomor,* quo manna asservabatur, et alii vas ministerio templi destinatum, esse volunt *. Si-

(1) Calmet Dict. de la bible, art. Darcmonim, et Comment. in I Esdr. VIII, 27.

(2) Bern. de ponderibus et mensuris antiq.

(3) Vide Plutarchum in Artaxerxe.

* Apud romanos aes primitus insignitum fuit nota *pecudum,* unde nomen pecunia, ut fertur, derivatum: *signatum est,* ait Plinius, *nota pecudum: unde et pecunia appellata* (Hist. nat.

gnatio siclorum varia est; aliqui circum vas habent *siclus Israël,* et ex altera parte circum virgam Aaronis: *Ierusalem sancta.*

2° Δίδραχμον, *didrachmum* seu *didrachma* (Matth. XVII, 23), pondus ac nummus graecorum, qui valebat duas drachmas atticas, seu semi-staterem aut semi-siclum. Pretium eius consequenter erat sexdecim assium, et duorum circiter denariorum cum dimidio monetae gallicae.

3° Δραχμή, *drachma* (Luc. XV, 8, 9), pondus et nummi genus graecorum. Quarta erat stateris pars, valebatque octo asses, et unum circiter denarium. Drachma alexandrina duplum drachmae atticae erat (conf. n. 691).

4° Αργύριος, *argentum*, seu *argenteus* (Matth. XXVI, 15). Siclum argenteum designat (conf. n. 692).

5° Δηνάριον, *denarius* (Matth. XVIII, 28,)nummus argenteus romanorum, ita vocatus, quod pro decem assibus in solutionem cedebat. Pondere aequabat drachmam, proinde quartam partem sicli, seu octo asses *(soldi)*, et aliquid insuper monetae gallicae valebat. Communiter autem decem assium gallicorum statuitur. Marcus (XII, 15) et Lucas (XX, 24) denarium nuncupant nummum argenteum, qui pro capitatione romanis in Iudaea persolvebatur, et Matthaeus hunc denarium vocat *numisma census* (XXII, 19).

Denarius erat diurnum militis apud romanos stipendium, ut Tacitus refert, quemadmodum drachma erat diurnum stipendium militis apud athenienses, teste Thucydide. Denarius pariter merces fuit conductorum in vineam (Matth. XX, 2, etc.).

Antiqui denarii exhibent una parte deam Romam, seu victoriam, altera currum, cui duplex equorum iugum iunctum est. Posteriori aevo effigies Caesaris in denariis conspiciebatur, ut liquet ex denario qui Christo oblatus fuit (Matth. XXII, 19-21).

6° 'Ασσάριον, *assarius,* quem interpres latinus (Matth. X, 29) *assem* vertit, Lucas autem (XII, 6) duos assarios *dipondium* reddit. Erat nummus aeneus romanorum, valebatque dimidium assis romani. Cum vero as iuxta Tacitum, Priscianum et alios decima esset pars denarii romani, valeretque octo circiter, vel decem denarios gallicos, assarius quatuor circiter, vel quinque denarios gallicos valebat. Nonnulli existimant assarium quartam dumtaxat partem assis fuisse, atque valuisse duos circiter, vel duos cum dimidio denarios. Aliqui assarium assi aequarunt.

Interpres latinus (Matth. X, 29) assarium per assem reddidit, quia veteres assarium et assem promiscue dicebant. Lucas vero (XII, 6) duos assarios per dipondium, seu duplex pondo, vertit, quod olim libra seu pondo as vocaretur, as unius librae seu pondo esset, atque as pro assario antiquitus diceretur.

Assarius una parte exhibebat olim effigiem Iani, et postea Caesaris, parte vero altera puppim.

7° Κοδράντης, *quadrans* (Matth. V, 26), nummus aeneus romanorum, qui quarta pars assis, seu dimidium

lib. 53, c. 5). Primus, qui apud romanos aes signavit, fuit Servius, sextus rex romanorum, circa annum 535 ante Christum occisus: *Servius rex primus signavit aes*, inquit Plinius (loc. cit. Conf. Varron. *De Re Rustica*, lib. 2, c. 1). Conf. n. 94 not.). Plutarchus *antiquissimis numismatibus aut bovem, aut ovem, aut suem* insculptum fuisse scribit (Plut. in Publicola). Apud peloponnesios nummus erat figura testudinis insignitus, unde antiquum proverbium: *Virtutem ac sapientiam testudines superant.* Atheniensibus nummus erat effigie bovis notatus, quare iuxta priscum adagium dicebatur: *Bos in lingua*, adversus eos, qui pecunia corrupti, veritatem silebant. Ob noctuam vero stateri impressam antiquitus proverbialiter dicebatur: *Noctua volat*, dum pecunia negotiis agendis continuo circumeat.

assarii erat; valebat proinde duos circiter, vel duos cum dimidio denarios gallicos.

8° Λεπτόν, *minutum* (Luc. XXI, 2), nummus aereus graecorum, qui dimidium quadrantis erat ; valebat proinde unum circiter denarium gallicum. Quare Marcus XII, 42, referens pauperem viduam in gazophylacium misisse *duo minuta,* addit, *quod est quadrans.*

9° Λίτρα, seu *libra,* quoad pondus pro diversitate regionum varia erat. Merces vero plerumque vendebantur iuxta libram regionis ex qua fuerant advectae. Libra autem in scriptis sacris memorata libra romana esse videtur, duodecim unciarum (conf. n. 687).

§ L. Pondera ac nummi, quorum in Vulgata praeterea mentio fit.

696. Praeter pondera ac nummos hactenus recensitos, in Vulgata occurrit

1° *Agnus* seu *ovis* (Gen. XXXIII, 19. Iob XLII, 11), pondus et nummus non cusus ignoti ponderis ac pretii (conf. n. 693).

2° *Obolus* (Exod. XXX, 13), qui valet vigesimam partem sicli, et Gerah aequalis est (conf. n. 694).

3° *Solidus* (I Esdr. II, 69; VIII, 27), nummus aureus romanorum, qui ita nuncupatus fuit, quod iusto pondere esset percussus, non dimidiato aut trientali, quemadmodum semisses et tremisses. Pendebat duas drachmas atticas, seu semi siclum hebraeorum; consequenter valebat undecim libras, duodecim asses, et duos denarios monetae gallicae.

SECTIO VI.

DE MENSURIS HEBRAEORUM.

§ LI. De mensuris longitudinis generatim.

697. Omnes antiqui populi, hebraei nempe, graeci, romani, etc., mensuras longitudinis, ut *digitos, palmos, cubitos, passus, pedes,* etc., a corpore humano desumpserunt, ut vel eorum nomina testantur. Non tamen eaedem apud omnes fuerunt, quippe quae ex uno eodemque corpore humano haud fuerint desumtae. Ad faciliorem mensurarum longitudinis notitiam quinque versus sequentes, quibus mensurae longitudinis romanorum exprimuntur, attendendi sunt:

Quatuor ex granis *digitus* componitur unus.
Est quater in *palmo* digitus, quater in *pede* palmus.
Quinque pedes *passum* faciunt. Passus quoque centum
Quinque et viginti *stadium* dant: sed *miliare*
Octo dabunt stadia, et duplicatum dat tibi *leucam.*

Per leucam hic intelliguntur duo millia passuum geometricorum, seu *milliare gallicum,* duobus trientibus unius horae respondens.

§ LII. Mensurae longitudinis hebraeorum.

698. Mensurae longitudinis apud hebraeos sunt

1° *Digitus* (Ierem. LII, 21), seu *pollex,* hebraice *hetzbah* dictus. Est latitudo digiti, seu spatium quatuor granorum hordei. Adaequat circiter octo lineas parisienses cum quadrante *. Inde caeterae mensurae hebraeorum ad mensuras parisienses facile exigi poterunt.

2° *Palmus minor* (I Paral. IV, 5), hebraice *tephach,* seu *tophach ;* et graece Δοχμή, *dochme* dictus. Est spatium quatuor digitorum.

3° *Spithama,* seu *palmus maior,* hebraice *zereth* nuncupatus (I Reg. XVII, 4), erat spatium trium palmorum minorum, seu duodecim digitorum. Est autem illud spatium, quod extensis digitis inter pollicem et digitum minimum seu auricularem continetur.

4° *Pes,* hebraice *paham,* est spatium quatuor palmorum minorum, seu sexdecim digitorum.

* Continet pes parisiensis duodecim pollices, et quilibet pollex duodecim lineas. Sex pedes orgyam seu sexpedam (*tesa*) aequant.

5° *Cubitus*, hebraice *ammà*, et iuxta alios *gomedh*, dictus (Deut. III, 11), continebat sex palmos minores, seu viginti quatuor digitos. Nonnulli hunc cubitum *vulgarem* dicunt, atque alium cubitum, quem *sacrum* vocant, ponunt. Huic septem palmos, seu viginti octo digitos assignant. Hesichius et Suidas cubito pedem cum dimidio adscribunt. Cubitus autem a Polluce definitur *mensura, quantum a flexura cubiti usque ad summitatem medii digiti intervallum patet.*

6° *Canna* seu *calamus mensorius* (Ezech. XLII, 16), hebraice *kanè* dicta, sex cubitis, seu centum quadraginta quatuor digitis definiebatur.

7° *Stadium* (Ioan. VI, 9; XI, 18), mensura graeca et romana ab hebraeis adoptata, est spatium centum viginti quinque passuum geometricorum, seu 625 pedum; quinque enim pedes passum geometricum aequant.

8° *Milliare romanum*, graece Μίλιον, *milion*, aequabat mille passus geometricos, seu octo stadia (Matth. V, 41), quibus pariter constat *milliare italicum*. *Milliare gallicum* commune, seu leuca communis, viginti stadiis, seu duobus millibus et quingentis passibus geometricis constat. *Leuca* unius horae viginti quatuor stadiis, seu tribus millibus passuum geometricorum; *milliare* vero *germanicum* triginta duobus stadiis seu quatuor millibus passuum geometricorum constat.

Parasanga, mensura viarum apud persas, triginta stadiorum iuxta Herodotum (1), et iuxta Strabonem quadraginta, etiamque sexaginta stadiorum erat (2).

9° *Iter sabbati* (Act. I, 12), erat spatium circiter mille passuum geometricorum, seu 5000 pedum.

(1) Herod. lib. 2, c. 6, lib. 5, c. 53.
(2) Strab. lib. 10.

10° *Iter diei* modo maius, modo minus erat; medium vero apud romanos erat centum quinquaginta vel centum sexaginta stadiorum (3).

§ LIII. Mensurae aridorum et liquidorum apud hebraeos.

570. Mensurae aridorum et liquidorum apud hebraeos usitatae erant

1° *Bath*, *bathus*, seu *batus* (III Reg. VII, 26) mensura liquidorum erat. Rabbini, qui mensurarum suarum capacitatem ovis definiunt, aiunt batum 432 ova gallinacia capere potuisse. Aequabat bati capacitas circiter 29 1/2 *pintas* parisienses *(pintes)*.

2° *Epha* vel *ephi* (Exod. XVI, 36), mensura aridorum, eiusdem ac batus erat capacitatis.

3° Μετρητής, *metreta* (Ioan. II, 6), mensura graeca liquidorum eiusdem cum epha et bato capacitatis.

4° *Homer*, seu *gomor*, vel *assaron*, mensura aridorum, decima pars ephae erat (Exod. XVI, 36). Tantum ex manna capiebat, quantum pro victu quotidiano unicuique assignabatur (Exod. XVI, 16). Rabbini eius capacitatem definiunt 43 1/5 ovis. Capacitas illius aequabat circiter 3 *pintas* parisienses.

5° *Sea*, seu Σάτον, *satum* (I Reg. XXV, 18. Matth. XIII, 33), mensura aridorum, tertia pars ephae erat. Rabbini eius capacitati 144 ova gallinacea assignant. Aequalis erat illius capacitas circiter 9 1/2 *pintis* parisiensibus.

6° *Kabh*, seu Κάβος, *cabus* (IV Reg. VI, 25), parva mensura pro aridis erat, quae in partes insuper dividebatur (loc. cit.). Rabbini aiunt, cabum capere potuisse 24 ova gallinacea. Sextans sati, et decima octava pars ephae erat. Ipsius capacitas erat circiter unius *pintae* parisiensis cum tribus eius quadrantibus.

7° *Logh*, seu *logus* (Lev. XIV, 10-

(3) Herod. lib. 5, c. 53.

12), mensura liquidorum, quarta pars cabi erat (IV Reg. VI, 25), atque omnium fere mensurarum hebraeorum minima. Capiebat 6 ova gallinacea iuxta rabbinos.

8° *Chomer*, seu *cor* aut *corus* (Oseae III, 2), mensura aridorum, decem ephas continebat.

9° *Lethech*, mensura aridorum, dimidium cori erat (Oseae III, 2), et quinque ephas capiebat.

10° *Nebel* tres batos continebat.

11° *Hin*, mensura liquidorum, sexta pars bati erat.

12° *Semi-Hin*, duodecima pars bati erat.

13° *Betzah*, seu rabbinorum *ovum*, sextam partem logi capiebat.

§ LIV. Mensurae quarum in Vulgata praeterea mentio fit.

700. In Vulgata adhuc occurrit

1° *Amphora* (Dan. XIV, 2), quae liquidorum mensura erat romanorum et graecorum. Aequalis erat ephae (conf. n. 699). In aliquibus autem locis vulgatae pro mensura indefinita ponitur.

Amphora romana continebat duas *urnas* *, seu 48 sextarios romanos, aut 80 libras romanas singulas 12 unciarum.

Amphora autem *attica*, seu atheniensis, ex tribus urnis constabat **, seu 72 sextariis, aut 120 libris romanis singulis 12 unciarum.

2° *Artaba* (Dan. XIV, 2), mensura liquidorum apud babylonios usitata, quae iuxta Epiphanium (1), et Isidorum Hispalensem (2) 72 sextarios continebat. Alii vero eius capacitatem aliter definiunt.

3° *Bilibris* (Apoc. VI, 6). Adaequabat duas libras romanas. In textu graeco (Apoc. VI, 6), reperitur Χοῖνιξ, *choenix*, ubi choenix minima intelligenda videtur. Choenix, mensura graeca, communiter capiebat quantum alicui quotidie pro victu assignabatur, talem nempe, qualem villicis praescribit Cato (3). Choenix autem interdum variabat.

4° *Cadus* (Luc. XVI, 6) liquidorum mensura romana, eiusdem cum bato capacitatis (conf. n. 699).

5° *Decima* (Lev. XIV, 10) designat decimam partem ephae, aut mensuram *gomor* (conf. n. 699).

6° *Laguncula*. Hac voce hebraicus *bath* seu *batus* redditur (Isa. V, 10).

7° *Modius*, ab interprete latino modo sumitur pro cuiusvis mensurae specie, modo pro *sato*, et aliquando pro epha (conf. n. 699). Modius mensura erat romanorum pro aridis, et aequabat tertiam partem amphorae, seu pedis cubici romani.

8° *Mensura* nomen generale est; quandoque adhibetur pro epha.

9° *Sextarius* (Lev. XIV, 12) mensura romana, liquidis demetiendis communiter inserviens: aequabat *logum* hebraeorum (conf. n. 699).

CONCLUSIO

§ LV. Utilitas studii Scripturae sacrae.

701. Librorum sacrorum studium non modo in maximam illius qui eidem se tradit, sed et in aliorum utilitatem cedit. In illud enim incumbens, Dei optimi maximi omnipotentiam, qua omnia regit ac moderatur, praesertim vero in genus humanum misericordiam admiratur. Contemplatur arcana illa Dei consilia, quibus humani generis misertus, ipsum in spem erigit recuperandae pristinae spiritualis felicita-

* Hinc Fannius canit:

Amphora fit cubus, quam ne violare liceret,
Sacravere Iovi, Tarpeio in monte, quirites.
Huius dimidium fert URNA, ut et ipsa Medimni.

** Fannius amphoram atticam cum amphora romana comparans ait:

Attica praeterea dicenda est amphora nobis;
Hanc autem facies, nostrae si adieceris URNAM

(1) Epiph. De ponderibus et mensuris.
(2) Isidor. lib. 16 Origin.
(3) Cato. De re rustica, c. 56.

tis, redemptorem illi promittit, cuius adventum repetitis ac sese mutuo excipientibus signis definit, salutarem coelestemque doctrinam impertitur, atque tandem in plenitudine temporis mittit divinum suum filium, qui morte sua cruenta, expiato protoparentum peccato, clausas dudum coeli portas adaperit.

Attende tibi, scribebat doctor gentium dilecto suo Timotheo, *et doctrinae: insta in illis. Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt* (1). Sacerdos igitur corde puro sedulam diligentemque operam sacrarum scripturarum studio accommodans, spiritualem sui ipsius salutem curabit; quid enim ad Deum reverendum, divinam eius legem observandam, veramque felicitatem consequendam aptius est quam studium illorum librorum, qui inspirante Spiritu sancto exarati fuerunt? Deus in illis exhibetur ut potentissimus atque iustissimus, qui cum violatores suae legis incunctanter punire potis sit, quandoque in hac vita plectit, nunquam, post hanc vitam sine poenitentia transactam, impunitos dimittit, legis vero observantiam semper remunerari paratus, in huius vitae cursu semper spiritualiter, frequenter terrena etiam felicitate compensat, atque semper in altera vita liberalissime, ut supremo numini par est, remuneratur. Haec tot historiis et exemplis illustrantur, ut qui ea sedulo perlegerit, nequeat non commoveri, et ad divinae legis observantiam incitari.

In libris sacris quodammodo cum sanctis illis viris, Deique amicis conversamur, qui licet vita mortali defuncti, in suis scriptis superstites sunt, quibus nos edocent, monent, hortantur, virtutum exempla et incitamenta tradunt, viamque nobis ad coelestem patriam commonstrant.

(1) I Timoth. IV. 16.

In scriptura sacra novi foederis maiestas divini nostrae religionis auctoris nos in admirationem atque stuporem agit; sanctitas, simplicitas et sublimitas eius doctrinae animum commovent, rapiunt, atque ad virtutem impellunt. Gloriae contemptus, commodorum neglectus, paupertas voluntaria apostolorum Christi, amor et reverentia, quibus divinum suum magistrum prosequuntur, ardens illud studium, quo coelestem eius doctrinam propagant, labores ac persecutiones, quas in illius defensionem ultro patiuntur, morsque violenta, quam pro illius veritate subeunt, aptissima sunt ad nos a rebus terrenis ac perituris avocandos, Deo Christoque totos tradendos, dignosque ministros Christi constituendos.

Sacerdos assiduam ac diligentem sacrae scripturae studio operam collocans, non suae dumtaxat, sed et *eorum, qui illum audiunt,* seu quorum cura illi est concredita, prospicit incolumitati. Assidua enim librorum sacrorum lectione eorum praeceptis imbutus atque informatus, exemplo Iesu eiusque discipulorum aliorum utilitati, suaeque conditionis officiis propria commoda posthabebit, vanae gloriae non inhiabit, divitiis non studebit, munia vires superantia lucri studio non quaeret, sed Dei Christique amore inflammatus, et ardenti animarum zelo aestuans, erit *omnibus omnia factus, ut omnes faciat salvos* (2).

Sacerdos legis divinae doctrina institutus atque enutritus, sua vivendi ratione religionis catholicae hostibus omnem calumniandi, maledicendi, dicteriorumque praetextum auferet et occasionem. Falsam illam funestamque delebit opinionem, quae multorum animis infelici hac nostra aetate insedit, sacerdo-

(2) I Corinth. IX, 22.

tum orationi vitam dissentire, tale eos vitae institutum amplexos esse, quo facilius meliusque viverent, ipsos verbum Dei annuntiare, sacramenta administrare, tantum ut susceptum in se munus expediant, etc. Sua agendi ratione ostendet, se ecclesiae Christi stipendia facere ad suum aliorumque moralem profectum promovendum, aeternamque beatitatem consequendam, ad legem divinam, voluntatemque supremi numinis aliis manifestandam, veram fidem propagandam, iniurias Deo illatas praecavendas ac minuendas, ad Christi imaginem moribus exprimendam, quo aliis bono exemplo sit, utque sedula sacramentorum administratione aliorum saluti efficacem operam navet. Terrenis cupiditatibus abdicatis, talenta sibi a Deo concredita diligenter magnaque usura foenerabitur, obiectas difficultates, impedimenta, vexamina nihil morans, cum d. Paulo dicet: « Nihil » horum vereor, nec facio animam » meam pretiosiorem quam me, » dummodo consummem cursum » meum, et ministerium verbi, quod » accepi a Domino Iesu, testificari » evangelium gratiae Dei (1).» Promissa divina Deique munificam liberalitatem persuasissimam habens, mercedem laborum et tribulationum non ab hominibus, sed a Deo solo expectabit, atque cum doctore gentium dicet: « Quod in praesenti est » momentaneum et leve tribulatio- » nis nostrae supra modum in su- » blimitate aeternum gloriae pondus » operatur in nobis, non contem- » plantibus nobis quae videntur, » sed quae non videntur. Quae e- » nim videntur temporalia sunt : » quae autem non videntur aeterna » sunt (2). »

(1) Act. XX, 24.
(2) II Corinth. IV, 17-18.
(3) Greg. Magn. lib. 4, epist. 84.

§ LVI. Incitamenta ad studium Librorum sacrorum.

702. Scriptura sacra, iuxta s. Gregorium magnum (3), est epistola misericordiosissimi Dei ad suas creaturas rationales. In illa arcana supremi numinis mysteria, eius divina in humanum genus consilia, atque uberrima salutis media sunt recondita. Omnes sacrarum scripturarum libri Deo inspirante conscripti sunt (n. 34-43), Deumque proinde auctorem habent. Igitur sacrae scripturae dignitas maximum et primarium clericis incitamentum est, ut assiduo diligentique illius studio se dedant. Dignitas haec scripturae sacrae clarissime elucet ex iis, quae de librorum sacrorum divinitate n. 34-43 disseruimus, sed magis adhuc ex iis innotescet, quae de eius speciatim obiecto hic paucis trademus.

In libris sacris occurrunt inter alia promissiones illae divinae et vaticinia, quibus Deus, generis humani e statu felicitatis deiecti peccatique sordibus inquinati misertus, redemptorem seu Messiam promisit. Perpendendo haec divina oracula, per vices hominibus manifestata, admirabilem in illis deprehendimus divinae providentiae oeconomiam: per certos nempe gradus promissio Dei de divino mundi salvatore clarior atque distinctior in dies facta est, usque dum plenitudo tandem temporis advenit, qua dudum expectatus apparuit.

1° Adamo lapso nuda promittitur humani generis redemptio, sed tempus et adiuncta redemptoris adventus alto premuntur silentio: « Ini- » micitias ponam,» aiebat Deus serpenti seductori, seu diabolo, « inter » te et mulierem, et semen tuum » et semen illius: ipsa » (hebraice *ipsum* semen, seu mundi redemptor) « conteret caput tuum (4).» Adam, et dein eius filii, per hanc clemen-

(4) Gen. III, 15.

tissimi Dei promissionem in spem erecti restitutionis in pristinum felicitatis spiritualis statum, hanc fidem posteris transmiserunt.

2° Abrahamo iam paulo enucleatius idem redemptor hominum promittitur, dum illi praedicitur Messiam ex ipsius familia fore nasciturum: *Benedicentur*, ait illi Deus, *in semine tuo omnes gentes terrae* (1). De quibus verbis Dei ad Abrahamum d. Paulus: « Abrahae, inquit, dictae » sunt promissiones, et semini eius. » Non dicit: et seminibus, quasi in » multis, sed quasi in uno: et se» mini tuo, qui est Christus (2). »

3° Patriarcha Iacob, Spiritu sacro inspiratus, vaticinatur Messiam e tribu Iuda nasciturum esse, eius adventum generaliter indicat, aitque illum non ante adventurum quam *sceptrum e tribu Iuda* fuerit sublatum: « Iuda, » dicebat Iacob, te laudabunt fratres » tui.... Non auferetur sceptrum de » Iuda, et dux de femore eius, do» nec veniat qui mittendus est; ipse » erit exspectatio gentium (3). »

4° Successu temporis clarius designatus fuit Messias, cum Deus promisit Davidi illum ex eius familia nasciturum, Davidque praedixit redemptorem mundi fore filium Dei (4).

5° Isaias postea clarius adhuc vaticinatus est Messiam ab intemerata virgine stirpis davidicae sine viri opera concipiendum esse, atque pariendum: « Ecce, » aiebat familiae regis Achaz, « virgo concipiet, et » pariet filium, et vocabitur nomen » eius Emmanuel (5). »

Idem propheta redemptorem humani generis tam vivis coloribus adumbravit, ut non futura praedixisse, sed potius oculis praesentia scripsisse videatur; praedixit enim Messiae temporibus idola deturbanda, gentiles convertendos, iudaeos obcaecandos, varia a Messia miracula patranda, et felicitatem spiritualem populis omnibus afferendam esse (6). Graphice immo describit Isaias cruciatus ac tormenta, quae redemptor orbis pro salute humani generis erat perpessurus (7).

6° Ieremias deinde praedixit redemptorem humani generis legem veterem aboliturum, novamque traditurum esse (8).

7° Propheta Daniel sermonem faciens de septuaginta hebdomadibus annorum, seu annis 490, accurate determinat tempus, quo hominum liberator adventurus erat, aitque eum adfuturum intra hebdomades sexaginta novem (inchoandas a tempore, quo persarum rex edictum et facultatem hebraeis daturus erat urbem Hierosolymam reaedificandi), illum intra sexaginta duas hebdomades occidendum esse a populo, qui ipsum negaturus esset, Hierosolymam vero cum suo templo devastandam esse, huiusque desolationis nullum fore finem: « Septuaginta he» bdomades abbreviatae sunt super » populum tuum, ait Gabriel Da» nieli, et super urbem sanctam » tuam, ut consummetur praevari» catio, et finem accipiat peccatum, » et deleatur iniquitas, et adduca» tur iustitia sempiterna, et implea» tur visio, et prophetia, et ungatur » sanctus sanctorum. Scito ergo, et » animadverte: Ab exitu sermonis, » ut iterum aedificetur Ierusalem, » usque ad Christum ducem, hebdo» mades septem, et hebdomades se» xaginta duae erunt: et rursum » aedificabitur platea, et muri in » angustia temporum. Et post he» bdomades sexaginta duas occide» tur Christus: et non erit eius po» pulus, qui eum negaturus est. Et » civitatem et sanctuarium dissipa-

(1) Gen. XXII, 18. (2) Galat. III, 16.
(3) Gen. XLIX, 8-10. (4) Ps. CIX.
(5) Isa. VII, 14. (6) Isa. IX, 11, 12.
(7) Isa. LII. (8) Ier. XXXI.

» bit populus cum duce venturo: et » finis eius vastitas, et post finem » belli statuta desolatio. Confirma- » bit autem pactum multis hebdo- » made una: et in dimidio hebdo- » madis deficiet hostia et sacrifi- » cium: et erit in templo abomina- » tio desolationis: et usque ad con- » summationem et finem perseve- » rabit desolatio (1).

8° Michaeas, Isaiae contemporaneus, designat ipsum locum, in quo Messias post septingentos circiter annos in lucem edendus erat: « Et tu » Bethlehem Ephrata, ait, parvulus » es, in millibus Iuda: ex te mihi » egredietur qui sit dominator in » Israël, et egressus eius ab initio » a diebus aeternitatis (2). »

9° Malachias praenuntiavit praecursorem Messiae (3).

10° Aggaeus, uti et Malachias, praedixit Messiam adventurum esse stante adhuc secundo templo hierosolymitano (4).

11° Zacharias praedicit hominum redemptorem prodendum, triginta siclis argenteis dividendum, et a suis deserendum (5).

Ex hisce elucet, promissiones ac vaticinia divina de Messia eo clariora et distinctiora in bibliis sacris fieri, quo magis genus humanum redemptionis necessitatem sentiebat, et quo propius eius adventus instabat. Voluit Deus spem atque fidem miseri generis humani hisce suis oraculis fovere, exacuere, usque dum tandem ipsum redimeret.

Hauritur ex libris sacris doctrina excellentissima, simplex atque sublimis de Deo divinisque eius attributis, cuius quidem elementa in ipsis generis humani primordiis tradita, sensim dein aucta enucleataque sunt, interim dum toto ferme terrarum orbe spissis ignorantiae tenebris involuto, maxima hominum pars creaturas et inania commenta adorabat. Invenitur in illis doctrina praestantissima de ortu, dignitate, ultimoque hominis fine, de eius ad Deum creatorem, benefactorem, rectorem coeli et terrae, criminumque iustum vindicem ratione et obligatione. Quid dicam de praestantissima morum doctrina, qua homo sibimetipsi imperare, cupiditates sanae rationis legisque divinae imperio subiicere, alteri, quae sibi exoptat, praestare, omniaque ad Deum referre edocetur, qua homo consequenter melior redditur, eique sternitur via ad veram cum huius, tum alterius vitae felicitatem consequendam?

Iam in primis scripturae sacrae libris patet prospectus in postrema illa tempora, quibus salutaris Dei cognitio, morum emendatio, et vera felicitas ad omnes gentes deferendae erant. Divinum hoc consilium in antiquioribus libris adumbratur, in subsequentibus lucidius declaratur, atque in novo testamento admiranda ratione executioni mandatur. Licet pantheismus atque idololatria universum fere terrarum orbem obnubilarent, divinum hoc consilium non dumtaxat immotum perstitit, sed et constanter ad suum finem tetendit. Eventus maiores ad ipsum collimantes in libris sacris praedicuntur, prout praedicti sunt eveniunt, et tandem, adveniente Messia, divinum hoc consilium plenum sortitur effectum.

Iesus Nazarenus vera patrat miracula, vera edit vaticinia, divinamque tradit doctrinam, quibus probat se esse Messiam a prophetis tot ante saecula praedictum, omniumque in se prophetarum vaticinia accurate esse adimpleta. A multis ut Messias agnoscitur, sed a synagoga et a pleraque natione reiicitur, op-

(1) Dan. IX, 24-27. (2) Mich. V, 2. (3) Malach. III, 1. (4) Aggaeus II, 7. Malach. III, 1. (5) Zach. XI, 12-13. XIII, 7.

probriis oneratur, mortique ignominiosae traditur, ut a prophetis praedictum fuerat. Ducebantur nempe synagoga populusque iudaeus generatim illo aevo praeiudicatis opinionibus, Messiam debere esse potentem principem, qui terrenum Davidis regnum restitueret, cumque Iesum Nazarenum talem haud esse viderent, illum abnegarunt, supplicioque affecerunt. Ast probrosa Christi morte haud obstante, divinum consilium fortiter ac suaviter praestitutum attigit finem.

Ecce enim duodecim piscatores, viri rudes, illiterati ac ignobiles, a Christo selecti sunt, ut conversionem totius orbis auspicentur, atque ita salutiferam Dei cognitionem, morum emendationem, et veram felicitatem ad omnes gentes deferant atque propagent. Hi piscatores divitias spernunt, propria commoda negligunt, paupertatem sua sponte sectantur. Hierosolymis in ipsa Iudaeae metropoli festo pentecostis die coram innumera hominum multitudine cuiusque gentis apostolatum suum inchoant, ut palam faciant se divini sui praeceptoris iussu veram Dei doctrinam praedicare, temporaque conversionis totius orbis advenisse. Illa tempestate gentilium religio foedissimis turpitudinibus coinquinata, perversis hominum cupiditatibus maxime favebat, quibus austera Christi doctrina oppido adversabatur; nihilominus tamen duodecim illi piscatores, gratia Dei adiuti, gentilibus, neque solum plebeis, sed etiam nobilibus, principibus ac philosophis persuadent, ut facili eorum superstitione abiurata, severam Christi religionem amplectantur; persuadent iudaeis, ut religionem avitam, quae tot saecula apud illos steterat, deserant, utque virum, quem ut facinorosum in crucem egerant, ut Messiam agnoscant quem prophetae tot abhinc saeculis praedixerant, quemque ipsi tandiu expectaverant, votisque omnibus expetierant, eumque uti Deum adorent, et en mundum conversum, salutiferamque Dei cognitionem ac legem populis omnibus allatas, divinumque consilium ad exitum plenissime perductum.

Incredibile videri posset tam arduum, tam vastum, tamque portentosum opus a duodecim viris imperitis executioni esse mandatum. Sed quid Deo impossibile? « Quae stulta » sunt mundi elegit Deus » ait Doctor gentium, « ut confundat sapien- » tes; et infirma mundi elegit Deus, » ut confundat fortia; et ignobilia, » et contemptibilia elegit Deus, et » ea quae non sunt, ut ea quae sunt » destrueret (1). » Mundus conversus est, salutarem Christi doctrinam amplexus est, idque praestiterunt duodecim viri piscatores, rudes quidem, illiterati, ignobiles, sed divinitus instincti, et in legatos supremi numinis transformati!

Quam pulcri, quam pretiosi, quam studio clericorum digni sunt sacri veteris foederis libri, quibus Deus tot oracula inseruit, queis collapsum genus humanum in spem, firmamque in redemptorem hominum fidem ante eius adventum semper magis magisque erigeret! Et quam venerandi, diurna nocturnaque clericorum manu versandi sunt libri sacri novi foederis, in quibus haec divina oracula adimpleta, cognitio salutaris veri Dei, eiusque divina lex, gentibus omnibus allatae esse leguntur, quae viam ad veram felicitatem hominibus pandunt!

Alterum incitamentum ad studium scripturae sacrae est ingens huius studii necessitas. Cum scriptura sacra dogmata atque praecepta sanctissimae religionis nostrae comple-

(1) I Corinth. I, 27-28.

ctatur, pseudo-philosophi, seu deistae nostrorum temporum, severae morum doctrinae, notionumque supernaturalium osores in biblia sacra continuum impetum fecerunt, malentes negare ac impugnare austeram illorum doctrinam, scientiamque humano captui imperviam, quam vitam ad illorum normam instituere, et intellectum divinis oraculis subdere. Cum vero perniciosi istorum pseudophilosophorum libelli longe lateque disseminati, quamplurimos ex variis hominum conditionibus ad deismum perduxerint, sequitur sacerdotes curae animarum praepositos, vix utilitatem aliquam facturos, errantesque in viam revocare, eosque dedocere posse, nisi scripturae sacrae impigram operam dederint. Quomodo enim quis librorum sacrorum defensionem in se suscipiat, nisi sedulam in illos curam intenderit? Quomodo obvias difficultates quae deistis offensioni sunt, enodabit, nisi prius earum solutionem fuerit expertus? Quomodo dubios haerentesque in fide confirmabit, qui eorum dubitationes, nodos, tricasque nesciverit expedire?

Tertium incitamentum est obligatio qua clerici ad sacrae scripturae studium tenentur, cui primis ecclesiae temporibus, omnique aetate, a piis impigrisque sacerdotibus satis adeo factum fuit, ut s. Ambrosius scripturam sacram *Librum sacerdotalem* appellaverit (1). Ecclesia vero incuriosis sacerdotibus variis in conciliis hoc officium repetere atque inculcare numquam desiit. Caeterum scripturae sacrae notitiam pastoribus, qui populum suae curae commissum pabulo verbi Dei pascere iubentur, maximopere necessariam esse, unanimiter testantur scripta patrum, conciliorumque decreta; atque idcirco concilium tridentinum in ecclesiis cathedralibus et collegiatis pro clericorum instructione lectionem perpetuam instituens, de lectione scripturae sacrae dumtaxat meminit, ac si haec una eorum propria esset, aut certe omnium lectionum princeps (2).

Cum haereses et errores omnes adversus religionem Christi ex male intellecta scriptura sacra aut ex illius ignorantia exorti sint, ad eos refutandos accurata librorum sacrorum cognitio est omnino necessaria: « Ignorantia mater omnium erro» rum, » dicitur in iure canonico, « maxime in sacerdotibus Dei vi» tanda est, qui docendi officium in » populis susceperunt. Sciant igitur » sacerdotes scripturas sanctas (3)».

Dignitas igitur librorum sacrorum, ingens nostrorum temporum necessitas, strictumque clericorum officium necessario postulant ut clerici scripturae sacrae impigram operam impendant.

Cum omnes libri sacri veteris foederis constent simul capitibus 1074, et libri sacri novi foederis capitibus 290, totius scripturae sacrae lectio intra annum absolvi poterit, si tempore antemeridiano tria capita ex veteri foedere et tempore pomeridiano unum caput ex novo testamento legantur. Consultius autem erit si cum lectione scripturae sacrae commentarius aliquis conferatur.

Atque hisce finem Hermeneuticae sacrae imponimus. Faxit Deus, charissimi discipuli Belgae conterranei, in quorum gratiam typis mandatur, ut per vestrum studium laetos uberesque fructus producat, religioni, ecclesiae, patriae vobisque profuturos.

Quisquis haec legit, ubi pariter certus est, pergat mecum; ubi pariter haesitat, quaerat mecum: ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me; ubi meum, revocet me.
August. De Trinit., lib. 1, cap. 3.

(1) Ambros. De fide, lib. 3, c. 7.

(2) Concil. Trid. Sess. 5, c. 1 de reformat.
(3) Distinct. 38, c. 1.

TABULA CHRONOLOGIAE MOSAICAE

NOMINA PATRIARCHARUM	GENITUS ANNO MUNDI	GENUIT ANNO AETATIS	MORTUUS ANNO AETATIS	MORTUUS ANNO AB ORBE CONDITO
1 Adam . .	1	130 (Gen. V, 3)	930 (Gen. V, 5)	930
2 Seth . .	130	105 (Gen. V, 6)	912 (Gen. V, 8)	1042 (a)
3 Enos . .	235	90 (Gen. V, 9)	905 (Gen. V, 11)	1140
4 Cainan. .	325	70 (Gen. V, 12)	910 (Gen. V, 14)	1235
5 Malaleel .	395	65 (Gen. V, 15)	895 (Gen. V, 17)	1290
6 Iared . .	460	162 (Gen. V, 18)	962 (Gen. V, 20)	1422
7 Henoch .	622	65 (Gen. V, 21)	365 (Gen. V, 23)	987
8 Mathusala	687	187 (Gen. V, 25)	969 (Gen. V, 27)	1656
9 Lamech .	874	182 (Gen. V, 28-29)	777 (Gen. V, 31)	1651
10 Noë . .	1056	500 (Gen. V, 31; XI, 10)	950 (Gen. IX, 29)	2006
11 Sem . .	1558 (b)	100 (Gen. XI, 10)	600 (Gen. XI, 10-11)	2158
12 Arphaxad.	1658	35 (Gen. XI, 12)	438 (Gen. XI, 12-13) (c)	2096
13 Sale (d) .	1693	30 (Gen. XI, 14)	433 (Gen. XI, 14-15)	2126
14 Heber . .	1723	34 (Gen. XI, 16)	464 (Gen. XI, 16-17)	2187
15 Phaleg .	1757	30 (Gen. XI, 18)	239 (Gen. XI, 18-19)	1996
16 Reu . .	1787	32 (Gen. XI, 20)	239 (Gen. XI, 20-21)	2026
17 Sarug . .	1819	30 (Gen. XI, 22)	230 (Gen. XI, 22-23)	2049
18 Nachor .	1849	29 (Gen. XI, 24)	148 (Gen. XI, 24-25)	1997
19 Thare . .	1878	70 (Gen. XI, 26)	205 (Gen. XI, 32)	2083
20 Abraham .	2008 (e)	100 (Gen. XXI, 4-5)	175 (Gen. XXV, 7-8)	2183
21 Isaac . .	2108	60 (Gen. XXV, 25-26)	180 (Gen. XXXV, 28)	2288
22 Iacob . .	2168	86	147	2315
23 Levi . .	2254		137	2391
24 Amram .	»		137	»
25 Moyses .	2433		120	2553

TABULA CHRONOLOGIAE MOSAICAE

VARIANTIUM SAMARITANORUM AC LXX INTERPRETUM

PATRIARCHAE	GENUIT ANNO AETATIS			MORTUUS ANNO AETATIS			MORTUUS ANNO MUNDI		
	iuxta Hebraeos	iuxta Samaritanos	iuxta LXX Interpretes	iuxta Hebraeos	iuxta Samaritanos	iuxta LXX Interpretes	iuxta Hebraeos	iuxta Samaritanos	iuxta LXX Interpretes
1 Adam . . .	130	130	230	930	930	930	930	930	930
2 Seth (f) . . .	105	105	205	912	912	912	1042	1042	1142
3 Enos	90	90	190	905	905	905	1140	1140	1340
4 Cainan . . .	70	70	170	910	910	910	1235	1235	1535
5 Malaleel . . .	65	65	165	895	895	895	1290	1290	1590
6 Iared	162	62	162	962	847	962	1422	1307	1522
7 Henoch . . .	65	65	165	365	365	365	987	887	987
8 Mathusala . .	187	67	167	969	720	969	1656	1307	1756
9 Lamech . . .	182	53	188	777	623	753	1651	1307	1607
10 Noë (g) . . .	500	500	500	950	950	950	2006	1877	2242
11 Sem	100	100	100	600	600	600	2158	2158	2158
12 Aphaxad . .	35	135	135	438	438	535	2096	2096	2193
* Cainan . . .	»	»	130	»	»	460	»	»	2253
13 Sale	30	130	130	438	433	460	2126	2226	2253
14 Heber . . .	34	134	134	464	404	404	2187	2227	2227
15 Phaleg . . .	30	130	130	239	239	539	1996	2096	2 96
16 Reu	32	132	132	239	239	539	2026	2126	2226
17 Sarug . . .	30	130	130	230	230	530	2049	2149	2249
18 Nachor . . .	29	79	79	148	148	204	1997	2097	2153
19 Thare . . .	70	70	70	205	145	205	2083	2073	2153

(*a*) Cum Adam primo anno mundi creatus sit, anno 130 aetatis ac mundi genuerit Seth, et anno 930 vitae suae, adeoque anno 930 ab orbe condito, e vivis excesserit; cumque anni aetatis, qua alii patriarchae genuerunt, et qua obierunt, ex Pentateucho noscantur, inde facile eruitur quoto anno mundi singuli nati sint, et quoto anno ab orbe condito singuli sint mortui.

Sic cum Adam genuerit τὸν Seth anno 130 suae aetatis, sequitur Seth natum esse anno 130 ab orbe condito, et cum Seth mortuus sit anno aetatis 912, additis huic aetati annis mundi 130, qui ante eius nativitatem elapsi erant, conficitur illum occubuisse anno 1042 a creatione mundi.

Seth progenuit τὸν Enos anno aetatis 105, aetati huic adiectis annis mundi 130, qui ante nativitatem τοῦ Seth effluxerant, sequitur Enos natum esse anno 235 ab orbe condito. Vixit Enos 905 annis, huic aetati accensitis annis mundi 235, qui illius nativitatem antecesserant, colligitur illum mortuum esse anno mundi 1140.

(*b*) Moyses (Gen. c. V, 31) quidem scribit: *Noë vero cum quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham et Iaphet;* ast (Gen. c. XI, 10) ait: *Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio post diluvium*, et (Gen. c. VII, 6) refert Noë fuisse *sexcentorum annorum, quando diluvii aquae inundaverunt super terram.* Unde fit Iaphet natum esse anno 500 aetatis Noë, Sem anno eius vitae 502, et anno 1558 ab origine mundi. Cham vero post Sem genitus est.

Iaphet caeterum iuxta versiones graecas LXX ac Symmachi (Gen. c. X, 21) aperte dicitur esse frater natu maior τοῦ Sem; ubi enim eo loco Vulgatae auctor textum hebraicum vertit: *De Sem...., fratre Iaphet maiore*, verterunt LXX τῷ Σήμ.... ἀδελφῷ Ἰάφεθ τοῦ μείζονος: — *De Sem.... fratre Iapheti maioris;* atque Symmachus: τοῦ πρεσβύτου — *senis*, seu natu maioris.

De Cham vero dicit Moyses (Gen. c. IX, 24): *Evigilans Noë ex vino, cum didicisset quae fecerat ei filius suus minor, ait*, etc. E quibus liquet Cham post Iaphet et Sem progenitum fuisse. Moyses autem (Gen. c. V, 31) collocat Sem primo loco, quia Sem stipes est generationis e qua Heber, Thare, Abraham, atque consequenter populus hebraicus descendunt.

(*c*) Vulgatae auctor (Gen. c. XI, 12-13) τοῦ Arphaxad quidem 338 annos dumtaxat vitae attribuit; verum textus hebraicus, paraphrases chaldaicae, ac versiones syriaca et arabica ei (Gen. c. XI, 12-13) annos 438 aetatis adscribunt. Ita pariter legitur in polyglottis complutensibus ac parisiensibus (conf. n. 104).

(*d*) Ubi Vulgata (Gen. c. X, 24) habet: *Arphaxad genuit Sale, de quo ortus est Heber*, in LXX interpretibus legitur: Ἀρφαξὰδ ἐγέννησε τὸν Καϊνᾶν, καὶ Καϊνᾶν ἐγέννησε τὸν Σαλά. Σαλὰ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἕβερ: — *Arphaxad genuit Cainan, Cainan genuit Sale. Sale autem genuit Heber.*

Verum hic Cainan haud extat in textibus hebraico, samaritano, in versionibus syriaca, arabica, etc., in Fl. Iosepho, Philone (conf. n. 103).

(*e*) Moyses (Gen. c. XI, 26) scribit: *Vixitque Thare septuaginta annis, et genuit Abram, et Nachor, et Aram*, ex quibus sequi videtur Thare tres istos filios eodem 70 aetatis anno progenuisse, et quidem Abram primo loco.

Verum Moyses loco citato solum 70 aetatis annum τοῦ Thare designat ut epocham, qua Thare liberos procreare coepit. Abram primo loco ponit dignitatis causa ceu stipitem electi populi iudaei; sic Moyses etiam τὸν Sem ante Iaphet, et semetipsum communiter collocat ante Aaronem, licet Iaphet natu maior sit τοῦ Sem, et Aaron ante Moysen in lucem editus sit.

Abrahamum anno 70 aetatis τοῦ Thare progenitum non esse, sed 130 anno illius vitae, inde constat, quod (Gen. c. XI, 32) Moyses scribat Thare obiisse in Haran 205 anno suae aetatis, et (Gen. c. XII, 4) Abrahamum anno obitus sui patris Thare ex Haran discessisse, ac 75 annorum fuisse. Subductis igitur istis 75 annis ab aetate 205 annorum, qua Thare mortuus est, supersunt 130 anni; sequitur proinde Abrahamum natum esse anno 130 aetatis patris sui Thare, ideoque anno 2008 ab orbe condito.

Ut annus obitus patriarcharum, ab orbe condito numerandus, iuxta samaritanos et LXX reperiatur, videndum est quoto anno mundi iuxta illos patriarchae progeniti sint. Huic numero annorum addantur anni totius eorum vitae iuxta samaritanos et LXX, et reperietur quoto anno ab origine mundi patriarchae obierint. Sic Seth iuxta LXX genitus est ab Adamo anno mundi 230 (Tab. Chron. Mos. Var. 1, col. IV); si hisce annis mundi addantur 912 anni, quot Seth iuxta LXX vixit, reperitur Seth iuxta illos defunctum esse anno 1142 ab orbe condito.

Lamech iuxta samaritanos a Mathusala progenitus fuit anno 754 a creatione mundi (Tab. Chron. Mos. Var. 8, col. III, et Tab. Chron. Mos 9, col. III), vixit iuxta samaritanos 653 annis, consequenter obiit iuxta illos an. 1407 a creatione mundi.

(*g*) Ex columnis III, IV et V eruitur epocha cui diluvium, iuxta chronologiam hebraicam, samaritanam et graecam LXX assignatur; anni enim generationis patriarcharum mutuo sese excipiunt, et quasi catenam usque ad annum 500 aetatis Noë conficiunt. Sic anno 130 Adami, quo Seth progenitus fuit, incipit primus annus τοῦ Seth, et anno 105 τοῦ Seth, quo Enos genitus fuit, inchoatur primus annus τοῦ Enos; quare anni, quibus patriarchae suos filios progenuerunt, usque ad 500 annum vitae Noë iuxta columnam tertiam, quartam et quintam, additi, produnt epocham ad quam diluvium iuxta hebraeos, samaritanos et LXX refertur.

Anni patriarcharum simul supputati usque ad 500 annum aetatis Noë iuxta textum hebraicum (columna III) summam conficiunt annorum 1556: iuxta textum samaritanum (columna IV) annorum 1207; atque iuxta versionem graecam LXX interpretum (columna V) annorum 2142. Cum anno 600 aetatis Noë contigerit diluvium, annis 100 columnae tertiae, quartae et quintae additis, sequitur diluvium contigisse iuxta textum hebraicum anno mundi 1656, iuxta samaritanos anno 1307, et iuxta LXX interpretes anno 2242, ut num. 102 Hermeneuticae asseruimus.

INDEX

RERUM MEMORABILIUM

Numeri arabici designant numeros articulorum, et littera **n** *eorumdem numerorum notam.*

A

B

C

O

P

Q

R

S

T

INDEX

CAPUT III.

DE AUTHENTIA LIBRORUM SACRORUM

SECTIO I.

De Pentateucho

SECTIO II.

De libris sacris veteris foederis Pentateucho posterioribus

SECTIO III.

De libris sacris novi foederis

CAPUT IV.

DE TEXTU PRIMIGENIO VARIISQUE VERSIONIBUS LIBRORUM SACRORUM VETERIS AC NOVI FOEDERIS

SECTIO I.

De textu primigenio librorum sacrorum veteris ac novi foederis

SECTIO II.

De versionibus textus primigenii veteris ac novi foederis

CAPUT V.

DE LIBRORUM SACRORUM SENSIBUS ET CRITERIIS EXEGETICIS SEU REGULIS INTERPRETATIONIS

SECTIO I.

De sensibus Scripturae sacrae

SECTIO II.

De criteriis seu regulis exegeticis

APPENDIX

SUBSIDIORUM HERMENEUTICAE SACRAE

De regione, divisione temporis, temporibus sacris, sacrificiis, ponderibus, mensuris ac nummis hebraeorum

SECTIO I.

SECTIO II.

SECTIO III.

SECTIO IV.

SECTIO V.

SECTIO VI.

